CONCILIUM

MEDIOLANENSE

PROVINCIALE OCTAVUM

Cl.mo Rect. D. Lampert
Juris [illegible] in catho-
lica universitate Friburg.
ob egregii et [illegible]
[illegible],
+ Andr. C. Card. Archiep.
Mediolanen.
[illegible] [illegible] feliciter [illegible]
[illegible] in [illegible] [illegible]

21 apr. 1909

CONCILIUM MEDIOLANENSE
PROVINCIALE OCTAVUM

CONCILIUM
MEDIOLANENSE
PROVINCIALE OCTAVUM
IN METROPOLITANA ECCLESIA
ANNO DOMINI MCMVI
CELEBRATUM



MEDIOLANI
EX PONTIF. ET ARCHIEP. TYPOGRAPHEO S. IOSEPH
MCMVIII.

ANDREAS CAROLUS

TITULI S. ANASTASIÆ

S. R. ECCL. PRESBYTER CARDINALIS FERRARI

MISERATIONE DIVINA ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

ARCHIEPISCOPUS

UNIVERSIS ET SINGULIS PROVINCIÆ LANGOBARDICÆ FIDELIBUS

SALUTEM IN DOMINO.

Pretiosâ Apostolicæ Sedis sanctione munita, in lucem edimus et promulgamus acta et decreta nuperi Provincialis Concilii, quod, Deo iuvante ac Deipara Immaculata Virgine, in Metropolitana Ecclesia ad tumulum S. Caroli habuimus, deinde vero ad S. Ambrosii sepulcrum supplicatione sacra conclusimus. Nullo enim modo pastoralem ullam Nostram rem secernere ac segregare fas fuit a tantorum Decessorum Nostrorum memoria: atque hæc ipsa præsens synodus quæ et continuitate et ordine et ipsa quoque provisa legum copia anteactis S. Caroli synodis propius iungitur, monet Nos ut iisdem peramantibus vos alloquamur verbis, quibus et ipse Carolus

synodales suas olim emittens leges: *Rogamus omnes, et per viscera misericordiæ Christi Domini obsecramus, ut has Constitutiones quanto maximo potestis amore et pietate amplectamini, legatis, sequamini, totos vos ad earum sententiam rationemque accomodetis. Immo vero, si quod nostrum esse potest, habito et edito hoc concilio, meritum...; id Mihi et piis ipsis ac prudentibus Patribus, quibus adiuvantibus hæc acta sunt, præripite. Tanto enim maior commendatio eorum est qui colunt, quam qui tulerunt legem; quanto obedientia est officii præceptione præstantior* (1). Neque certe Nos, neque item Ven. Confratres Nostri huius provinciæ Coepiscopi, qui pro Christo apud vos legatione fungimur, in aliqua ulla re, perreximus aut immutare aut solvere Christi legem, verum potius conati sumus gratiorem atque expeditiorem omnibus vobis eam reddere, utilibus quibusdam monitionibus adductis et peculiaribus pro ætate hac nostra ordinationibus et curis. Quamvis autem plurima nunc a Nobis videantur decreta, perexigua tamen iussa a Nobis sunt: pleraque ex præscripto hausimus sacrorum in Ecclesia Conciliorum, et illius Apostolicæ Sedis constitutionibus ac mandatis, quam Sedem Apostolicam Salvator noster in cœlum elevandus, ut ait Ambrosius, amoris sui vicariam in terris reliquit (2). Quâ ergo parte ea ipsa edicimus, quæ pro universa Christi Ecclesia ab Apostolica Sede iamdiu sunt iussa: quâ etiam parte nova quædam superaddimus supremâ Apostolicâ auctoritate confirmata; consentaneum in omnibus est, ea divinæ

(1) Conc. Prov. I. in præf. p. 21, 22.
(2) Comen. in Luc. 10, 175. Migne 2, 1848.

Sapientiæ verba iterare: *qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum* (1).

Idemque decessor Noster Beatissimus Carolus, quum postremam suam, eamque sextam Provincialem synodum concelebraret, sacra lipsana plurimorum martyrum et sanctorum veterum in urbe Episcoporum, triumphali non admodum visa pompa, quæ sua et concivium tum erat pietas ac magnificentia, per urbem circumtulit, et gregi suo et universæ provinciæ nobilissimas conscripsit litteras (2): quibus obtestabatur præclara a Deo Provinciæ nostræ collata beneficia, atque eximia apud nos acta sanctorum: unde tot sæculis sarta tecta catholica fides hic viguit, et boni floruere mores, et omnia hic apud nos in Christo instructa sunt atque instaurata. Quæ eadem et Nobis et omnibus Provinciæ Mediolanensis Episcopis, habendo hoc nupero provinciali concilio, præcipua cura fuit, eritque perpetuus vitæ nostræ labor. Charitas enim Christi et animarum nobis commissarum salus urget Nos: eaque urgent memorabilia S. Ambrosii a S. Carolo pluribus vicibus iterata verba *Absit ut tradam Christi hæreditatem: absit ut tradam hæreditatem Patrum; hoc est hæreditatem Dionysii, qui in exilio, in causa fidei defunctus est; hæreditatem Eustorgii confessoris; hæreditatem Mirocletis atque reliquorum retro fidelium Episcoporum* (3). Hæreditas nostra, gratia

(1) Math. 5, 19.

(2) A. E. M. vol. 3. p. 691.

(3) A. E. M. v. 3. p. 698: Migne Opp. Ambr. v. 3. p. 1012.

Christi est, Apostolica fides est. Videte fratres, videte filii, quomodo caute ambuletis, quoniam dies mali sunt (1). Videte quia in novissimo hoc tempore non pauci discedunt a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum (2). Accipite armaturam Dei ut possitis resistere et in omnibus perfecti stare, succincti lumbos in veritate, induti loricam iustitiæ, calceati pedes in præparatione evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Pax fratribus, charitas cum fide, gratia cum omnibus qui diligunt D. N. Iesum Christum in incorruptione. Amen (3).

Datum ex Archiepiscopali Nostro Palatio, festo Inventionis Sanctæ Crucis, anno Domini MCMVIII.

† ANDREAS C., *Card. Archiepiscopus.*

(L. S.)

FRANCISCUS CALCHI NOVATI
Cancellarius Archiep.

(1) Eph. 5, 15 et seq.
(2) 1 Tim. 4. 1.
(3) Eph. 6, 13 et seqq.

CONCILII APPROBATIO

Eminentissime ac Reverendissime

Domine mi Observandissime,

Debito plane fungor officio gratulandi Eminentiæ Tuæ de absoluto feliciter, Tuo ductu et auspiciis, Mediolanensi Concilio Provinciali octavo. Quæ enim in ipso constituta sunt, ingentem produnt amorem congregatorum Patrum erga fidelem populum, simulque mirificam cognitionem præsentium necessitatum in quibus ille versatur.

Eius igitur synodi documenta, ad exactissimam iuris normam multa opportunitate ac sapientia confecta, magno profecto usui erunt, ad christianam vitam in populo roborandam.

Hæc, quæ mihi Tecum et cum omnibus Mediolanensis Concilii Patribus communia sunt vota, impleat benignissimus Deus detque, quod Ecclesia precatur, « ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum ».

Pergratum est addere, istius acta synodi ab E.mis Patribus huius S. Cong.nis Concilii mature perpensa fuisse atque recognita, eademque ad SS.mum Patrem Pium X delata, meruisse Eius laudes et Apostolicam Benedictionem, cum facultate ea typis edendi.

Interim remittens exemplar voluminis, una cum voto Consultoris et emendationibus ab E.mis S. huius Congr. Patribus propositis, gaudeo impensum animi mei obsequium exhibere Eminentiæ Tuæ, cuius manus summa cum demissione deosculor.

Eminentiæ Vestræ Reverendissimæ

Romæ, 3 augusti 1907.

Humillimus Add.mus Servus verus

† VINCENTIUS Card. Ep. Prænest. *Præf.*

C. DE LAI, *Secr.*

Mediolanensi

Eminentissimo Archiepiscopo.

CONCILII INDICTIO

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, AMEN.

ANDREAS CAROLUS S. R. E. TIT. S. ANASTASIÆ PRESBYTER CARD. FERRARI, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS S. MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, UNIVERSIS ET SINGULIS CHRISTIFIDELIBUS PROVINCIÆ MEDIOLANENSIS SALUTEM IN DOMINO.

Provincialium Conciliorum solemne negotium, quod a priscis temporibus ecclesiastica, præsertim huius Nostræ provinciæ, traditio invexit, et sacrosancti Catholicæ Ecclesiæ canones sanxerunt, post obitum f. m. Friderici Card. Borromæi, Nostri in hac sede prædecessoris, iniuria temporum intermitti visum est, non autem omnino obliterari. Nam licet qui Antistites huius Mediolanensis Ecclesiæ regimen deinceps obtinuerunt, variis de causis a solemnibus Episcoporum comprovincialium conventibus celebrandis prohiberentur, tamen novissimis temporibus, magis magisque studium exarsit, ut una mente et uno consilio communibus Ecclesiarum provinciæ Nostræ necessitatibus, saltem per episcopales collationes, provideretur.

Nec decet Nos memoria præterire illas, quas primo f. r. Carolus Romilli anno 1849 Gropelli in nostro rusticano palatio habuit, atque anno proxime insequenti Mediolani. Illorum Præsulum mens fuit, consilium inire de Provinciali celebrando Concilio, ut tot Ecclesiæ vulneribus tunc a perversa impiorum factione inflictis, quæ par esset, ferretur medela, et res sacræ omnes ad normam provincialium beatissimi Caroli synodorum sapienter restituerentur. Ad removenda denique præcipua impedimenta, a suprema politica potestate, apostolica voce efflagitarunt, ut ecclesiasticum regimen a quovis civili vinculo expeditum, suam plenam haberet libertatem et intimam cum Romana Sede unitatem, atque cetera Ecclesiæ iura sarta tecta servarentur. Lugendum sane quod illi præclarissimi Viri voti impotes facti sint, quamvis peiora in dies mala in plebem christianam grassarentur.

Quapropter Nos, quum primum ad hanc Metropoliticam Sedem, quamvis indigni, evecti fuimus, communis voti interpretes facti, ad optatum Provinciale Concilium animum applicuimus atque aperuimus Confratribus Nostris in episcopali collatione anno 1897 habita, Nobis apprime consentientibus. Pro animorum obsequio quo Apostolicæ Sedi addicimur, de eo suscipiendo negotio Romanum Pontificem tunc feliciter regnantem certiorem facere sategimus, qui litteris sub die 31 mai 1897, præclarum factum, quod trium sæculorum spatio desideratum fuerat, laudavit amplissime, auspicatus consilia nostra et studia plurimum ad utilitatem Ecclesiarum nostrarum collatura.

Igitur Nos, ad Dei Omnipotentis gloriam, et Beatæ

Virginis Mariæ omniumque Sanctorum honorem, in incrementum catholicæ fidei et ecclesiasticæ disciplinæ, præsenti hoc edicto, OCTAVUM PROVINCIALE CONCILIUM in Metropolitana Basilica Mediolani, die 1 septembris pr. v. inchoandum, sub pœnis a iure statutis, indicimus ac denuntiamus tum R.mis Ordinariis totius Provinciæ Nostræ, tum iis qui de iure vel de consuetudine adesse debent aut possunt, tum ceteris qui hoc ad se pertinere quavis ratione putarint; nominatim vero Abbatibus nullius diœceseos, qui intra Provinciæ Nostræ fines constituti, sibi Metropolitanum, cuius Synodo intersint, ad formam Tridentinæ Synodi non elegerunt; Capitulo item Metropolitanæ Ecclesiæ Nostræ, necnon aliarum Ecclesiarum Cathedralium Capitulis, quæ, ut mos est, a suis procuratoribus in Synodo repræsentantur.

Ut vero synodales actiones prosperum nanciscantur eventum, salutaresque fructus in Vineæ Domini portiones Nobis commissas ubere progignant, suppliciter opem exoremus a Patre luminum, qui dat omnibus affluenter, ut per merita Unigeniti Filii sui ac Domini Nostri Iesu Christi infirmitatem nostram Sancti Spiritus charismatum copia cumulare dignetur.

Quapropter orationem de Spiritu Sancto in singulis feriæ quintæ Missis et in qualibet solemni benedictione SS. Sacramenti, a die promulgationis huius decreti usque ad Synodi exitum addendam iubemus sacerdotibus omnibus Archidiœcesis Nostræ, et ut idem mandent Ven. Confratres Nostri comprovinciales, in Domino hortamur.

Eo autem, ut nemo vel ignorantiæ excusationem adducere vel se neglectum dicere audeat, edictum hoc, Nostro

sigillo et Cancellarii Archiepiscopalis subscriptione munitum, typis edi et tum in Basilica Nostra Metropolitana, tum in singulis Cathedralibus ac ceteris in universa Nostra Pro vincia insignibus Ecclesiis, proximo festo SS. Trinitatis inter Missarum solemnia e suggestu promulgari et deinceps ad valvas affigi mandamus.

Datum Mediolani, festo die Pentecostes, anno 1906.

† ANDREAS C., *Card. Archiepiscopus.*

(L. S.)

FRANCISCUS CALCHI NOVATI
Cancellarius Archiep.

DEIPARÆ

VIRGINI NASCENTI

CONCILII DEDICATIO.

Adspice, Virgo Maria, Tuis provolutos pedibus, Insubriæ præsules; qui in Spiritu Sancto congregati, se sibique commissos greges sub Tuam ponunt tutelam et præsens Tuum patrocinium. Tibi nos devovemur in maximo hoc templo, Tibi a patribus nostris erecto et dedicato in honorem ac memoriam illius magni Tuæ Nativitatis mysterii, quod gaudium universo mundo annuntiavit: ex Te enim ortus est Sol iustitiæ, Redemptor noster Iesus Christus, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. *Confunde mortem,* piissima Virgo Maria, vita, dulcedo et spes nostra. Tu, quæ Sedes divinæ es Sapientiæ et sola cunctas hæreses interemisti, dissipa pravarum hodie inundantium opinionum circumfusas undique caligines, et obscuritates infestas, et cœcitates exitiosas. Tu qui *Oriens Orientis es,* da nobis unum velle et aspicere Christum, qui vera est lux mundi. *Solve maledictionem,* Immaculata Virgo Maria, qui in hunc mundum benedictionem attulisti, neque solum benedicta in mulieribus eras, quum primum in lucem prodiisti, sed in primo quoque vitæ Tuæ instanti, magno prodigio, e filiis

Adæ sine labe originali concepta fuisti, primogenita creaturarum. Tu, qui caput antiqui serpentis contrivisti, vide Satanam spiritusque malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, et divina virtute in infernum detrude. *Da benedictionem,* alma Dei Genitrix et mater omnium nostrorum. Tu, in cuius gremio Cor Iesu Christi a Spiritu Sancto formatum est, præbe nobis cor Iesu filii Tui et præbe Illi cor nostrum. Iungimus nunc cor illud divinum et humanum cor nostrum, et in æternum iuncta fore speramus. Deipara Virgo Maria, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes Tuum iuvamen quicumque de sacrosancto hoc Concilio, mente et spiritu, comunicant, et carpere fructus in Deo uberrime speramus. O quæ ex arce maximi huius templi late undique agros nostros prospicis et invocaris, materno Tuo obtutu populos confove, et invincibili Tuo defende et firma præsidio. Amen.

CONSTITUTIONES

TITULUS PRIMUS
DE FIDE.

CAPUT I.

De Professione Fidei.

1. « Prima et maxima Pastorum cura versari debet in iis, quæ ad fidem catholicam integre inviolateque servandam pertinent, quam S. Romana Ecclesia et colit et docet, et sine qua *impossibile est placere Deo* » (1). Hinc SS. D. N. Pius PP. X, suavissimæ memoriæ Episcopus hic olim Mantuanus, in suo Pontificatu auspicando, quum hoc sibi constituisset *instaurare omnia in Christo,* quoniam Christus est veritas; idcirco testatus est « obeundum sibi esse in primis magisterium et præconium veritatis » (2). Nobis inde igitur exordiendum, unde mos exoriri perpetuo fuit, ut quæ ex eodem Christi spiritu fides est, eandem uno corde, uno ore profiteamur (3), atque ita vere Christus formetur in nobis et omnia et in omnibus Christus sit (4).

2. Quum ideo Nos Catholicam Apostolicam Romanam fidem jurati ac professi simus, alios in eadem ac Nos verba, quæ a Pio IV et Pio IX constituta sunt, idem spondere volumus. Profiteantur ergo de iure communi vel Nostro — 1.° quotquot diœcesanæ synodo, primo interesse debent (5)

(1) Conc. Prov. I. ab initio.

(2) Encycl. *E supremi,* 4 oct. 1903: et Alloc. 9 nov. 1903.

(3) Conc. Prov. ut supra.

(4) Gal. 4, 19 et Col. 3, 11.

(5) Conc. Trid., Sess. 24, *de ref.* 1.

— 2.° provisi de beneficiis quibuscumque (1) — 3.° provisi de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram Episcopo seu eius Vicario generali, sed etiam in Capitulo (2) — 4.° Vicarii Generales coram Episcopo, Vicarii Capitulares coram Capitulo — 5.° Examinatores synodales vel prosynodales, nisi alias antea professionem emiserint — 6.° Moderatores et professores seminariorum — 7.° Confessarii et concionatores cum primum adprobantur. — Qui renuerint, pœnas a jure statutas incurrant (3). — (V. Append. I).

3. Quo vividior in populo vigeat fides, summopere commendamus ut dominicis quibusque diebus et festis de præcepto, quâ horâ Parochus melius duxerit, publice in Ecclesia recitentur actus fidei, spei, charitatis atque contritionis.

4. In festivitate Epiphaniæ Domini, vel alio opportuniori festo ab Episcopo designando, solemnior fidei professio a cuncto populo in Ecclesia fiat: atque id iuxta constitutam a Nobis formulam. — (V. Append. II).

CAPUT II.

De Regula Fidei.

5. Catholicam fidem professi, « quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit salvus esse non poterit (4) », constanter tenemus; et credimus neminem evangelicæ prædicationi consentire posse, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo. Tenemus item Deum voluisse cum internis Spiritus Sancti auxi-

(1) Conc. Trid., Sess. 24, *de ref.* 12.
(2) Ibidem.
(3) Ibidem.
(4) Symb. Athan.

liis externa iungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque in primis miracula et prophetias, quæ, quum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, certissima sunt divinæ revelationis signa, intelligentiæ omnium accommodata (1). — (V. Append. III).

6. Profitemur etiam divinitus esse institutam catholicæ fidei normam atque regulam in una sancta matre Ecclesia: quam Deus ipse « per Filium suum Unigenitum instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Quin etiam ipsa per se ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile (2) ». Vivum catholicæ Ecclesiæ magisterium proxima nobis est regula fidei; remota vero verbum Dei scriptum vel traditum: atque ideo « fide divina et catholica « ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel « tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni iudicio « sive ordinario et universali magisterio, tanquam divinitus « revelata credenda proponuntur (3) ».

7. Magnæ Deo grates habendæ sunt, qui *nos vocavit in admirabile lumen suum* (4), in mysticum Christi corpus, videlicet Ecclesiam: quam quidem profitemur societatem esse perfectam, in terris visibilem, unam, sanctam, catholicam, apostolicam, superædificatam super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (5).

(1) Cfr. Conc. Vat., Const. *Dei Filius*, cap. 3.
(2) Const. 1, c. 3.
(3) Conc. Vat., const. 1, c. 3.
(4) I Petr. 2, 9.
(5) Eph. 2, 20.

8. Apostolorum princeps, Beatus Petrus, visibilis est Ecclesiæ caput: cui quidem et successoribus suis dictum est: *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (1). Quapropter firmissime credendum est « Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum R. Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et sacris canonibus continetur (2) ». — Item credendum: Romanum Pontificem obtinere plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent (3), neque vero « eum habere tantum potiores partes, sed totam plenitudinem huius potestatis, atque hanc esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes ac singulos fideles (4) ». Unde etiam profitemur « Romanum Ponteficem, quum ex Cathedra loquitur, idest quum pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, ea infallibilitate pollere qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit, ideoque eiusmodi definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse (5) ».

(1) Math. 16, 18.
(2) Conc. Vat. Const. 2, c. 3.
(3) Ibid.
(4) Ibidem.
(5) Const. 2, c. 4.

9. Credimus insuper: « divinum ædificium, quod est Ecclesia, verissime nititur tamquam in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in apostolis et successoribus apostolorum Episcopis, quos qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum » (1). Quare « si Petri eiusque successorum plena ac summa potestas est, ea tamen esse ne putetur sola... Quomodo Petri auctoritatem in Romano Pontefice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hæreditate capiunt, ita ut intimam Ecclesiæ constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero, neque plenam, neque universalem, neque summam ii obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur » (2).

10. Profitemur etiam catholicæ fidei veritatem contineri « in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ipsis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt » (3). Divinam Christi traditionem ex integro una Ecclesia Romana servavit, perdiderunt autem, aut obtenebrarunt hæretici. Veteribus hæreticis morem gerunt recentiores; qui quidem in suis criminationibus dissoni, modo affirmant dogmata esse serius ab Ecclesia superinducta, modo in ipso dogmate absurdum quemdam prædicant profectum; modo ipsum Ecclesiæ magisterium absonum declarant; modo suo quodam philosophandi atque investigandi genere novo, omnem christianæ antiquitatis et fidei cognitionem dubiam exhibent, imo impossibilem. « Ut igitur veritas nobis adiudicetur, in ea regula incedimus quam

(1) Leo XIII, Ep. *Est sane molestum*, 17 dec. 1888.
(2) Leo XIII *De unitate Ecclesiæ*, 29 iun. 1896.
(3) Conc. Vat. Cost. I, cap. 2.

Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit » (1). « Id enim verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab Apostolis » (2): qui « quasi in depositorium dives, plenissime contulerunt in Ecclesiam omnia quæ sunt veritatis, uti omnis quicumque velit, sumat potum vitæ (3) ». Quare nihil detrahi, nihil addi potest cœlesti dogmati, quod semel revelatum esse sufficiat (4).

11. Reiiciendam esse præsertim declaramus novam illam rectæ rationi repugnantem *falsi nominis scientiam,* quæ fundamentum etiam est *critices historiæ pariter falsæ.* Per eam enim eraduntur omnia, nulla investigatione instituta, quæ rerum ordinem supra naturam attingunt, mysteria, prophetiæ, miracula: atque, ablato supernaturali ordine, ablata Iesu Christi divinitate, longe aliam « necesse est extrui de Ecclesiæ originibus historiam: ideoque, lubito suo, novarum rerum molitores monumenta versant, ea non ad sensum Auctorum, sed ad suam ipsorum voluntatem trahentes (5) ».

12. Dolemus vehementer Sacram Scripturam præ manibus novatorum et horum omnium virorum suo privato iudicio plus æquo fidentium, cœptam esse suis sensim minui veritatibus, donec « omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est: itaque ipsa sacra biblia, quæ antea christianæ doctrinæ unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mithicis commentis accenseri cœperunt » (6). Multa et gravia de re biblica monet s. m. PP. Leo XIII in suis litteris encyclicis, *Providentissimus.* Explodit vehementius novam quandam *scientiam*

(1) Tertullianus, *De præscr.* c. 37. Migne t. 2, p. 50.
(2) Tertullianus, *Adv. Marc.* c. 5. Migne t. 2, p. 366.
(3) S. Irenæus Adv. Hær. l. 3, c. 4. Migne edit. lat. t. 5, p. 767.
(4) Cfr. Lirinensis *Commonit.* I, n. 21. Migne t. 50, p. 666.
(5) Pius PP. X, Encicl. *Iucunda sane,* 7 mart. 1904.
(6) Conc. Vat., Const. 1, proem.

rerum biblicarum a theologia seu ab Ecclesia (ut aiunt) *liberam* et in futurum constituendam; « quam tamen ipsimet auctores (ut ipse Leo ait) adeo incertam habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant (1) ».

13. Fatemur quidem ad primam pertinere christianæ religionis demonstrationem ut quis sacra biblia ut humanæ historiæ testimonia ad tempus assumat; ea namque ratione et humana auctoritas sacrorum bibliorum evincitur, et signis multiplicibus via sternitur ad comprobandum Deum nobis hominibus esse locutum. Integer tamen et genuinus Bibliorum sensus ab Ecclesia petendus est; quum ii libri « non modo revelationem sine errore contineant, sed Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habeant auctorem, atque ut tales Ecclesiæ traditi sunt (2) ». Iure igitur declaramus damnandum esse inductum illud a neotericis artificium, *sublimioris* cujusdam *critices* nomine honestatum, quo quis in quæstionibus historicis plus æquo confidit argumentis, quod aiunt, *internis*, seu deductis ab ipsis libris; itemque confidit acutiori novo philosophandi generi, posthabitis historiæ testimoniis.

14. Magna profecto cœcitas mentis est et ingens eorum hominum calamitas, qui Christianæ fidei regulam procul ab Ecclesiæ magisterio temere ac frustra sibi exquirunt. — Absonum est in privato cuiusque hominis iudicio fidei regulam ponere: quod si quis conatus erit, non ille divinam assequi poterit veritatem, eamque omnibus hominibus communem, incommutabilem atque æternam (quæ notæ divini operis sunt), sed potius ludibrio erit phantasmatum fallacium et amentis omnis cogitationis. In qua re Beatus Hilarius iamdiu scripserat: « Miserabile est tot nunc fides existere quot voluntates: tot nobis doctrinas quot mores:

(1) Leo XIII, Encycl. cit. 18 nov. 1893.

(2) Conc. Vat, Const. 1, c. 2.

tot causas blasphemiarum quot vitia... Annuas atque menstruas de Deo fides decernimus.... Dum plures (fides) fiunt, ad id esse cœperunt, ne ulla sit (1). »

15. Absonum item est fidei nostræ regulam in concesso quodam homini cuique divinitatis afflatu collocare, eoque tamquam necessario humanæ naturæ complemento seu etiam addito præ opportunitatibus. Commentitius enim est iste divinitatis afflatus; quem qui iactitant se habere, in maxima nedum errorum sed et vitiorum monstra prolabuntur. Neque id mirum: quum et ipse Satanas, se in angelum lucis transfigurat (2), qui maximus est inimicus crucis Christi (3).

16. Absonum denique est divinæ fidei Regulam ab ullo mundano sapientium hominum cœtu sibi unquam præstolari. Neque enim unquam crux Christi (4) evacuari poterit ab ulla hominum sapientia, quæ neque diu lateque sibi constans fuit. Qui autem de sæculo callidiores et sapientiores sunt, hos arguit Apostolus *semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (5).

CAPUT III.

De Prædicatione Verbi Dei.

17. Predicatio primum atque nobilissimum munus est in Ecclesia Christi. Nihil acceptius, nihil opportunius, nihil magis necessarium prædicationis ministerio; his præsertim temporibus, quibus quo fraudulentius scientia falsi nominis obtenditur et vitia debacchantur, eo turpius scientia salutis ignoratur et veritates præ oculis hominum minuuntur.

(1) Lib. ad Constantium et Cons. Imp. Migne t. X, p. 566 et 567.

(2) 2 Cor. 11, 14.

(3) Philip. 3. 18.

(4) I Cor. 1 17 et Gal. 5. 11.

(5) 2 Tim. 3, 7

Necesse quidem est Christi sacramenta ministrare, verum antea præbendum est pabulum Verbi Dei. Maxime ergo curanda est prædicatio, quæ præcipua est in eo Ecclesiæ ministerio præclarissime fundatæ, quo Christus perennare munus sibi a Patre assignatum voluit (1).

18. Prædicandi munus iure divino penes magistros est, quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (2). In partem autem nobilissimæ eius pastoralis sollicitudinis assumuntur presbyteri, sive pro officio suo in animarum curam deligantur, sive pro opportunitate ad prædicandum mittantur.

19. « Auctoritatem sacrosanti Concilii Tridentini et veterum Patrum secuti, in Domino Episcopos hortamur, ut toto pectore in curam prædicationis incumbentes, ipsimet, præsertim in Ecclesia sua, greges sibi commissos verbo Dei pascant. Quod si levi de causa, aut quodam animi languore impediti non fuerint; sciant prætermissi necessarii officii præcipue Deo Iudici rationem esse reddendam. Sin autem se interdum vere impeditos cognoverint; per viros idoneos, ex præscripto eiusdem Concilii deligendos, hoc munus studiosissime populo præstent (3). »

20. Quicumque parochiales vel alias curas animarum habentes quocumque modo obtinent Ecclesias; ii Tridentina lege tenentur, statutis etiam sub pœnis, « per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint,... plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate salutaribus pascere verbis; docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam

(1) Leo XIII in Encycl. *De Jesu Redemptore*, 1 nov. 1900.

(2) Cfr. Leo XIII, Encycl. *Sapientiæ christianæ*, 10 ian. 1890.

(3) Conc. Prov. I, 33.

consequi valeant (1) ». Item, ut eâdem Tridentina lege iubentur, « frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex iis quæ in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cœtera, sanctissimi Missæ sacrificii mysterium aliquod declarent (2) ». Pro suo quisque officio sacerdotes Coadiutores Parochis suam operam præstent: Parochus autem semel aut bis in mense uni alterive e suis Coadiutoribus homiliam committat (3).

21. « Nemini Episcopus concionandi facultatem concedat nisi illius scientiam et peritiam vel examine vel alia ratione in eo munere præter alia probarit (4) ». Concedat vero iis tantummodo sacerdotibus, qui zelo animarum incensi et moribus spectati, strenue valeant Christifideles ad virtutem incitare, a vitiis avellere, eosque « testimoniis divinarum litterarum et SS. Patrum doctrina atque exemplis, et sacris Ecclesiæ traditionibus, et similitudinibus et sanctioribus figuris (5) » bene edocere et communire.

22. Laici in Ecclesiis omnino vetantur concionari: sacerdotes ipsi concionari ne audeant, nisi præhabita ab Episcopo facultate. Minores clerici unis pueris incumbant cathechizandis. Canonici Ecclesiæ Cathedralis et sacerdotes, qui ordinario jure curam animarum gerunt, publice concionari in sua diœcesi permittuntur.

23. Aliarum Diœceseon sacerdotes conciones sacras habere ne audeant, neve permittantur, nisi præhabita facultate Episcopi ejus loci ubi concionari optant, delatis quidem ab Episcopo suo testimonialibus litteris de vitæ probitate deque idoneitate ad sacrum prædicandi munus (6). Regu

(1) Sess. 5, *de ref.* 2.

(2) Sess. 22, c. 8.

(3) Vide *Litteras Archiep. et Ep. Prov. Med. ad Ven. Cler.* 4 nov. 1891, p. 11.

(4) Conc. Prov. V, 523: Cfr. decretum S. C. EE. et RR. 31 iul. 1894, — Vide etiam App. IV, n. 2.

(5) Conc. Prov. IV, 336.

(6) Conc. Prov. III, 237; et C. Pr. VII, v. 4.°, p. 344.

lares, quemadmodum etiam cautum est in Concilio Tridentino (1), deferant attestationes et licentiam superioris sui, et benedictionem petant ab Episcopo. Ex aliena item diœcesi nemo sacerdos, sive sæcularis sive regularis, nedum conciones sacras, sed etiam publicas ullas collationes de quocumque themate et in quocumque loco, etiam profano, habere unquam audeat, sine Episcopi loci permissu.

24. Homilia aut sacra concio in nulla parœcia omittatur diebus Dominicis aliisque festis quæ de præcepto sint (2), seu quæ populari peragantur devotione et pietate. In iis vero parochialibus Ecclesiis, in quibus Missæ plures diebus festis celebrantur, itemque in subsidiariis Ecclesiis atque publicis oratoriis, præsertim ruri, brevis habeatur sermo, facili eloquio, in certa aliqua saltem Missa, quin omittatur homilia Ecclesiæ parochialis. Nisi forte Episcopus id duxerit faciendum, non in una tantum, sed in omnibus etiam Missis. In festivitatibus Domini, earumdem explicentur mysteria (3): imo etiam, quum peculiares supplicationes indicuntur vel iubileum celebratur, proprio commendentur sermone (4). In festivitatibus Deiparæ Virginis et Sanctorum, titulari aut patronali præsertim parœciæ cuiusque festo, salutaria de B. Virgine vel Sancto verba fiant.

25. Aliis quoque redeuntibus quotannis opportunitatibus, commendamus Parochis, ut per se aut per alios conciones habeant, vel saltem aliqua pia verba faciant. Primo quidem ad Tridentini mentem atque præceptum in Quadragesima et Adventu Domini (5): deinde etiam iuxta laudandas consuetudines, prouti in Domino Parochis iisdem visum fuerit, at præcipue in frequentioribus oppidis, mense

(1) Sess. 5 *de ref.* c. 2.

(2) Ibid.

(3) Conc. Prov. III, 236.

(4) Ib. seqq.

(5) Sess. 24 *de ref.* c. 4.

Iunio pro divino SS. Cordis Iesu cultu: mensibus Maio atque Octobri ad fovendam erga B. V. Mariam devotionem: mense Martio pro pietate erga B. Virginis purissimum Sponsum S. Ioseph. Item in Oratione 40 horarum, in novendialibus sacris Pentecostes et Natalis Domini diebus, atque aliis novendialibus vel octavis diebus, præsertim pro defunctis.

26. Decimo saltem quoque anno, sacræ missiones ad populum in singulis parœciis habeantur ad vitia extirpanda et bonos mores solidandos. Nihil erit optatius quam quod præter eas Missiones, quæ universo populo statuuntur, breviores et peculiares alii per annum sermonum cursus seu *exercitia spiritualia* habeantur, pro singulis fidelium cœtibus, pro operariis atque adolescentibus: idque præsertim in præparationem diei Paschatis.

27. In concionibus sacris, præcipue Parochialibus, plerumque rerum moralium argumenta erunt tractanda. In omni longiori prædicationis cursu, ac præcipue in quadragesimali quotidiano, præter Novissima, concionatores agant de fidei necessitate, de mediis ad eam consequendam, de christiana catechesi frequentanda, de Ecclesia, de R. Pontifice, de christiana filiorum educatione, de die Festo sanctificando, de blasphemia deque pravis libris et ephemeridibus vitandis.

28. Quæ pressius pertinent ad dogmata, commodius tradentur atque perficientur in explananda doctrina christiana. Quæ vero contra hæreticos vel incredulos disputantur et difficiliora sunt captu; nonnisi de Episcopi licentia, ex opportuna vel necessaria causa, concione congrua, ab idoneis et ab Episcopo probatis oratoribus sunt attingenda.

29. Concionator vitet disputationes omnes atque eruditorum hominum concertationes, quæ profanas Academias aut theologicas studiorum aulas, non autem sacram deceant Cathedram. Nullo modo popularem quæritet admi-

rationem et gloriolam, novas quasdam inauditas religiosas res e suggestu docendo. Profanas omnes vocum novitates fugiat: SS. Patrum ac theologorum, non vero profanorum auctorum citationes adducat, rarissimis factis exceptionibus. Neque unquam populum alloquendo, venerabilibus ac probatis Ecclesiæ traditionibus refragetur aut adversetur cum scandalo fidelium et iactura fidei. Si quis autem in ea re defecerit, Episcopi graviter animadvertant.

30. Concionator (quod Sanctus Augustinus scite monet) in illud toto animo, adiutrice divina gratia, incumbat, ut verbis perpetuo æqualem vitam agat. Quum autem debeat esse specimen virtutum; non solum ne peccatis, sed etiam ne exemplo nocebit (1). Ubi ex studio librorumque tractatione cognoverit quod concionaturus est; quæ animo conceperit, etiam atque etiam diligenter pieque meditabitur. Sanctas commotiones quales in aliarum mentes transfundi cupit, ipse animi sensibus recte conceptas quasi spectandas cœteris proponat (2).

31. Elocutionis genus exquisitum ne affectet: poeticum dicendi genus ne consectetur: anicularum non adhibeat proverbia: inflata oratione ne utatur, sed gravi: exordiatur temperato dicendi genere: vim dicendi vehementem ne affectet importune, sed ad eam Spiritus Sancti ope atque auxilio feratur: ne ambigue loquatur: ne concise item, ut auditores incerti sint: ne obscure (3). Denique his præsertim temporibus opportunæ studeat brevitati: atque ideo ne idoneam unquam, eamque proximam omittat ad concionandum præparationem: iuniores vero sacerdotes conciones suas scribant.

32. Accurate semper fugiantur in concionando obtrecta-

(1) A. E. M. Instructionum prima: *Prædic. V. D. De præcipua vitæ ratione* etc., p. 1217-1218.

(2) A. E. M. Instructio ut supra *De præparatione* p. 1220-1221.

(3) A. E. M, passim ex instruct. ut supra *De elocut.* p. 1244-45.

tiones quæcumque atque etiam vanæ laudes quorumcumque hominum, præcipue adstantium atque audientium. Vetamus quominus in fine prædicationum, maxime Quadragesimæ et Adventus personæ quævis privatæ nominatim benedicantur: omnes autem fugiantur assentationes, et tumida verba si quid interdum de publico aliquo viro erit attingendum.

33. « Curent Episcopi ut quum Parochi tum alii quibus concionandi munus commissum est, accurate legant et diligenter observent quæ in libro Instructionum *de Prædicatione Verbi Dei* ex præscripto Conciliorum huius Provinciæ continentur » (1): item quæ *de prædicatione* monita iam antea a S. Congregatione EE. et RR. edita sunt de mandato f. r. Leonis XIII (2), nunc vero eo magis urgentur, datis a SS. D. N. Pio PP. X encycl. litteris, in quibus alia plura adduntur hic etiam a nobis revocata atque imperata (3). Ne autem ullius excusetur ignorantia, duo illa documenta clericis quotannis legi mandamus in seminario. — (V. Append. IV).

CAPUT IV.

De Doctrina Christiana.

34. Doctrinæ Christianæ opus, S. Carolo periucundum, non immerito quis duxerit ipsius Christi prædicationis potiorem partem dicere. Id enim est opus, quo præcipue nunciatur Christus et religionis pellitur ignorantia; dum e. contra hoc *unum gestit* christiana religio, *ne ignorata damnetur* (4). Nec dubitandum videtur « magnam eorum partem, qui æternis suppliciis damnentur, eam calamitatem

(1) A. E. M. vol. 4°, Conc. VII, p. 343.

(2) Litteræ Encycl. S. Congr. EE. et RR. 31 iul. 1894.

(3) Pius PP. X, *Pieni l'animo,* 28 iulii 1906.

(4) Tertullianus in Ap. 1. Migne t. 1, p. 260.

subire ob ignorantiam mysteriorum fidei (1) »; quemadmodum et in nostra hac ætate illud experimur, alienos a Iesu Christo plerosque esse ignoratione magis, quam voluntate improba (2), et gravissima huius ætatis errata et mala præcipue ex ignoratione divinarum rerum esse repetenda: in iis quoque qui profana eruditione adfatim pollent (3). — Verum de ea re multa nuper SS. Dominus Noster Pius PP. X graviter ac sapienter edixit: quibus quidem obsequi volumus, nullo addito aut imminuto verbo. — (V. App. V).

35. « Parochi universi ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis et festis per annum, nullo excepto, per integrum horæ spatium pueros ac puellas de iis, quæ quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam ex catechismi libello erudiant.... Quoniam vero, hac præsertim tempestate, grandior ætas, non secus ac puerilis, religiosâ eget institutione; parochi universi cœterique animarum curam gerentes, præter consuetam homiliam de Evangelio, quæ festis diebus omnibus in parochiali sacro est habenda, eâ horâ quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illâ tantum exceptâ qua pueri erudiuntur, ad catechesim fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accomodato. Qua in re Catechismo tridentino utentur, eoque utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent, quæ de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et præceptis Ecclesiæ (4) ». — Pro nostra pro-

(1) Ben. XIV, Instit. 26, 18. Vide etiam Encycl. *Ubi primum*. 3 dec. 1740; Encycl. *Etsi minime*, 6 feb. 1742; Encycl. *Cum religiosi*, 26 iun. 1754.

(2) Leo XIII, Encycl. *Tametsi futura* 1 nov. 1900.

(3) Pius X, Encycl. *Acerba nimis* 25 april. 1905.

(4) Enc. cit. — Ast nedum diuturna consuetudo, verum etiam temporum per annum adiuncta in his diœcesibus hoc ferunt ut ab explicanda consueto more christiana doctrina excipiantur festi dies Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Patroni parœciæ et dominica, in qua Oratio quadraginta horarum celebretur.

vincia quinquennii spatio id explendum constituimus: curent autem Parochi, ut minor instructio quæ datur in *classibus,* illud repetat quod *e suggestu* docetur.

36. Declaramus laudandam esse nostram complurium locorum consuetudinem, quâ christiana doctrina unâ eâdem horâ post meridiem traditur populo, seorsus adultis, seorsus pueris ac iunioribus, apte quidem divisis inter plures sacerdotes, aut alios magistros officiis. Ubi vero id fieri nequeat, consulto Episcopo, quo meliori possunt modo, res ad præscriptum Apostolicæ Sedis adducantur. Illud autem servandum omnino præcipimus ne, quâ horâ cathechesis christiana populo haberi debet, oratio panegyrica, aut alius sermo recitetur, cui potius horis antemeridianis locus detur.

37. « Iidem statis anni temporibus pueros ac puellas ad Sacramenta Pœnitentiæ et Confirmationis rite suscipienda præparent, institutione per dies plures continenti (1) ». — Præparentur ergo quoad Pœnitentiam quo meliori et laudabiliori possunt modo: quoad Confirmationem per duas saltem hebdomadas, una quotidie hora.

38. « Item ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimæ atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis præceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent (2) ». — Id quidem de more solito. Quod si forte, iustis de causis, longe a Paschate ad sacram Synaxim pueri sunt promovendi, præparentur antea per integrum et amplius mensem.

39. Verum in hoc tanto spirituali negotio, duo acrius questus est ipse S. Carolus, de quibus angi Nos multo ægrius nunc cogimur. Primum quidem non paucos negle-

(1) Ibid.

(2) Ut supra.

ctæ nimis aut nullius coscientiæ patres familias et dominos nullam adhibere diligentiam, ut sui liberi ac famuli christianam doctrinam addiscant, neque eis vacui temporis tantum concedere quo convenire possint ubi traditur. Monet inde confessarios in eos opportuna pœnitentia animadvertendum esse cum interminatione ultionis divinæ (1). Aliud quoque dolet, vereri se, ne forte huius Provinciæ populi, hæreticis finitimi, in aliquam impietatis ac nefariæ doctrinæ fraudem facilius adducerentur, nisi in fidei fundamentis stabiles essent ac firmi (2).

40. Eadem multo vehementius Nobis dolenda. Nam et adolescentuli nostri, et adultiores quoque operarii non raro operam locant per officinas quæ vere sunt impietatis sentinæ, aut ad exteras gentes migrant, mercedes sibi et nova vitia quæsituri. Lugendæ huic rei, quo meliori possunt modo, caveant Parochi. *Omnibus omnia* (3) fiant: monitis, documentis, peculiari auxilio oves sibi commissas iuvent: singularibus atque exquisitioribus christianæ Doctrinæ institutionibus roborent (4): demum etiam proxime discessuris aliquo pio ritu et spirituali exercitio valedicant, quemadmodum utiliter fit pro abeuntibus in militiam.

41. « In omnibus et singulis parœciis consociatio canonica instituatur, cui vulgo nomen est Congregatio Doctrinæ Christianæ. Ab eâ parochi, præsertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt: qui se huic dedent magisterio, tum studio gloriæ Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt (5) ». — Eam Congregationem, quantum fas est, ad S. Caroli regulas componi volu-

(1) Conc. Pr. V, 526.
(2) Conc. Pr. V, 524-525.
(3) I Cor. 9, 22.
(4) Opportune in hunc locum Clemens VIII Bulla *Cum sicut,* 26 iul. 1596.
(5) Pius PP. X, ut supra.

mus, de præscripto cuiusque Ordinarii (1): itemque ad eam fovendam volumus concessas indulgentias in Ecclesia interdum evulgari (2).

42. Quum nuper ipsius Pii PP. X iussu, novus elementarius catechismi liber editus sit, qui paucis immutatis in eum redit a Nobis recens approbatum, edicimus illum ipsum nuper Apostolicæ Sedis cura editum in universis scholis nostris, seu in Ecclesia seu extra, seu publice seu privatim, esse unice in posterum retinendum. Iterum autem edicimus maiorem alium catechismum de mandato Concilii Tridentini ab Apostolica Sede longo studio in ordinem redactum et tot laudibus cumulatum, ut olim a S. Carolo et a Conciliis Prov. nostris mandatum est (3), omnibus saltem sacerdotibus docentibus præ manibus esse debere: omnesque Parochos catecheses suas ad mentem, ad opiniones et documenta illius libri necesse esse informare (4).

43. Illud semper in usu fuit in omnibus tum publicis tum privatis scholis, iussu quoque et Ecclesiæ lege (5), catechesim pueris tradi. Inducti nunc novi mores, sane lugendi. Ubi ergo in puerorum scholis opportuna catechesis desideratur vel negligitur; Parochus non solum diebus festis eos alumnos doceat cum cœteris pueris, verum etiam aliâ per hebdomadam deligendâ die, præcipue feria V, in Ecclesia doceat.

44. « Maioribus in urbibus, inque iis præcipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholæ religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitæque christianæ institutis iuventutem, quæ publicas scholas ce-

(1) Vide A. E. M. vol. tertio *Costitutioni e regole* (italice) etc.

(2) Conc. Pr. III, 234-235.

(3) Conc. Pr. I, Pars 2.ª, pag. 63: v. *Istruzione gen. per le cose materiali pertinenti alle chiese* ecc., p. 1959: v. etiam Conc. Prov. II, p. 189 et Conc. Prov. IV, p. 456.

(4) Cfr. Encycl. *Depuis le jour*, Leonis XIII, 8 sept. 1899, et Enc. cit. Pii X.

(5) Conc. Lat. sub. Leone X, sess. 9.

lebrat, ubi religiosæ rei mentio nulla iniicitur (1) ». — Hanc quidem rem compluribus in locis novimus et lætamur iam esse initam, verum curanda est amplius ac provehenda.

45. Nemo est sacerdos ad quem cura docendi plebem non pertineat, quum a sacerdotibus « divinæ legis notitiam christiana plebs expectat, illosque ad eam impertiendam destinat Deus: *Et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est* (2). ». Ecclesiastici omnes sciant vigere adhuc et innovare Nos Concilii Prov. IV decretum quo consulitur; ut clerici quicumque, quâ horâ in choro divinis officiis concelebrandis adstricti non sunt, in Doctrinæ Christianæ scholis, Parochum adiuvent intra cuius Parœciæ fines inhabitant (3). Innovamus item decretum de iis qui ad ordines promovendi sunt, ut præter alia, ferant testimonia, quum extra Seminarium degerint, Doctrinæ Christianæ scholas se frequentasse (4).

46. Operarios et adiutores scholarum Doctrinæ Christianæ Parochus studeat quam plurimos cuiusvis conditionis, status et ætatis homines probatos, tum mares, tum fœminas, adscribi, adscriptosque sedulam operam navare (5). Duo præsertim S. Caroli monita illis in memoriam revocet: primo quidem christianam doctrinam edocere opus esse maxime divinum: per hoc enim auxiliantur Deo in animas ad Deum ipsum perducendo (6): deinde vero non parum esse indulgentiarum thesaurum, cuius erunt participes (7). Quos ergo opportunos atque etiam necessarios docendo alios Parochus existimaverit, hos citius deligat, patienter

(1) Pius X, Encycl. ut supra. Vide etiam Conc. Prov. VII, vol. 4°, p. 246.

(2) Encycl, ut supra.

(3) Conc. Prov. IV. p. 341.

(4) Conc. Prov. IV, p. 367.

(5) Conc. Prov. III *De Scholis Doct. Christ.* pag. 235.

(6) A. E. M. vol. 3ª *Institutum Doctr. Christ.* pag. 149.

(7) Conc. Prov. III, pag. 235, vol. 3, pag. 262.

ipse instruat, et futuros sibi scholarum magistros præparare curet; in quam rem valde opportunum erit de catechesi magistrales scholas instituere.

47. Benemoratus quisque Christi fidelis reputet sibi quoque ea dirigi verba, quæ ultimo leguntur in recitatis pontificalibus litteris: *Si quis est Domini, iungatur mecum* (1). Cœleste regnum Christi, contrito tristis huius sæculi vitulo aureo, instaurandum et propagandum est, et curandum ut lætis omnibus affluat bonis. Ea erat S. Caroli in hoc opere admirabilis militia; qua quidem tripartito veluti agmine universum gregem visus est congregare. Nempe erant qui ab aliis *scientiam salutis* et *christianam legem* edocerentur: erant alii qui docerent vel qui docentibus auxilio essent, quorum certe manca et invidiosa apud homines laus (2), magna tamen merces est apud Deum: erant denique qui exirent per vias et sepes, et vagantes ibi, seu viros seu pueros, in domum Dei compellerent intrare (3). Doctrinæ Christianæ opus *actio catholica* est præ omnibus necessaria; neque sine eâ ulla catholica actio est celebranda.

CAPUT V.

De præcipuis huius ætatis erroribus.

48. Honor Dei et Iesu Christi D. N. atque animarum salus in hodierna pravarum opinionum colluvie urgent Nos ad veritatum fidei patrocinium suscipiendum et errores ex animis avellendos (4). Quare exempla sequuti Decessorum Nostrorum, præsertim vero Sanctorum Ambrosii et Caroli,

(1) Ex. 32, 26 et Encycl. ut supra, circa finem.

(2) Encycl. ut supra a medio.

(3) Luc. 14, 23.

(4) Cfr. Enc. *Sapientiæ Christianæ*, 10 ian. 1890.

omni ope niti debemus, ut idem audiri possit de hac Ambrosiana Provincia, quod ab Ambrosio auditum est de Italorum gente: *Italia aliquando tentata, mutata nunquam* (1).

49. Syllabum errorum, quem Pius PP. IX edendum curavit (2) et Leo XIII compluries confirmavit, edixitque ab omnibus tenendum (3), retinemus: atque errores omnes a Christi Vicario damnatos, proscriptos et reprobatos, uno ore, una mente et uno corde damnamus, reiicimus et reprobamus; non enim « quærendum examen quod iam factum est apud Apostolicam Sedem » (4). — (V. Append. VI). — Alios quoque errores omnes reiicimus et diligenter fugiendos declaramus, qui ad illos atque ad hæreticam pravitatem plus minusve accedunt: atque omnes officii monemus ut accurate servent Constitutiones et Decreta, quibus opiniones pravæ a S. Sede de die in diem proscribuntur et prohibentur (5).

50. Revera iidem antea a Pio PP. IX atque Leone XIII errores pluries confossi, alio iterum discursu, habitu, sermonis gyro, abstrusiori seu clariori stylo et eloquio, plus minusve immutati aut evoluti in dies renascuntur. Namque incidimus in tempora, traditæ a Patribus sapientiæ inimica magis, quam unquam antea » (6): illudque primo conquerendum est « statam studiorum rationem Ecclesiæ iudicio ac sæculorum usu probatam, ex cupidine recentiora con-

(1) *De fide*, l. 2, c. 16. Migne, t. 16, p. 590.

(2) V. in Actis Pii PP. IX, Encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864: quæ etiam inscribitur *de fallacibus opinionibus huius temporis*. Adiecta est, tanquam eius Encyclicæ absolutio et complementum, *Syllabus complectens præcipuos nostræ ætatis errores* ecc. Iungebantur etiam de ea omni re litteræ missivæ a Cardinali Secretario de mandato SS. ad universos orbis Episcopos conscriptæ.

(3) Acta Leonis XIII: Encycl. *Inscrutabili*, 21 apr. 1878; *Licet universum*, 28 aug. 1879; *Tuas excepimus*, 27 iun. 1884; *Immortale Dei*, 4 nov. 1885.

(4) S. Aug. op. imperf. ad iul. lib. 2, c. 103. Ed Migne, 45, p. 1183.

(5) Cfr. Conc. Vat., const. 1, c. 4, circa finem.

(6) Pius PP. X, Ep. *In præcipuis* , De Rom. Accad., 23 ian. 1904.

sectandi plurifariam defecisse » (1): « placuisse novatoribus philosophari citra quempiam ad fidem respectum, data potestate quælibet pro lubito excogitandi...: catholicorum quoque philosophorum animos hoc novitatis studium pervasisse, qui patrimonio antiquæ sapientiæ posthabito, maluerunt moliri nova quam vetera novis perficere » (2). Multiplicia inde et gravia orta sunt mala quibus ætas nostra premitur; quibus quidem sanandis in Thomisticis doctrinis inest eximia quaedam vis ac virtus singularis (3): cauto tamen « ne doctrina supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur » (4), neque etiam ea hauriatur « qualem præiudicata opinio, a communibus et probatioribus aliena, suaserit » (5).

51. Iteratis Apostolicæ Sedis monitionibus atque præceptis non satis animum intenderunt neque satis obtemperarunt catholici quoque scriptores non pauci. Placuit consectari et moliri nova, eâque ratione non ut *vetera novis augere* (6) viderentur, sed e contra vetera falsis opprimerentur. Ex uno ergo falso philosophandi genere non exigua nata est errorum series, non solum in rebus philosophicis, sed etiam in theologicis, in iuridicis ac moralibus.

(1) Ibidem.

(2) Leo XIII, Encycl. *Æterni Patris,* 4 aug. 1879.

(3) Litt. 4 aug. 1880, *De S. Th. studiorum patrono.*

(4) Encycl. *Æterni Patris* circa finem.

(5) Alloc. 7 mart. 1880. *De studio phil. S. Th.*

(6) Leo PP. XIII, Encycl. *Æterni Patris* ut supra. — Pro toto autem hoc insequenti indice, confr. Conc. Vat. Cons. 1.ª per totum: Confr. etiam Encycl. *Provvidentissimus Deus,* 18 nov. 1893: Encycl. *Depuis le jour,* 8 sept. 1899, quæ confirmatæ sunt Encycl. ad Ep. Italiæ *Fin dal principio,* 8 dec. 1902. Confr. Pius PP. X Encycl. *Iucunda sane,* 12 mart. 1904. Vide etiam Epist. Gregorii XVI *Ad augendas,* 20 sept. 1835 de condemnat. Hermes. Vide theses Presbytero Bautain ad subscribendum traditas, quæ deinde probatæ sunt Ep. Gregorii XVI, 20 decemb. 1834. Vide theses a S. Congr. Ind. ad subscribendum traditas D. Bonnetty Rectori Eph. *Annales de phil. Chr.,* 11 iun. 1855.

52. Primus atque ingens nunc temporis error est eorum, qui asserunt humanam certitudinem inesse solummodo in iis cognoscendis quæ sub sensibus cadunt, neque ullo modo captum excedunt tum humanæ rationis tum etiam experientiæ. Hinc Dei existentiam et naturam, mysteria fidei, animæ immortalitatem, spiritualitatem, libertatem, supersensibilia demum omnia, vel prorsus negant, vel esse incognoscibilia affirmant; quorum quidem doctrina *positivismus* nomen audit, sive sit *materialistarum,* sive sit *agnosticorum.* — His alii accedunt, qui docent rationem humanam nullo modo posse per argumenta certa pervenire ad spiritualium et supersensibilium rerum cognitionem; earum tamen existentiam admittunt ex quodam interno rerum spiritualium desiderio, vel naturali sensu *decentiæ* et *convenientiæ*, ac veluti necessarium quoddam postulatum, super quo moralem scientiam liceat superstruere, quin tamen de illis obiectiva certitudo habeatur: quod quidem systema nomine *criticismi,* vel *neocriticismi,* vel *moralis subiectivismi* designatur. — Porro neminem latet pessimum hoc philosophandi genus catholicæ doctrinæ prorsus adversari. Neque enim incerto quodam aut *decentiæ* sensu aut cordis *desiderio* adducimur ad Deum; sed e contra catholica fide docemur: « Deum Creatorem et Dominum nostrum per ea quæ facta sunt, naturali lumine certo posse cognosci (1) »; Mysteria autem credimus propter externum divinum testimonium. Ab ipsa enim fide nostra docemur « in revelatione divina, vera et proprie dicta mysteria contineri »; neque hæc « posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari (2);.. revelationem divinam externis signis credibilem fieri (3) »,

(1) Conc. Vat. Const. I canon. II, 1.
(2) Ut Supra, IV, 1.
(3) Ut supra III, 3.

præcipue miraculis, atque « iis divinam religionis christianæ originem rite probari (1) »: quæ omnia *positivistæ* et *critici* undique permiscent et negant. Dubiâ vero humanâ libertate, Deoque ipso in quadam accessione humanæ voluntatis constituto, aut tollitur aut fit anceps atque arbitraria omnis humana moralitas.

53. Una simul cum *Neo-criticismo* reprobandam ducimus *immanentiæ doctrinam:* quo nomine ea omnia significamus philosophandi systemata quibus putatur neminem de ulla supersensibili veritate posse fieri certum ab ulla exteriori re vel auctoritate, nisi ea veritas ex se se in antecessum deducatur ab intime congenita unicuique homini libera natura aut privato instinctu divino. Negant enim debere hominem *heteronomiam* aliquam in se recognoscere ac statuere, nisi antea suam ipse asseruerit *autonomiam:* hoc est nullius unquam ius, ne ipsius quidem Dei, in se recognoscere poterit, nisi ipse prius se esse sibi legem affirmaverit. — Speciatim vero illud immanentiæ genus reiiciendum denuntiamus, qui *dogmatismus moralis* dicitur: eoque existimatur nulla exteriori re vel auctoritate, nulla humanæ mentis acie atque argumentatione, primo et per se certo posse cognosci supersensibiles et religiosas veritates; verum eas omnes statui et concludi ab ingenita hominibus voluntate, non quidem perversa, sed probata, non rudi atque inerti, sed omni bona operatione exculta. In qua sane re *dogmatismus moralis* dum se catholicæ fidei maxime obsequentem iactitat, in eosdem gravissimos errores labitur ac criticismus. Vult enim « sola interna cuiusque experientia, aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere (2) »: abiectisque exterioribus signis divinæ revelationis, universa fidei preambula et credibilitatis motiva

(1) Ut supra III, 4.
(2) Ut supra III, 3.

ad unam contendit reduci consensionem vel æstimationem plus minusve probatæ humanæ voluntatis: atque ipsa miracula ita æstimat quasi opportunitates tantum sint exercendæ bonæ voluntatis. Idem etiam *dogmatismus* veritates rationi pervias miscet et confundit cum mysteriis: et quum negat ab existentia mundi Dei existentiam certo posse concludi, falsissime docet ex uno rerum cœlestium desiderio, quod semper est in bona hominum voluntate, certo deduci et probari concessam hominibus fuisse supernaturalem revelationem et gratiam. De augustioribus autem fidei mysteriis, ut de Eucharistia et Trinitate, non veretur affirmare vacua esse symbola eorum quæ sunt peragenda, non autem eorum quæ secundum veritatem debent firmiter retineri.

54. Eidem *immanentiæ doctrinæ,* atque etiam ipsi *criticismo* et *morali subiectivismo,* alius quoque error nectitur eorum qui putant nullum discrimen interesse inter doctorum hominum opiniones ipsamque veritatem: atque ideo nullam veritatem sive speculativam sive moralem esse omnino immutabilem, sed una cum tempore, cum moribus et studiorum progressu iugiter evolvi, variari et rerum adiunctis, intimâ quoque naturâ suâ, attemperari. Oritur exinde non solum *relativismus speculativus* et *practicus* qui suprema evertit aut mutabilia habet humanæ moralitatis et veritatis principia; sed etiam *relativismus* oritur *dogmaticus,* cuius fautores temere contendunt posse se obsequi Ecclesiæ eiusque definitionibus, simulque credere catholici dogmatis veritatem uni Deo esse perspectam, nobis autem esse occultam; atque ideo singulis ætatibus atque hominibus aptari, augeri vel minui intrinsece posse, et ad diversa systemata philosophica, diversasque cogitationes immutari. Hæc quidem errorum portenta a Concilio Vaticano damnantur, lato anathemate in eos qui asserunt: « fieri posse ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando se-

cundum progressum scientiæ, sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia (1) ».

55. Ad idem errantium hominum genus reducuntur ii qui contendunt « non de vivendi solum disciplina, sed de doctrinis etiam, quibus *fidei depositum* continetur.... opportunum esse ad voluntates discordium alliciendas, si quædam doctrinæ capita, quasi levioris momenti, prætermittantur aut molliantur, ita ut non eundem retineant sensum, quem constanter tenuit Ecclesia (2) ». Ii autem errantes, quum catholicæ fidei observantiam servare adhuc curent, ad uberiorem confugiunt nunc temporis Spiritus Sancti influxum, qui in animos fidelium diffundatur, eosque agat et regat, liberos ac solutos ab Ecclesiæ magisterio. Quam quidem doctrinam a Concilii Vaticani definitionibus prorsus absonam (3), additis quibusdam aliis falsis placitis, sub *americanismi* nomine, iterum Apostolica Sedes damnavit (4).

56. Sectatores non desunt cuiusdam *eccletismi religiosi,* qui opinantur religiones omnes, quæ aliqua ratione in cultu Dei conveniunt, æque posse probari; itemque idoneas prædicari tum ad bonos mores instituendos, tum ad finem ultimum adsequendum. Ea vero in quibus catholica Ecclesia ab aliis religionibus seiungitur, ut hierarchicum regimen, sacramenta et magis augusta dogmata, accidentalia prorsus existimant, nec ullimode ad salutem necessaria (5). — Maximo e contra horrori fidelibus esse debet, quod quis divinam D. N. Iesu Christi revelationem et fidem, quæ unice vera est, immutare atque evacuare nitatur, et

(1) Conc. Vat. const. I, can. IV, 3.

(2) Vide Encycl. Leonis XIII, *Testem benevolentiæ*. 22 ian. 1899. Cfr. etiam litt. Archiep. et Ep. Prov. Milwaukiensis Am. in die Pentecostes 1899.

(3) Conc. Vat. ut supra.

(4) Encycl. ut supra.

(5) Confer monitum S. Officii 16 sept. 1864: nec non responsionem ad ministellos Anglos 8 nov. 1865, in App. Billuart, Ed. Palmé p. 234: Confer Epist. Leonis XIII ad Archiep. Naupactensem *Cœtus in fœderatis,* 18 sept. 1895.

in eius locum novam aliam substituere, quam pergunt formare humanæ rationi magis accommodam: hoc est philosophicis tantum fretam investigationibus (1), et ex omnibus aliis humani generis religionibus longo studio conditam, aut in posterum condendam, pro rata etiam cuiusque populi civilitatis parte.

57. Naturali fœdere cum antedictis erroribus non leves alii errores iunguntur. Sunt enim qui affirmant posse hominem, habitualiter saltem, immediate Deum cognoscere, nullâ quidem cognoscendo interpositâ creaturâ; sive quod humanæ menti congenita sit aliqua Dei operantis visio, sive quod humana mens ab aliqua informetur divina, ut aiunt, *pertinentia:* quæ est positio *ontologismi* vel *realistici* vel *idealistici* (2). Qui vero hanc tuentur doctrinam adiguntur confiteri se aliquid percipere ac perspicere de invisibili atque ineffabili Dei essentia, atque ideo se immediate assequi et nosse initia quædam supernaturalium mysteriorum. In qua re iure merito redarguuntur, quod inutilem reddant divinam revelationem et gratiam, atque miseram hominum cognitionem cum cœlesti Beatorum visione confundant ac fere coæquent.

58. Firmissime vero Nos profitentes Sacram Scripturam Spiritu Sancto inspirante esse conscriptam, atque adeo Deum habere auctorem (3), eamque Ecclesiæ esse traditam, cuius est de vero eius sensu et interpretatione iudicare (4), reprobamus eos qui nova quadam eaque falsa innixi *critico-historica arte,* hoc est morem gerentes *liberiori* cuidam *scientiæ* a Rationalistis invectæ (5), divinam

(1) Cfr. Syllab., n. 4 et seqq., n. 15 et seqq, Conc. Vat can. III, 2 etc.

(2) Confer Decr. S. Off., 18 sept. 1861, et Decret. *post obitum*, 14 dec. 1887, editum 7 mart. 1838. Vide etiam Ep. Leonis XIII ad Archiep. Med., 1 iun. 1889.

(3) Conc. Vat. const. 1ª, c. 2.

(4) In form. prof. fid. Pii PP. IV.

(5) Leo XIII, Enc. *Providentissimus,* 18 nov. 1893.

inspirationem extenuant, vel ad minores partes coarctant, eamque late undique vanam atque ludicram reddunt. Nullo enim solido argumento, sed levibus innixi coniecturis, gloriantur se in Bibliis Sacris non paucas itemque profanas reperisse *citationes,* quas aiunt *tacitas* vel *implicitas* (1): et exinde narratiunculas falsas veluti aniles fabulas existimandas esse blaterant, quæ sacræ olim de patriarchis et prophetis retinebantur historiæ. Iidem nulli parcentes opinioni temerariæ, sed omnibus dubietatibus viam sternentes, absque ulla solida probatione passim iactitant « hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiæ, parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum » (2). Deinde etiam ætatem sacrorum librorum multa post sæcula transferentes et tardantes, et omnia scribendi genera sursum deorsum vertentes, non pauca mutuant vetera errorum portenta, atque alia nova concludunt: inesse in scripturis « non vaticinia et oracula, sed aut post eventus prædictiones aut ex naturali vi præsensiones: ea non veri nominis miracula virtutisque divinæ ostenta, sed admirabilia quædam, nequaquam naturæ viribus maiora, aut præstigias et mythos quosdam: evangelia et scripta apostolica, aliis plane auctoribus tribuenda (3) ». Dolendum autem maxime est clarissima in ea re SS. Patrum, præcipue S. Augustini et Hieronymi, testimonia non raro distorqueri et denegari (4).

(1) Acta Commiss. Biblicæ Pontificiæ, 13 febr. 1905.

(2) Acta ut supra, 23 iun. 1905.

(3) Enc. *Providentissimus,* ut supra, paulo ante a medio.

(4) Cfr. S. Augustinum De Gen. ad litt. l. 8, cap. 1 et omnia seqq., M. t. 34, p. 372 etc., etc.; Cfr. S. Hieronymum in Comm. in Ep. ad Philem. v. 4, M. t. 26, p. 609 ubi hæc habet: — « Credit quispiam in conditorem Deum? non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis eius vera esse quæ scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius et latere fabricatam, *Enoch translatum, Noe naufrago solum orbe servatum;* quod primus Abraham

59. Liberiorem itaque illam falsi nominis scientiam seu criticam artem peculiari modo fugiendam esse declaramus, quæ præcipue in impugnanda versatur Mosaica authentia sacrorum librorum qui pentateuchi nomine designantur. Quo quidem miserabili conatu, non solum posthabentur quamplurima utriusque testamenti de auctore Moyse divina testimonia, itemque constans Ecclesiæ traditio et perpetua populi Iudaici consensio, verum et ipsa interna iudicia atque argumenta denegantur, quæ satis superque ex ipso textu eruuntur (1). — Eo commentitio sacra biblia interpretandi genere et prava philosophandi arte ad gravissimos deventum est nuperos errores ab Apostolica Sede damnatos — de fide primitiva, — de authenticitate doctrinæ sacræ et rerum quæ sunt in evangelio, — de divinitate et scientia D. N. I. Christi, — de divina institutione Ecclesiæ, — de Sacramentis. Quibus omnibus catholica fides nedum labefactatur, sed prorsus extinguitur. — Caveantur ergo qui talia docent, et illi pariter, qui falsam et perniciosam peccatorum hominum commiserationem ostentantes, tremendæ divinæ iustitiæ conantur detrahere: unde blaterant gravia peccata post mortem relaxari, et pœnas inferni tandem aliquando imminui, ac forte etiam extingui. Nos vero scimus et confitemur eos, qui bona egerunt, vitam æternam adepturos; qui vero mala, in ignem æternum

de terra sua et cognatione iussus exire, circumcisionem quam in signum futuræ prolis acceperat, posteris dereliquit; quod Isaac oblatus victima sit, et pro illo aries immolatus coronatusque sentibus passionem Domini deformarit; quod Moyses et Aaron decem plagis Ægyptum afflixerint; quod ad vocem Iesus filii Nave precesque steterit sol in Gabaon, et luna in valle Ailon.... *Hæc et cætera quæ de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit; nec adduci ad fidem veteris Testamenti, nisi quæcumque de patriarchis et prophetis, et aliis insignibus viris narrat historia, comprobarit: ut ex fide Legis ad fidem veniat Evangelii, et iustitia Dei in eo reveletur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide vivit* ».

(1) Acta Biblicæ Pont. Comm. 27 iun. 1906.

ituros, eoque igne non modo corpora, verum etiam spiritus, miris sed veris modis affligi (1).

60. In iis quæ humanæ societatis sunt, nequimus quin *socialismum* damnemus. Non equidem reprobamus operarios, qui iuste contendant meliorem sibi reddere conditionem, sive per leges condendas, sive per opportunas consociationes; sed socialismum reprobamus, cuius asseclæ «nihil, quod humanis divinisque legibus ad vitæ incolumitatem et decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt. — Sublimioribus potestatibus, quibus, apostolo monente, omnem animam decet esse subiectam, quæque a Deo ius imperandi mutuantur, obedientiam detrectant, et perfectam omnium hominum in iuribus et officiis prædicant æqualitatem. — Naturalem viri ac mulieris unionem, gentibus vel barbaris sacram, dehonestant: eiusque vinculum, quo domestica societas principaliter continetur, infirmant aut etiam libidini permittunt, » (2). — Ius denique proprietatis, in naturali lege fundatum impugnant, et futuræ æternæque vitæ præmia atque pœnas oblivioni tradunt, præsentium tantum bonorum cupiditate illecti (3).

61. Hos omnes errores atque hæreses vel opiniones pravas cœterasque consimiles falsitates et fallacias, aliasque insanas nuperrime a Pio PP. X damnatas novitates (4), reiicimus, reprobamus, atque omnino vetamus quominus in

(1) S. Aug., *De Civ. Dei*, lib. 21, 10; Migne, t. 41, p. 724.

(2) Leo XIII, *Quod Apostolici muneris*, 28 dec. 1878.

(3) Vide Encycl. Pii PP. IX, *Nostis et Nobiscum*, 8 dec. 1849: Encycl. Leonis XIII, *Quod Apostolici*: *de secta communistarum*, 28 dec. 1878: Encycl. *Humanum genus, de secta Massonum*, 20 aprl. 1884: Encycl. *Rerum Novarum*, *De Condit. Opificum*, 15 mai 1891: et alias passim epist. — Vide etiam litteras ab Archiepiscopo et Ep. Prov. Med. die 7 decembr. 1896.

(4) V. Pius PP. X, Enc. *Pieni l'animo*, 28 iul. 1906: Vide etiam nuperrima Apostolicæ Sedis documenta; Decretum C. S. O. *Lamentabili*, 3 iul. 1907; Encycl. *Pascendi Dominici gregis*, 8 sept. 1907; Motu-proprio *Præstantiæ Scripturæ*, 18 nov. 1907: atque hæc in App. damus.

diœcesibus nostris palam vel clam, scripto aut verbis doceantur, defendantur, vel ullo modo teneantur: omnes et singulos ad quos spectat officii monentes de accurate ediscenda atque excolenda sana doctrina, qua tot novi errores perimantur. Monemus etiam de nullo qualicumque favore antedictis erroribus præstando, vel eorum fallaciam dissimulando, vel errantes laudibus efferendo, vel profanas vocum novitates in sacrum usum adducendo. Eos denique improbamus qui positivismo et subiectivismo morem gerentes, non verentur contendere nomen scientiæ experimentalibus tantum doctrinis competere, denegandum autem theologiæ tum naturali tum etiam revelatæ. Quod si fiat, maxima oriretur rerum et verborum confusio, et magna esset Deo et Ecclesiæ contumelia, quum sacra theologia dignitate et certudine sua scientiarum omnium regina semper sit habita (1). — (V. Append. VII).

CAPUT VI.

De Officio Tuendæ Fidei.

62. Sacrosancta Vaticana Synodus, erroribus damnatis, pergit concludere « Omnes Christifideles, maxime vero eos qui præsunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur; ut ad hos errores a S. Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimæ fidei lucem pandendam, studium et operam conferant (2). » Omnes quidem Christifideles tenentur catholicam fidem inviolate servare, et Ecclesiæ magisterio firmiter adhærere: doctiorum autem erit, præsertim ecclesiasticorum, catholicam doctrinam ab ingruentibus erroribus vindicare.

(1) S. Th. 1. q. 1. a. 5.

(2) Conc. Vat. const. 1 circa finem.

63. Parochi et sacerdotes sapienter atque prudenter, seu in concionibus sacris, seu potius atque frequentius in christianæ doctrinæ explicatione, inundantes confutent opiniones pravas et errorum magistros mendacii arguant. Quæ autem fallaciæ ab heterodoxis struuntur, seu a falsi nominis scientia, seu ab ignoratis vel obnubilatis antiquitatis historiis; eæ profecto oppugnandæ erunt pro cuiusque plebis captu, pro locorum et temporum opportunitatibus, consultis probatis auctoribus et doctioribus viris, audito semper in graviori re Episcopo.

64. Librorum malorum pestis, a temporibus Apostolorum iamdiu nota et reprobata (1), magis magisque hodiedum in animarum ruinam vertit. Edoceantur fideles, alios libros Apostolicis litteris damnari et prohiberi sub excommunicationis pœna (2); alios item sub gravis culpæ reatu fidelibus interdici, et unâ simul cum prædictis in Indice librorum prohibitorum inscribi; alios autem vetari ab Ordinariis aut ipsa etiam naturæ lege prohiberi propter periculum perversionis (3). Omnes ergo libri pravi de manibus fidelium excutiantur, et impii aut inhonesti comburantur: invigilent filiis parentes, et heri servis. — (Append. VIII).

65. Quoniam autem æquum non est bonum vinci a malo, sed oportet vincere in bono malum (4); ad reprimendam pravorum librorum contagionem perutile erit ut quicumque docti viri sint, scripta parvæ molis, ab Episcopis prius probata, edant in ædificationem fidei ac salutarem populi instructionem. Curandum autem est ut eadem scripta atque alii sanæ doctrinæ libri, prout locorum ac persona-

(1) Act. 19, 19.

(2) Pius IX, *Apostolicæ Sedis* c. I. n. 2.

(3) Leo XIII, *Officiorum et munerum,* 25 ian. 1897.

(4) Rom. 12, 21.

rum ratio suggesserit, præsertim bibliothecarum parochialium institutione, inter fideles diffundantur (1).

66. Quæ de malorum librorum peste nunc diximus, eadem instantius de tot undique volantibus foliis et diariis sunt dicenda, quibus catholica religio impeti quotidie videtur; sive oppugnentur dogmata et morum præcepta, sive etiam voluptatibus lenocinia præbeantur aut ioculariter sacra omnia habeantur et præstantibus viris atque virtutibus sæpe sæpius ludificetur (2). Ab ea flagitie, omni quo fieri poterit studio, arceantur fideles ac moneantur ut, si quis ob sua negotia illa diaria perlegere necesse habet, licentiam ab Episcopo postulet.

67. Idonea remedia habeantur e contra catholica folia atque diaria, ut populi Dei ædificationi redeat quod destructioni eius pravi homines moliuntur. Ut autem catholici ephemeridum auctores germanam laudem retinere et causæ sanctissimæ prodesse veleant (3), maximopere solliciti sint ne opinionibus falsis aut ullo modo conniveant, aut mollius resistant, quam veritas patiatur (4.) — Deinde vero sanctum esto ut ne unquam Antistitum sacrorum consilia vel acta ad suum revocare iudicium ausint, neve patiantur discordia dissipari vires (5): atque ita fas erit eos « vereri maxime sacrorum Antistitum auctoritatem, persequi ductum, desideriis ipsis concedere (6) ».

(1) Cfr. Enc. *Nostis*, Pii IX, 8 dec. 1849.

(2) Vide litteras Archiep. et EE. provinciæ Mediol. datas die 15 iulii 1897.

(3) Leo XIII. Ep. ad Archiep. Turon., 17 dec. 1888.

(4) Leo XIII. Encycl. *De civit. constit. christiana*, 1 nov. 1885.

(5) Leo XIII. Ep. ad Episc. Lusit, 7 febr. 1895.

(6) Leo XIII. Ep. ad script. eph. *De Fjid*, 15 dec. 1895. Confer his atque prædictis alia plurima similia, ex. in allocutione ad Cath. Eph. Script., 22 febr. 1879; item ad Ep. prov. Med., 25 ian. 1882; ad presb. Sarda-y-Salvany, 15 mart. 1890: all. ad Hispanos, 18 apr. 1894; ad Ep. fœd. Amer. sept. civit., 6 ian. 1895.

68. Hæreticum hominem iubet Apostolus devitare, quia post debitas Ecclesiæ monitiones omni bona spe subversus est et proprio iudicio est condemnatus (1). A communicando cum hæreticis, late quidem in humanis, omnino autem in divinis, in Ecclesia semper fuit interdictum. Plectuntur excommunicatione, speciali modo R. Pontifici reservata, omnes a christiana fide apostatæ, aut hæreticis et apostatis credentes vel faventes, aut eos recipientes et quomodolibet defendentes (2): omnes vero sub gravi prohibentur adesse eorum *servitiis*, sola etiam curiositatis causâ et materiali (quod aiunt) præsentiâ. Moneantur autem opifices ut operam suam omnino recusent, in ædificandis atque ornandis hæreticorum templis, quum ea ædificatio in contemptum religionis fiat: secus vero eorum opera tolerari poterit, cauto ut nullum adsit periculum animæ (3).

69. Apostatas a fide, sive transierint ad falsam aliquam religionem, sive forte nullum amplexi sint cultum atque ita in fidei negatione notorie permaneant, seu etiam rationalismum, materialismum, atheismum, indifferentismum et similia profiteantur, ac publice aut privatim in scholis doceant, veluti exitiosi criminis reos tota christiana traditio monet esse vitandos, quantum potest, etiam in communi civili consortio. Periculosum equidem est hominibus id genus in scholis docentibus se præbere ultro auditores (4): atque ideo ne quis unquam pater adeo sui officii immemor sit, ut adolescentulos suos præceptoribus acatholicis aut apostatis atque impiis erudiendos vel moribus instituendos tradat: quod si quando necessitas præceptores huiusmodi audire cogat, eæ omnino adhibeantur cautiones, quibus re-

(1) Cfr. Tit. 3. 11.

(2) Const. *Apostolicæ Sedis*, 12 oct. 1869, c. 1, n. 1.

(3) Cfr. *Istruzione del Card. Vicario ai Parroci di Roma*, iussu Leonis PP. XIII, 22 iul. 1878.

(4) V. infra n. 471 et seqq.

motius fiat periculum perversionis. — Ne familiaritates instituantur cum iis qui nostri non sunt, sed abierunt a nobis nec permanserunt nobiscum (1). Neque vir quisquam aut mulier infidelibus aut apostatis operam suam famulando locet, nisi ab animæ periculis satis cautum sit, in qua re prudentiores consulantur sacerdotes.

70. Clandestinæ sectæ, quibus *adversa Christo* hodiedum *civitas* (2) accrevit, quo par est horrori cuique sint. Excommunicatione plectuntur - « nomen dantes Massonicæ aut Carbonariæ aut aliis eius generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimam potestatem seu palam seu clandestine machinantur »; atque item « eisdem sectis qualemcumque favorem præstantes, eorumve occultos coryphæos non denuntiantes donec non denuntiaverint (3) ». Sacerdotes animarum curam gerentes, populum doceant de inhonesta ipsarum natura et legibus: eas vero diligentius esse vitandas, quo magis interdum religionis speciem obducunt et simulant (4). Quin etiam si laica aliqua societas, vel ob nomen ducum, vel ob suam agendi rationem, videbitur nullius omnino esse aut etiam incertæ esse fidei, illico a populo catholico caveatur et quam citius amoveatur.

71. A mixtis catholicorum cum acatholicis coniugiis animarum curatores, quantum possibile est, fideles absterreant. Ea matrimonia semper Ecclesia est detestata (5), atque ægerrime nec sine causa gravi permittit: cauto, ut

(1) I. Ioan. 2, 19.

(2) Leo XIII, *Humanum genus,* 20 apr. 1884 a principio.

(3) Const. *Apostolicæ Sedis,* c. 2, n. 4.

(4) Confer Enc. *Humanum genus,* ut supra, et alias Const. *In eminenti,* 24 apr. 1738; *Providas,* 28 maii 1751; *Ecclesiam a Iesu Christo,* 13 sept. 1821; *Quo graviora,* 13 mart. 1825; *Traditi,* 21 maii 1829; *Mirari,* 15 aug. 1832; *Qui pluribus.* 9 nov. 1846; Alloc. *Multiplices,* 25 sept. 1865 et alia nimia.

(5) Confer Benedictum XIV. Declaratio et Instruct. super dub. respic. matrimonia in Holl. 4 nov. 1741 et Encycl. *Magnæ Nobis,* 29 iun. 1748.

omnis proles catholicâ educetur fide, neque ineundo coniugio catholicâ pars coram acatholico ministro se sistat, nisi hic forte munus agat tantum Officialis civilis (1). Porro ab illis quidem abhorrendum est, eo quod occasionem præbent vetitæ rerum sacrarum communicationi et societati, periculum creant catholici coniugis religioni, impedimento sunt bonæ liberorum institutioni, et persæpe animos impellunt ut sublato veri falsique discrimine, cunctarum religionum parem assuescant habere rationem (2); præterquam quod plurima comparant damna atque divortia.

72. A Spiritismi pravitatibus, in quibus tabulæ etiam numerantur, ut aiunt, loquentes, incolumes cupimus oves nostras. Parochi et Confessarii moneant nullam inesse excusationem in eo quod nulla inde impia sed omnia pia contigisse sibi videantur (3). — Hypnotismi seu magnetismi (quod aiunt) animalis usus, quamvis a spiritismo res esse queat satis diversa, non raro in plurima animi corporisque pericula comperitur adducere. Cæterum præ oculis habeantur S. Sedis declarationes et monita (4).

73. Superstitionibus de mente plebium avellendis tantum est curæ impendendum quantum laboris in religione stabilienda atque augenda. Parochi diligenter ei rei invigilent. Confessarii investigent num pœnitentes aliquod remedium adhibeant quod a superstitione proficiscatur: num tempora aut loca aut quid eiusmodi superstitiosâ opinione observent, et quos in re peccare noverint, graviter obiur-

(1) S. O. C. decret. 17 feb. 1864.

(2) Leo XIII. Encycl. *Arcanum* circa finem, 10 feb. 1880 et Ep. ad Ep. Hung., 2 sept. 1893.

(3) Confer Declarat. S. Officii, 30 mart. 1898: Cfr. S. Pœnit. 1 febr. 1882.

(4) Vide litt. Encycl. *S. Officii*, die 4 aug. 1856; Decr. 23 iun. 1840; 28 iul. 1847; atque etiam Declar. novam, 26 iul. 1899. Item S. Pœnit. 1 iul. 1841 et 1 febr. 1882.

gent (1). Ad præscriptum Sacrosancti Conc. Tridentini præcipue vigiletur ne qua obrepat superstitio aut vana observantia vel in cultu divino vel in Sanctorum invocatione eorumque reliquiis et imaginibus sacris (2). Ne tolerentur versuti, plerumque vitiosi, homines atque mulierculæ credulam decipere plebem, aut suis benedictionibus et certis orationum formulis, aut falsis enarratis miraculis, aut quod peius est, novis quibusdam fictis revelationibus. Leviores in ea re abusus in sacra pastorali tum personali tum delegata visitatione sunt deferendi (3): graviores vero citius Episcopo denunciandi.

74. De imminuta in Italia fide deque imminutis bonis moribus non semel questus est Leo PP. XIII, atque hæreticali peste Romam ipsam late tentari ac infici gravibus verbis condoluit, quum rudibus et egenis plebibus, insciis adolescentulis ac præcipue studiosæ iuventuti, lugendæ insidiæ struerentur. Sapienter complura monuit et cohortatus est. *Opus Præservationis fidei*, iam antea a Sancta Sede probatum, solatio sibi esse testabatur, atque iterum commendavit (4). Eadem et Nos hortata et monita pro his diœcesibus nostris iteramus: atque idem opus tuendæ fidei commendamus, quum præsertim in hac nostra Provincia conditum, non sine fructu visum sit apud nos frequentari. — (V. Append. IX).

75. Quod autem bonum nobis servare debemus, aliis etiam, ut idem adipiscantur, charitatis officio debemus optare. « Omni igitur cura providendum est ut qui in in-

(1) Conc. Pr. IV. 309.

(2) Conc. Trid. Sess. XXII, *Decret. de observ. et evit. in cel. Missæ;* et Sess. XXV, *De invoc. vener. et reliquiis SS.*

(3) Conc. Prov. IV. *De visit.*, p. 439 et *Instructio Visit.*, p. 1671.

(4) Leo XIII ad Card. Vicarium: *Già fin dagli esordii,* 19 aug. 1900; vide etiam breve 15 m. Mai. 1891. Cfr. etiam Ep. *Mirifice,* 9 sept. 1891: Encycl. *Dall'alto dell'Apostolico seggio,* 15 oct. 1890; et alia plurima.

fidelitate, aut hæresi, aut schismate degunt, alliciantur ad veram fidem; eaque omnia removeantur, quæ pio catholicæ fidei amplectendæ desiderio impedimento esse possunt » (1). — Item obnitendum erit ut pia opera *Propagationis fidei, Scholarum Orientis* et *Sanctæ Infantiæ* latius per diœceses nostras explicentur; plurimas enim utilitates fidelibus nostris comparant, eaque RR. Pontifices amplissimo locupletarunt indulgentiarum thesauro (2).

76. Verum simul omnes, Pastores et fideles, ne cessemus preces supplicationesque Deo Patri Omnipotenti offerre quotidie, ut sanctos operarios in vineam suam mittere dignetur, qui opportunis auxiliis subveniant ad catholicam fidem ubique terrarum dilatandam eamque nostris his regionibus asservandam atque tuendam. Quum vero oporteat fidem non modo vigere in animis incorruptam, sed continuis etiam incrementis augeri, ad Deum iteranda sæpius est supplex atque humilis Apostolorum flagitatio, *adauge nobis fidem* (3).

(1) Conc. Prov. Venet. 1859.

(2) Cfr. præ cœteris Greg. XVI, Enc. *Probe nostis,* 15 aug. 1840; Leo XIII, Enc. *Sancta Dei civitas,* 8 dec, 1880; Cfr. S. C. Indulg. 30 apr. 1890.

(3) Cfr. Enc. Leonis XIII, *Sapientiæ christianæ,* 10 ian. 1890

TITULUS ALTER

DE SACRAMENTIS.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

77. Dominus ac Redemptor noster purissimos in Ecclesia sua ac uberrimos aperuit fontes, unde ad purgandas et sanctificandas animas aquæ diffluunt salutares. Eos quidem septem esse credimus ac profitemur Novæ Legis Sacramenta a Iesu Christo in sensibilibus signis instituta, quibus per divinam suam et passionem et mortem eam indidit virtutem ut interiorem hominis sanctificationem et significarent et efficerent. Per baptismum spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; nutrimur divina Eucharistiæ alimonia; per pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem; per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium corporaliter augetur (1).

78. Catholicam doctrinam de Sacramentis contra impiorum dicteria et sophismata omni cura tuebimur: eam, pro munere suo, tueantur Parochi, sacri concionatores et confessarii, ac populum diligenter edoceant singulorum Sacramentorum naturam, significationem, finem, necessitatem, itemque dispositiones ad ea rite et fructuose suscipienda. Ut autem fideles ad ea suscipienda maiori cum reverentia

(1) Cfr. Conc. Flor. Bulla Eugenii IV *decr. pro Armenis.*

atque animi devotione accedant, alacri animo Tridentini iussa excipimus et perficiemus, ut non solum quum hæc erunt populo per Nos ipsos administranda, prius illorum vim et usum pro suscipientium captu explicemus; sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque servari studeamus, etiam linguâ vernaculâ, si opus sit et comode fieri poterit (1), iuxta doctrinam Catechismi Romani (2).

79. Qui sacramenta ministrat, caveat prorsus ab omni simoniæ atque avaritiæ suspicione (3). Quum tamen æquum sit ut qui altari deserviunt, de altari vivant (4), pro diœcesis cuiusque lege et probata consuetudine, conceduntur eleemosynæ occasione administrationis aliquorum Sacramentorum.

80. Quum in Ecclesia Dei nihil sit sanctius aut utilius quam sacramenta a Christo Domino instituta, qui ministrat « meminisse in primis debet se sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuo curabit ut integre, caste, pieque vitam agat... Quacumque diei ac noctis horâ ad sacramenta ministranda vocabitur, nullam moram interponat. Ac propterea populum sæpe præmonebit ut quum sacro ministerio opus fuerit, se quam primum advocet, nulla temporis aut cuiusque incommodi habita ratione (5) ».

81. Minister sacramentorum, quum etiam teneatur sacros ritus populum docere (6), eos ipse bene calleat; cæ-

(1) Sess. 24, *de ref.* c. 7; Conc. Prov. I, *De iis quæ ad Sacr. adm. gener. pertinent,* p. 42, et *Instruct. Sacram.* p. 1254.

(2) Conc. Trid. ib., et Rit. Rom. *de iis quæ in sacr.* ecc.

(3) Rituale Romanum *De iis quæ in Sacr. administratione,* ecc. Cfr. etiam A. E. M. ut supra pag. 1255.

(4) I Cor. 9, 13.

(5) Rit. Rom. ut supra. Vide A. E. M. ut supra.

(6) Conc. Trid. sess. 24, c. 7.

remonias vero ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat (1).

82. In omni sacramentorum seu sacramentalium confectione et administratione utendum semper erit superpelliceo et stola: retento nihilominus quod Rituale Romanum docet circa sacramentum pœnitentiæ (2). Canonicis et Parochis, quocumque privilegio fruentibus, etiam deferendi rochettum et mozettam coram Pontifice, in iisdem sacramentis et sacramentalibus administrandis, usus cappæ, mozettæ vel caputii omnino interdicitur. Qui tamen rochetti privilegio gaudent, illud retinere permittuntur, sed in propria tantum Ecclesia, privilegio excluso, dummodo super illud superpelliceo et stola induantur (3).

CAPUT II.

De Baptismo.

83. Baptismus est *vitæ spiritualis ianua* et *primus omnium sacramentorum* (4): ita enim aliis præcedit, ut nemo sine illo aliorum sit capax. Magnum est *Trinitatis sacramentum;* quia necessario in eo Augustissimæ Trinitatis confessio fit, et institui (5) cœptus est ad Iordanem, in baptizatione Christi, quum aperti sunt cœli et SS. Trinitas est revelata. Quum autem Baptismus tantæ necessitatis sit, ut etiam interdum privatim dari oporteat, de modo illum valide administrandi Parochus populum accurate do-

(1) Cfr. Rit. Rom. ut supra; A. E. M. ut supra.

(2) S. C. R., 12 mart. 1904 et 12 iul. 1892. Cfr. *Rit. Rom.* P. 3, c. 1, n. 9.

(3) Ut supra.

(4) Decr. Conc. Flor. instruct. pro Arm. 1438.

(5) S. Th. 3, q. 66, a. 2 etc.

ceat: atque, ut iussum est, « non solum populo generatim, sed etiam privatim, ac præcipue obstetricibus, in ecclesia tamen, baptizandi formulam plane ostendat ac tradat: quam etiam an recte teneant, eodem loco videat ac diligenter quærat (1) ».

84. Ritus ac Cæremoniæ ex apostolica et antiquissima traditione acceptæ et approbatæ, nisi ob necessitatis causam, a sacerdote, qui ordinarius est baptismi minister, omitti non licet (2). Quum ideo ægrotus infans adeo laboret, ut periculum immineat ne pereat, antequam baptismus perficiatur, Sacerdos omissis iis quæ baptismum præcedunt, eum baptizet, ter vel semel etiam infundens aquam super caput eius. Deinde si habeat chrisma, liniat eum in vertice. Postea det ei linteolum candidum, ac demum cercam candelam accensam (3). Atque hæc omnia nedum in Ecclesia persolvat sacerdos, verum etiam, ut potest, in privatis domibus (4): omnino vero in Ecclesia alii suppleantur ritus, quæ baptismum præcedunt.

85. « Nemini liceat quemqam intra domesticos parietes baptizare, sed natum infantem, ii quorum est ea cura, ante nonum diem ad suscipiendum baptismum in Ecclesia deferendum curent... Permissa est tamen, si instet periculum, facultas baptizandi in privatis ædibus sacerdoti; vel si is absit, alteri sacris initiato; vel si non adfuerit, laicis, primo mari, aut demum fœminæ, qui recte noverint veram Baptismi formam » (5). Laico autem baptizante, curandum « quoad fieri potest, ut testes præsentes adsint, qui in bap-

(1) Conc. Prov IV, p. 347.

(2) Rituale Rom. *De sacro bapt. admin.* fere a principio.

(3) ib. *Ordo bapt. parvul.* circa finem.

(4) S. Rit. C. 23 sept. 1820. Vide etiam Collect. Prop. Fid. n. 602-611.

(5) Conc. Prov. I p. 43; Cfr. etiam Leo XIII *Gratæ vehementer* 13 aug. 1899: S. O. C. 11 ian. 1899. — (V. Append. X).

tizando verba prolata audiant. Quum autem (Parochus) perquiret, an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem et testes etiam de verbis prolatis interroget, ut sibi constet an Baptismi forma recte adhibita sit, an vero secus (1) ». In libro autem baptizatorum peculiaris de hoc mentio fiat.

86. « Patrinos in ætate saltem pubertatis ac sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit (2). » Tales autem compatres deligantur qui fidei et morum ratione, suscipiendo muneri satisfacere possint: itemque ii qui animæ potius consulere quam qui inopiæ possint subvenire (3). Quum vero Parochus gravia mala timeat, si reiiciat indignos; infantes quidem baptizentur, quasi compatres absint, non tamen referantur compatrum nomina in libro baptizatorum (4).

87. Iis qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis et in eius militiam adscribendis, nomen imponitur. Curet ergo Parochus ne obscœna, fabulosa aut ridicula vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur: sed potius Sanctorum, quatenus fieri potest (5). Si vero parentes improbanda nomina omnino exigant, Parochus addat aliquod sanctorum nomen si potest, secus toleret: in actibus autem semper referat mala nomina imposita fuisse in obstinata parentum voluntate (6).

88. Si quis infans domi baptizatus, postea vixerit, quum primum per valetudinem licuerit, in Ecclesia sisti debet,

(1) Conc. Prov. V. p. 545.

(2) Rituale Rom. *De Sacr. Bapt. De Patr.* Conc. Pr. V, 543.

(3) Conc. Pr. I, 43.

(4) C. S. O. 3 maii 1893: S. Pœnit. 10 dec. 1860.

(5) Cæremon. Rom. *De Sacr. Bapt., De Sacr. oleis,* et aliis, etc. Cfr. etiam A. E. M. *Instruct. Bapt.,* p. 1269.

(6) Congr. S. O. 13 ian. 1883.

ubi ei Ritus tantum ac Cæremoniæ baptismi adhibeantur (1). Infantes vero hæreticorum hominum aut infidelium vel apostatarum, vel utcumque parentum, qui baptismum renuant, itemque adultiores omnes, qui septem ætatis annos transegerint, nemo baptizet, Episcopo inconsulto, excepto necessitatis casu.

89. Infantes illegitimi clam et absque ulla exteriori solemnitate tum semper sunt baptizandi, quoties sine scandalo id possit. Quum parentes illegitimæ prolis suum nomen sponte declaraverint, illud inscribatur in libro baptizatorum, dummodo ipsi quoque parentes, aut duo testes etiam sequioris sexus in libro subscribant.

90. Puerperas legitimo matrimonio iunctas Parochi moneant, ut, quum primum post partum exierint domo, ad Ecclesiam Deo acturæ gratias accedant, ubi accipiant benedictionem (2). Prohibetur tamen Parochus huius benedictionis impertiendæ gratia puerperæ domum adire.

91. Quod olim a Concilio Provinciali VI statutum est de pie atque devote baptismi cuiusque die quotannis recolendo, idem et nos enixe commendamus. Parentum cura sit, diem notare quo filii Christo sint renati; ideoque Parochus, quum baptizaverit, de hac re moneat (3).

CAPUT III.

De Confirmatione.

92. Confirmatio non est otiosa, vel augusta quædam, de se tamen inefficax cæremonia, sed est verum ac proprium novæ legis sacramentum a Christo Domino insti-

(1) Conc. Pr. I, 43.
(2) Cfr. Conc. Pr. I, 44.
(3) Cfr. C. Pr. VI, 739-740.

tutum (1). Confirmatio est auctio vera gratiæ baptismalis atque, ut S. Thomas ait, « quasi ultima consummatio » (2).

93. Parochi populum doceant de virtute et ritibus magni huius sacramenti: « in illis præsertim Pentecostes diebus, quibus potissimum ab Episcopo solemniter ministrari solet » (3). Diligenter invigilent et videant ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat (4). Paucis vero ante diebus quam Episcopus sacramentum ministret, non solum fideles præmoneant, sed in Parochiali Ecclesia orationem etiam instituant, ut qui nondum confirmati sunt, digni sint qui Spiritus Sancti dona uberrime accipiant (5).

94. Minori septennio Confirmationis sacramentum nemini præbeatur (6). Quod si tamen Episcopus ob aliquam causam iustam atque adeo necessariam, parvulo et infanti qui non modo eam ætatem expleat sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum (7). Iis vero minoribus natu atque adeo parvulis si quandoque ministrabitur, eorum parentes vel qui curam gerant, Parochus moneat ut ætate procedente, illos de re certiores faciant: ne, parentibus aut curatoribus postea mortuis, ipsi aliquando dubitent an hoc sacramentum susceperint (8). Parochus autem scire omnino debet eos esse baptizatos, quos ipse ad confirmationem admittit: et de ea re, si alibi nati sint, idonea exquirat testimonia.

(1) Conc. Trid., Sess. 7, De conf. c. 1.

(2) In 3, q. 72. a. 12, c.

(3) Conc. Pr. III, *quæ ad Concion. pertinent,* p. 236.

(4) Conc. Pr. IV, 348.

(5) Conc. Pr. V, 547.

(6) Conc. Pr. I, 44.

(7) Conc. Pr. V, p. 546.

(8) Ibidem.

95. Cum omni suavitate et charitate, patientia et doctrina instruat Parochus et disponat pueros confirmandos ad præscriptum Apostolicæ Sedis ac Nostrum, ut antea decretum est (1). Prospiciat ut pueri, qui confirmandi sunt, de peccatis suis antea confiteantur: atque etiam ut in ipso Confirmationis die ad SS. Eucharistiæ mensam accedant, si iam ad Eam admissi sint (2). Curet etiam ut omnes, quantum fas est, aliquot ante dies, debitis pietatis officiis se parent, et ardentiori orationis studio sese exerceant, exemplo SS. Apostolorum dum Spiritum Sanctum expectarent (3).

96. Patrini deligantur eiusdem sexus ac confirmandi et qui iam antea fuerint confirmati, neque ii qui de baptismali fonte iam pridem confirmandum susceperint (4). Qui vero ab officio patrini in baptismate arcentur, iidem in confirmatione prohibeantur.

97. Moneat quoque Parochus ut vestitu simplici, moderato et christianæ modestiæ consentaneo, mares præsertimque puellæ ad sacram unctionem accedant (5). Probatur autem et consulitur usus operiendi aut velandi frontem fasciola ob reverentiam, donec ab Ecclesia confirmati discesserint.

CAPUT IV.

De Eucharistia.

98. SS. Eucharistiæ, sacramentorum maximo, reverenti et grato semper animo tota plaudit christiana traditio. Illud namque sacramentum est, in quo Salvator noster

(1) Vide retro, n. 37.

(2) Conc. Pr. IV, 349: necnon *Instruct. Confir.* 1286.

(3) A. E. M. *Instructio* ut supra.

(4) Vide *Rit. Rom.* recent. edit.

(5) A. E. M. *Instruct.* ut supra.

« divitias divini sui erga homines amoris veluti effudit, memoriam faciens mirabilium suorum » (1). Ille angelicus panis est quem adoramus et manducamus (2), et in quo « Iesus Christus verus Deus atque homo vere, realiter, et substantialiter sub specie rerum sensibilium continetur » (3). Ille antidotus est « quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur » (4). Illa vita nostra est (5), et pharmacum immortalitatis (6), pignus æternæ gloriæ, mysterium pietatis et signum unitatis (7) adeoque symbolum etiam unius illius corporis (8), cuius Christus caput extat, et nos sua membra sumus.

99. SS. Eucharistia debita animi puritate et devotione, ab omnibus christifidelibus suscipienda est, summâque reverentiâ a sacerdotibus est contrectanda. Ea quidem asservari et in promptu semper haberi in omnibus parœcialibus Ecclesiis debet: in aliis autem non parochialibus ecclesiis vel oratoriis retineri vetatur absque speciali Apostolico indulto, vel citra consuetudinem immemorabilem, quæ eius indulti præsumptionem inducat (9).

100. Tabernaculum ad præscriptam formam extructum, clavi firmiter obseratum custodiatur: neque ulli utcumque clerico aut ministro clavis erit committenda, sed ab ipso Rectore Ecclesiæ retinenda. Illud vero diligentissime ca-

(1) Conc. Trid., Sess. 13, cap. 2.

(2) S. August Enarr. in psal. 98, Migne t. 37, p. 1264: et Ioan. Chrysost. compluries, exg. De Beato Philogonio. Migne, Edit. lat., vol. 1, p. 753, etc. etc.

(3) Conc. Trid., Sess. 13, c. 1 et can. 1.

(4) Conc. Trid., Sess. 13, c. 2, et S. Ignatius martyr. Epist. ad Ephes. n. XX, Migne ed. lat. t. 3, p. 655.

(5) S. Augustinus lib. 1 *de Pecc. meritis et rem.* 24. Migne t. 44, p. 128.

(6) S. Ignatius Epist. ut supra.

(7) S. Augustinus *in Ioan.* tract. 26, 13, Migne t. 35, p. 1613 et t. 46, p. 835.

(8) Conc. Trid., Sess. 13, c. 2.

(9) Benedictus XIV, Const. *Quamvis iusto,* 30 april. 1749.

veatur « ne quod Ecclesiæ et christiano populo datum est ad salutem, maleficorum manus, diabulo operante, ad perniciem abutatur (1) ».

101. Illud etiam accurate servandum est ut in altari, in quo SS. Eucharistia adservatur, tabernaculum decenter opertum sit conopœo, atque ab omni alia re vacuum (2). Ab alto, super ipsum et super altare baldacchinum suspendatur. — « Lampades coram eo tabernaculo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceant; curabitque Parochus ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra mundaque sint, et ita conserventur » (3). Olivarum autem oleum semper adhibeatur: quod si haberi nequeat, permittere poterit Episcopus ut nutriantur lampades ex aliis oleis, quantum potest, vegetalibus (4).

102. « SS. Eucharistiæ particulas frequenter Parochus renovabit: particulæ consecrandæ sint recentes, et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat vel sumat » (5) et pixidem purificet. Statuimus, Conciliorum nostrorum veteres leges instaurantes, eas renovari debere octava vel ad summum decima quinta quaque die (6). — Caveant Episcopi ne quid fiat, quod absonum sit a latis nedum circa naturam, sed et circa conservationem sacrarum specierum dispositionibus, ab iis præsertim, quæ in Rubricis Missalis continentur. Imo etiam prohiheant omnino ne sacerdotes ad sacrum faciendum utantur venalibus farinis, hostiis aut vino, quum de eorum genuinitate rationabile dubium adsit;

(1) A. E. M. *Instruct. Euch.*, p. 1295, et Conc. Pr. IV, p. 342 et 349. Cfr. X, l. 3, t. 44.

(2) Rituale Rom. *De SS. Euch. Sacr.* Cfr. Conc. Pr. I, 46.

(3) Rit. Rom., ut supra.

(4) S. R. C., 9 iul. 1864.

(5) Rituale, ut supra

(6) Conc. Pr. IV *Quæ ad SS. Euch.*, p. 350.

eosque practicam rationem edoceant genuinam materiam sibi comparandi (1).

103. Quo tempore Missæ celebrari queunt, omnes fideles SS. Eucharistiam postulantes, sive intra sive extra Missam, prompte et libenter communicari debent; idque non solum parochus, sed etiam alii sacerdotes præstent, adamussim servantes ordinem ministrandi et præscriptos ritus. Diebus tamen festis cavendum est ne missarum ordo turbetur. In natalitio Domini, media nocte ad Missam, absque indulto Apostolico SS. Eucharistia ne detur.

104. « Ad saluberrimum sacræ Eucharistiæ frequenter sumendæ usum, Parochi et concionatores quam sæpissime populum cohortentur, nascentis Ecclesiæ institutis atque exemplis, et gravissimorum Patrum vocibus et uberrima de hoc ipso genere catechismi romani doctrina, et sententia denique Tridentinæ Synodi, quæ optaret fideles in singulis Missis, non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare » (2). Impense igitur quotidiâna communio foveatur; quam qui adeunt, euntis hebdomadis indulgentias omnes acquirunt, etiam sine octidua confessione (3). — (V. Append. XI) — Crebro quidem populus commonefiat, quam periculosum exitiosumque sit ad sacram divini cibi mensam indigne accedere (4); Parochi tamen caveant, itemque confessarii, ne a frequenti vel quotidiana communione quemquam arceant, qui in statu gratiæ sit, et recta piaque mente ad sacram mensam accedat (5).

(1) Cfr. Litteras Encycl. S. O. 30 aug. 1901; Resp., seu decr. S. O. 22 mai 1901, etc. etc.

(2) Conc. Pr. III, 245.

(3) Cfr. decretum S. C. C. 20 dec. 1905 et 14 febb. 1906.

(4) Conc. Pr. IV, 350.

(5) Ut supra S. C. C. 1905.

105. « Parochus iis omnibus, qui intra ecclesiæ suæ fines inhabitant, in Pascha sacram Eucharistiam ipse præbeat; nisi ob frequentem multitudinem necesse sit alterum etiam sacerdotem adhibere » (1). Eo tempore « a suo cuique Parocho S. Eucharistiam ministrari Ecclesiæ institutum et præceptum est » (2): id tamen his nostris diebus ne nimium urgeant Parochi. Eo ipso Paschatis die communicare fideles non sibi subditos Regulares vetantur (3).

106. Parochus « ægrotis parochialibus, etiamsi Communionem extra præscriptos paschales dies sumpserint, in diebus paschalibus SS. Eucharistiam deferet ac ministrabit » (4). « Hortetur infirmum ut sacram Communionem sumat, etiam si graviter non ægrotet, maxime si Festi alicuius celebritas id suadeat » (5). Iubemus autem, ut non raro per annum SS. Eucharistia infirmis deferatur: præcipue vero in festivitatibus Paschatis, Pentecostes, Assumptionis Beatissimæ Virginis et Nativitatis Domini.

107. Curent Parochi ut prima puerorum communio non differatur ultra duodecimum ætatis annum. Primæ Communionis opus una simul curæ erit Parochis, parentibus et confessario: diligenter autem Parochi de vi et ratione tanti sacramenti pueros instruant, atque adhibita etiam parentum ope, « explorent et a pueris percunctentur, an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant » (6). Si qui vero pueri in ephebœis degunt,

(1) Conc. Pr. III, 246.

(2) Conc. Pr. VI, 740.

(3) S. Cong C. in Mechl., 31 ian. 1682 et sæpius; Benedictus XIV De Syn. l. 16, c. 9, n. 3.

(4) Rituale Rom. *De Comm. paschal.* Itemque Rit. Ambr. *De Comm. Paschal. Quibus pasch. tempore*, ecc.

(5) Rituale Rom. *De Comm. Infir.* Cfr. etiam Conc. Prov. IV *quæ ad SS. Euch.*, p. 351.

(6) Catechis, Conc. Trid., p. 2, c. 4, n. 63. — Cfr. etiam Conc. Prov. I, *quæ pert. ad Sacr.*, p. 45 et Conc. Prov. VII. *De Sacr. Euch.*, vol. 4°, p. 353.

ibi quidem provehi poterunt ad SS. Eucharistiam suscipiendam.

108. Pueri qui ad primam communionem sunt admittendi, spiritualibus exercitiis suæ ætati congruis ad divina mysteria præparentur. Moneantur ipsi quidem, et eorum etiam propinqui ac parochiani omnes, de indulgentia nuper in decus tantæ festivitatis a Pio PP. X concessa (1). Præstituta vero die, qua maxima fieri poterit solemnitate, præmissa baptismalium votorum renovatione, ad cœleste convivium accedant teneriores illæ animæ, cuncto inspiciente populo, præcipue coram parentibus; quorum curæ erunt postea ferventissimo charitatis zelo a Parochis commendandæ (2). Neque semel et prima tantum vice, sed iterato, et quoties fas est, opportunis festivitatibus, pueri vocentur, aptis monitis reficiantur, et iunctim communicentur. Gaudeant Parochi eos frequenter atque etiam, si fieri potest, quotidie ad SS. mensam accedere, quibus Christus ait *sinite parvulos venire ad me: talium enim est regnum cœlorum* (3).

CAPUT V.

De Pœnitentia.

109. Clementissimus Deus, cuius æterna divinitas in Christo erat, mundum reconcilians sibi, dignatus est concedere ministerium et verbum reconciliationis apostolis et sacerdotibus suis, ut omnes homines efficiantur iustitia Dei in ipso (4): neque id tantum in primo regenerationis lavacro, sed etiam in ea pœnitentia quæ post lapsum secundum

(1) S. Congr. Indul. 12 iul. 1905.
(2) Cfr. Pp. Pii X ad Card. Vic. 2 ian. 1906.
(3) Marc. 10, 14.
(4) 2 Cor. 5. 21.

Deum tristitia est, salutem tamen æternam operatur (1). Domesticos enim fidei (ita docet sacrosancta Tridentina Synodus), quos Christus Dominus, lavacro baptismi, sui corporis membra semel effecit, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, sed ante Pœnitentiæ tribunal, tamquam reos, sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab admissis peccatis pœnitentes ad ipsum confugerint, possent liberari. Est autem hoc sacramentum lapsis post baptismum ad salutem necessarium (2); unde antiquitus vocatum est *secunda post naufragium tabula* (3).

110. Episcopi cura in eo etiam præcipua esse debet, ut quantum in se est, fideles a peccandi occasione revocet animarumque vulneribus remedia opportuna adhibeat (4) « Parochus fideles sibi commissos, quantum potest, sæpe hortetur ut ad Pœnitentiæ sacramentum, non solum cum ex præcepto Ecclesiæ tenentur, sed quam frequentissime accedant. Moneant sæpius, pœnitentiæ quidem radices esse amaras, sed fructus suavissimos. Doceat per pœnitentiam nos in Dei gratiam restitui, quo nihil nobis debet esse optatius. Animam quovis scelerum pondere oppressam per eam sublevari, conscientiæ pacem et tranquillitatem, quæ omnes superat voluptates, tribui » (5). Eadem satagat persuadere populo concionator et alius quivis sacerdos. — Pa-

(1) 2 Cor. 7, 10: Cfr. etiam Conc. Trid., Sess. 6, c. 14.

(2) Id. Sess. 14, c. 2.

(3) Cfr. Conc. Trid., Sess. 14, car. 2. Vide etiam *Secunda*, c. 72. *De Pœn.* D. I; nec non Hieronymi. Ep. 84, Migne tom. 22, p. 748; et Petrus Lomb., l. 4, d. 14.

(4) Conc. Pr. VI, 742.

(5) A. E. M. *Instructio Pœnit.*, p. 1309. Hæc. autem instructio de mandato Conc. Prov. III in ordinem redacta est et Episcopo cuique iussa, ut videre est p. 358 atque etiam p. 247.

rochus hortetur fideles ut peccata confiteantur quotiescumque aggrediantur rem arduam et difficilem, in qua etiam nullum mortis periculum extimescendum sit; multo autem magis ad id hortetur et moneat, quum periculum mortis prævideatur (1).

111. Videat Confessarius « ne, dum hoc Sacramento vulneribus aliorum medetur, ipse telo peccati se configat: caveat, ne mortifero peccato inquinatus accedat, neque canonico irretitus impedimento: ita sancte vivere studeat, ut pœnitentes non verbis solum, sed exemplis quoque ad virtutum officia erudire possit, neque dicta a factis ullo modo dissentiant. Quo enim magis virtute præcellentior erit, tanto aptior erit instrumentum bonitatis Dei » (2); atque in eam rem ne cesset divinum auxilium implorare.

112. Meminerit Confessarius se iudicis pariter et medici personam sustinere. Ut ergo integer iudex sententiam ferat, et peritus medicus apta cuique remedia applicare sciat, « quantum potest, maximam ad id scientiam atque prudentiam ex probatis Auctoribus et prudenti consilio peritorum studeat sibi comparare: sciat casus et censuras Sedi Apostolicæ et Ordinario suo reservatas et suas cuiusque Ecclesiæ constitutiones » (3). Assidue meminerint pontificias leges quæ de absolutione complicis et de sollicitatione in sacramento sunt latæ (4), itemque decreta contra violatores sigilli (5).

113. Confirmamus atque instauramus Concilii Provin-

(1) Cfr, Conc. Pr. VI, 741-742.

(2) A. E. M *Instructio Pœnit.*, 1310.

(3) Rituale Rom. *De sacr. Pœnit.*

(4) Const Greg XV *Universi*. 30 aug. 1622: Bened. XIV *Sacramentum*, 1 iun. 1741; *Apostolici numeris* 8 febr. 1745; Instructio S. R. et U. Inquisitionis etc. circa observantiam Const. Ben., 20 febr. 1867.

(5) Vide iura in c. *omnis utriusque sexus* 12. *De pœnit.* X, l. 5, t. 38.

cialis I et Concilii Provincialis IV decreta, quibus edicitur et statuitur excommunicationis pœna *ipso facto* incurrenda ab iis sacerdotibus, qui sine approbatione ab Episcopo data, Pœnitentiæ sacramentum scienter ministraverint (1), excepto quidem mortis articulo. Caveant autem omnes ne a casibus vel Episcopo vel ipsi Apostolicæ Sedi reservatis in bonæ disciplinæ destructionem, idest extra casum necessitatis absolvant (2).

114. In casibus vere urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiæ, super quo confessariorum coscientia oneratur, dari potest absolutio (iniunctis de iure iniungendis) a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub pœna tamen reincidentiæ, nisi saltem infra mensem, per epistolam et per medium Confessarii, absolutus recurrat ad S. Sedem (3). Idem dicendum in casu quo nec infamia nec scandalum sit in mora, sed durum valde pro pœnitente erit in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis (4). Imo etiam conceditur liberatio ab onere infra mensem recurrendi, si quando, neque confessarius, neque pœnitens epistolam ad S. Pœnitentiariam mittere possent, et durum pœnitenti sit alium adire confessarium (5).

115. Parochis, coadiutoribus ac quibuslibet confessariis earum parœciarum, quæ sunt in confinio alterius diœceseos, per omnes Mediolanensis provinciæ paræcias, quæ sibi contiguæ sunt, easdem tribuimus facultates fidelium con-

(1) Conc. Prov. I *quæ pertinent ad s. pœnit.*, p. 52, Conc. Prov, IV, p. 357.

(2) Conc Trid., Sess. 14, c. 7.

(3) S. O. C. 20 iun. 1886.

(4) S. O. C. 16 iun. 1897.

(5) S. O. C. 5 sept. 1900 et alias.

fessiones audiendi, quas iidem ipsi obtinuerint in sua tum diœcesi tum parœcia.

116. In omni confessionali hæc sint affixa: sacra imago, tabella casuum quos sibi Episcopus reservarit, forma absolutionis, orationes præparatoriæ ad sacram Confessionem audiendam (1), atque etiam formula brevior impertiendi indulgentiam plenariam Tertiariis O. S. F. Confessionales sedes mulierum ab utroque latere, a tergo et a parte superiori asseribus sint intextæ et deante ligneum ostiolum habeant. Quæ vero *gestatoriæ* vocantur, poterunt adhiberi loco satis patenti collocatæ, in casu tantum veræ necessitatis, quum scilicet frequentior admodum mulierum pœnitentium numerus sit (2).

117. Mulierum confessiones ante auroram vel post solis occasum ne excipiantur: neve in cellis sed publice in Ecclesia, in sedibus confessionalibus (3). In ipsis habeatur semper crates ferrea vel ex aurichalco cum parvis foraminibus, neque raro ob debitam munditiem crates abluatur. Quum autem vesperi aut nocte mulieres audiendæ erunt, abunde Ecclesia illuminetur, præcipue ad confessionales sedes. Omnino vetamus quominus sacerdotes in privatis ædibus mulierum confessionem audiant nisi sint infirmæ: in casibus peculiaribus, ut in surdis, Episcopi provideant. Quum autem infirmitatis causa mulieres in domibus audire contigerit, ostium ita reclusum sit, ut a propinquiore cubiculo adstantes confessarium videre possint (4).

118. Parochi Paschæ tempore sæpe moneant de sacramentali confessione peragenda: caveant ne iis temporibus,

(1) Conc Pr. IV, 357.

(2) A. E. M. Syn. XI, p. 1052.

(3) Conc. Pr. I, 52.

(4) A. E. M. Syn. III p. 853; *Instruct. Visit. Infir.*, p. 1351; *Instruct. Conf.* p. 1873-74.

quibus Confessiones frequentiores esse solent, alio forte vocati, illud audiendæ confessionis munus in sua ecclesia sine causa necessaria prætermittant, aut differant (1). « Ægrotos, etiam non vocati, invisant ut ad sacramentorum susceptionem inducant et eorum animabus, quacumque ratione possunt, sollicite consulant » (2): idemque curent confessarii.

119. Ad excipiendas Sacrarum Virginum confessiones tum earum quæ solemnia profitentur vota, tum earum quæ vota tantum profitentur simplicia, quamdiu in suis confiteantur domibus, tum ad liceitatem, tum etiam ad validitatem nullo modo satis habenda erit approbatio data in formâ communi (3): sed peculiaris necesse erit Episcopi delegatio. Quum vero illæ sacræ virgines Ecclesias adeunt aut publica oratoria, apud quemlibet sacerdotem in diœcesi generaliter adprobatum conscientiam suam possunt expiare (4).

120. Peculiaris licentia Episcopi postulanda erit administrando Pœnitentiæ sacramento in conservatoriis aut communibus mulierum quarumcumque domibus.

121. Quæ lex pro alma Urbe nuper est lata, eam quoque pro nostra Provincia sancimus: Nemo « Religiosæ cuiusquam communitatis aut Seminarii aut Collegii Superior, sive maior sive minor...., excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur, suorum alumnorum in eadem domo manentium sacramentales confessiones au-

(1) Conc. Prov. I, p. 52.

(2) Conc. I *De his quæ ad sacr. adm.*, p. 42-43.

(3) Conc. Trid., Sess. 25, *De Reg.*, c. 9; Greg. XV *Inscrutabili*, 9 febr. 1622; Leo XIII *Conditæ a Christo Ecclesiæ*, VI idus dec. 1900.

(4) S. C. EE. et RR., 27 augusti 1852 et 22 april. 1872 et 20 iul. 1875 etc. Vide præsertim *Normæ S. C. EE. et RR. pro approbandis novis instit.* 28 iun. 1901, et S. O. C. 22 dec. 1899.

dire ullo pacto audeat » (1). Compertum enim est quanta incommoda, imo quot gravia mala exinde oboriri possint.

122. Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat, non enim venient ægroti, nisi noverint præsto esse medicum. Confessarius studio debet ardere salutis fidelium procurandæ: pœnitens enim adiuvandus est sacerdotis diligentia, ubi aliquâ in parte deficere videbitur (2). Ne ergo unquam confessarii negligant viros, ut præ illis mulieres in hoc sacramento administrando excipiant.

123. *In alacritate et bonitate animæ* (3): *in omni patientia et longanimitate cum gaudio* (4) adlaborandum est confessario ad medelam animarum. Non raro omnem examinandæ coscientiæ rationem fideles, præsertim rudes, ipse docebit (5). Quum cognoverit pœnitentem ignorare christianæ fidei rudimenta, si tempus suppetat, breviter instruat de articulis et aliis ad salutem necessariis, et illum graviter admoneat ut ea postmodum diligentius addiscat (6). Prudens cautusque erit in interrogationibus, præsertim cum rudibus ac iunioribus utriusque sexus (7). Opportunas correptiones ac monitiones paterna charitate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur (8).

124. Videat diligenter sacerdos quando et quibus conferenda vel neganda vel differenda sit absolutio (9). Pœniten-

(1) Decret. S. O. fer IV, 5 iul. 1899 pro Alma Urbe.
(2) Conc. Prov. I, *quæ ad sacr. Pœnit*, p. 53.
(3) Eccli. 45, 29.
(4) Coloss. 1, 11.
(5) A. E. M. *Instruct. Pœn.*, p. 1313.
(6) Rit. Romano, *ordo ad minis sacr. pœn.*
(7) A. E. M., *Instruct. Pœn.*, p. 1315.
(8) Rit. Romanum, ut supra.
(9) Rit. Romanum, ut supra.

tem indispositum minime absolvat, sed tamen salutaribus consiliis iuvet: ac sedulo caveat ne quemquam asperius tractans, in illud inducat ut desperet vel a Confessione abhorreat (1). Salutarem et convenientem satisfactionem Confessarius iniungat, quantum ordo rerum ac prudentia suggesserint, habita ratione status, conditionis, sexus, ætatis et item dispositionis pœnitentium (2).

125. Nullus Parochus aut confessarius libertati fidelium de eligendo sibi probato quolibet confessario quidquam offensionis interponat: caveant ne ulla unquam inquirant nomina, aut quidquam aliud quod ad rem non attineat. Quin alios ad se venire adigat, ipse potius curet ut qui usitate ad se veniunt, interdum alios adeant pro tutiori consilio. Qua in re vetus illud S. Caroli factum est recolendum: quod quum mos adhuc late vigeret, semel in anno, quadragesimali tempore a suo proprio Parocho pœnitentes absolvi; synodali tamen edixit lege ut et ab aliis probatis Parochis fideles possent absolvi; atque ut generatim et singillatim Parochus se facilem præberet id consentiendo parochialibus suis, probatos quosvis adire sacerdotes, quum nulla esset suspicio eos medicinæ vitandæ causâ Parochi iudicium subterfugere (3).

126. Parochus primæ ætatis puerulos atque puellas quibus nondum SS. Eucharistia ministratur, pluries per annum in Ecclesiam congreget: eosque instruat de modo sacramentaliter confitendi, deque summis religionis et pietatis officiis. Ita dispositos, quos opus erit, in sacro tribunali pœnitentiæ seorsim audiat atque absolvat: neque in eo tantum quod ipsis benedixerit, acquiescat. Quo vero

(1) A. E. M., *Instruct. Pœnit.*, p. 1316.
(2) Rit. Romanum, ut supra.
(3) A. E. M., Syn. Diœc. XI, p. 1053, 1054.

consultius sinceritati puerorum provisum sit, ne Parochos pigeat alios quoque sacerdotes confessarios advocare.

127. Episcopus ad exemplum B. Caroli et ad præscriptum Conciliorum Provincialium quarti et quinti « in urbe, et quo tempore etiam visitationem obit in frequentioribus diœcesanis locis, confessarios sacerdotes, etiam regulares, aliquando ad se tum singulos, tum universos convocet. » — Illos ipsos admoneat « quam cautos, quam diligentes in pœnitentiis salutaribus imponendis esse oporteat. Tum prospicere etiam ut non solum vitia peccataque fideles fugiant, sed virtutes christianæque vitæ officia, opera et actiones cum nominis christiani splendore congruentes suscipiant ac præstent: maioresque in via Domini progressus in singulos dies habeant » (1). Quod quidem his nostris diebus ab Episcopo significabitur commodius in iis conventibus, in quibus etiam statæ quæstiones thelogicæ clero traduntur resolvendæ.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

128. Extrema Unctio sacramentum exeuntium est et Deum adeuntium, consummativum tum huius vitæ, quæ nobis perpetua pœnitentia esse debet (2), tum spiritualis curationis nostræ (3), ac præparatio ad recipiendam gloriam (4). Sacramentum hoc a Christo institutum, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum Apostolum commendatum fuit ac promulgatum. *Infirmatur,* inquit, *quis in*

(1) Conc. Prov. IV, *quæ ad S. Pœnit.*, p. 357-8. Cfr. C. Pr. V, p. 553.

(2) Conc. Trid, sess. 14 *Doctrina de S. Ex. Unc.*

(3) S. Thom. lib. IV *contra gentes*, c. 73 et alibi.

(4) S. Th. in 3ª q. 65, a. 1 ad 4 et alibi.

vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei (1).

129. Parochus ex Catechismi Romani doctrina, explicet Extremæ Unctionis vim et utilitates, ad animæ salutem et etiam ad corporis valetudinem, si hæc profutura sit ad æternam gloriam (2); in eo autem plurimum instet, ut refellat insanam et perniciosam eorum opinionem, qui tam salutare sacramentum tanquam certum prænuntium mortis reiiciunt.

130. Vetus innovamus decretum ut Sacrum Oleum in Ecclesia custodiatur, extructo ad id armariolo, quod obducatur intus violaceo undique panno, extra obseretur clavi, supra vero titulus inscribatur. Una simul condi poterunt bursa gestatoria, superpelliceum, stola et rituale. Sacrum Oleum domi servare vetatur, nisi quibus Episcopus gravibus de causis concesserit (3); verum domi quoque diligenter ac reverenter custodiatur, loco quidem mundo atque ornato, in vase argenteo seu stanneo cum cyatho vitreo. Singulis autem annis, veteri combusto, provideatur novum ab Episcopo benedictum (4).

131. Maximam diligentiam adhibeant porochi ne infirmi absque Extrema Unctione ex hac vita decedant: summopere curent ut hoc sacramento muniantur infirmi dum integris adhuc sunt sensibus; nam « peccant gravissime qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, quum iam, omni spe amissâ, vitâ et sensibus carere incipiant » (5).

(1) Conc. Trid., Sess. 14 *Doctrina de S. Extr. Unct.* c. 1 et can. 1.

(2) Conc. Prov. III, p. 248-9.

(3) Conc. Prov. III, *Quæ ad S. generatim*, p. 244. S. R. C. 16 dec. 1826, *quinta f. species:* item 23 iun. 1892, atque alias.

(4) Rituale Romanum *De S. Extremæ Unctionis.*

(5) Catechism. Conc. Trid. p. 2, c. 6, n. 9.

132. Ex constanti Ecclesiæ consuetudine, ante Extremam Unctionem, Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ ministrantur ægrotis. Sacra Unctio illico post Viaticum dari poterit; atque iis etiam præberi debet infirmis, qui, licet in amentiam inciderint, vel sensibus uti desierint, quum tamen sana mente et integris sensibus essent, sacramentum petierint aut verisimiliter petiissent (1). — In casu veræ necessitatis sufficit hæc brevis formula: « per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen » (2).

133. In eâdem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi quum periculum mortis cessaverit et novum iterum occurrat (3). In dubio autem utrum morbi status perstet idem, pro Sacramento iterando propendendum est: « quum id conformius sit veteri Ecclesiæ consuetudini, et novum spirituale subsidium infirmo obveniat » (4).

134. Ad Parochum pertinet Extremæ Unctionis sacramentum ministrare (5). Quamvis enim quilibet sacerdos minister ejus esse potest, non tamen cuivis ex sacris decretis id administrare licet, sed proprio Parocho aut alteri, cui ille vel Ordinarius facultatem dederit (6). In casu necessitatis quivis sacerdos id sacramentum ministrat, Parochum tamen confestim monere tenebitur. Censura plectuntur Religiosi præsumentes extra casum necessitatis sacramentum extremæ Unctionis aut Eucharistiam per Viaticum ministrare absque Parochi licentia (7). Monialibus

(1) Cfr. Rit. Rom. ut supra. et A. E. M. *Instruct. Extr. Unct.* p. 1367.

(2) S. O. C. 25 april. 1906.

(3) Rit. Rom. ut supra: Cfr. ut supra A. E. M., p. 1368.

(4) Bened. XIV, *De Syn. Diœces.* VIII, 8.

(5) Conc. Pr. V, *quæ p. ad S. Extr. Unct.* p. 554.

(6) Cfr. A. E. M. *Instruct. Extr. Unct.* p. 1363.

(7) Cons. *Apost. Sedis* 12 oct. 1869, c. 2. n. 14. Et in c. *Religiosi,* 1, tit. 7, l. 1 Clement.

claustratis ea ministrat Confessarius. Degentibus in hospitalibus aliisque institutis, ex privilegio vel de mandato Episcopi aptisque de causis Rectores possunt ministrare vel Cappellani.

135. Quamvis non liceat a quolibet sacerdote Viaticum et Extremæ Unctionis sacramentum postulare et suscipere, graviter tamen monemus liberrimam cuique esse debere facultatem pro sacramentali confessione quemlibet probatum sacerdotem deligendi, idque præsertim ægrotis.

136. Cura infirmorum maximi habenda est inter omnia munera parochialia: illi enim præ cœteris spirituali indigent medico (1). Parochus parochianos hortetur suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in Parochia sua ægrotare contigerit (2). Ægrotos autem ipse invisat frequenter, quantum per alias suæ curæ occupationes potest, atque eisdem præstet quæ sunt sollicitudinis parochialis officia, prouti opus esse viderit (3). Ut autem id omnibus constet; in libro, in quo notantur qui obierint, adnotet Parochus quæ sacramenta unicuique ministrarit, et utrum præstiterit annon officium commendationis animæ (4). Videat quoque Parochus ne semel tantum, sed pluries et quoties congruum erit, infirmis extremo agone colluctantibus viaticum deferat. — Qui autem a mense morbo iam laborant absque certa spe ut cito convalescant, etsi aliquid per modum potus antea sumpserint, communicari poterunt ad mentem nuperrimi a S. C. C. editi decreti (5), quod in appendice damus. — (V. App. XII).

(1) Luc. 5, 31.

(2) Rit. Rom. *De visit, et. cura infirm.;* Cfr. A. E. M. *Instructio de Visit. infir*, p. 1347 seq.

(3) A. E. M. Conc. V, *quæ p. ad Extr. Unct,* p. 554.

(4) Ibidem.

(5) S. C. C. *post editum* 2 dec. 1906.

137. Ad infirmorum visitationem et curam non solum ex charitate, sed etiam suo ex officio tenentur quotquot sacerdotes de parochiali munere partem aliquam habeant: Vicarii parochiales, Coadiutores seu titulares seu alii. Ubi vero ea cura infirmorum distribuitur exercenda vel certâ quâdam dierum vice (vulgo *servizio di settimana)*, vel per certos quosdam domorum tractus seu regiones (vulgo *servizio di quartieri o distretti)*, monemus singulos ut, suo loco et tempore, attributo sibi officio accuratius fungantur. Meminerint autem Parochi potiores et graviores curæ animarum sollicitudines, præsertim in spirituali procuranda infirmorum salute, oneri sibi semper esse et suæ tribui conscientiæ. Quod si Parochi vel vice-parochi præsto non sint ad adiuvandum in extrema necessitate infirmum, ex gravissima charitatis obligatione, cuilibet sacerdoti incumbit onus id præstandi.

138. Hæreditatibus et testamentis neque Parochus neque alius quisque sacerdos se ingerant. Quum vero pro suo sacerdotali ministerio monere infirmos necesse duxerint, vel de sua rogantur sententia; quæ suadentur a charitate vel imperantur a iustitia, aperte declarent.

139. Qui facultate gaudent impertiendi benedictionem Papalem in articulo mortis, præsto sint ut moribundis tam pretiosum conferant thesaurum (1). Monemus autem in ea impertienda benedictione, sub pœna nullitatis duo esse servanda; primo, ut æger ipse « vere pœnitens et confessus, ac sacra Comunione refectus, vel (quatenus id facere nequiverit) saltem contritus, nomen Iesu ore si potuerit, sin minus corde, devote invocet, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti atque

(1) Rit. Rom. *Modus iuvandi morientes;* Rit. Ambros. *De sacr. Extr. Unct.* et Ritus *Bened. Apost.*

alacri animo suscipiat » (1); deinde ut præscripta adhibeatur formula (2). Monemus etiam illud: nuperrime pro summa sua benignitate a SS. Domino Nostro fuisse decretum, ut omnes christifideles, qui die ab eisdem eligendo, sacramentali confessione rite expiati, sacraque synaxi refecti, cum vero charitatis in Deum affectu actum ediderint, quo in eo sint, ut quodcumque genus mortis Deo placuerit, cum omnibus suis angoribus, pœnis ac doloribus, de manu ipsius Dei, æquo ac libenti animo suscipiant, plenariam indulgentiam in ipso mortis articulo lucrari valeant (3). — (V. Append. XIII).

CAPUT VII.

De Ordine Sacro.

140. Iesus Christus Salvator noster, *Pontifex futurorum bonorum, qui per proprium sanguinem semel introivit in sancta, æternâ redemptione inventâ* (4), eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium (5). Sed e terris ascensurus in cœlum, sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, (6) quibus potestatem tradidit consecrandi, offerendi et ministrandi Corpus et Sanguinem suum, nec non et peccata dimittendi et retinendi. Ut autem dignius et maiori cum veneratione exerceri possit tam sancti sacerdotii ministerium, in ordinatissima Ecclesiæ dispositione plures et diversi sunt ordines ministrorum. Porro quæ-

(1) Ex Brev. Concessionis Benedict. XIV *Pia mater* 5 apr. 1747: cfr. S. Indulg. C. 22 sept. 1892.

(2) Leo XIII, Breve *Qui universi* 7 iul. 1882.

(3) Pius X, decr. S. C. Indulg., 9 martii 1904.

(4) Heb. 9, 11-12.

(5) Heb. 7, 24.

(6) Cfr. Conc. Trid. sess 14, c. 5.

cumque de sacra ordinatione definivit Ecclesia, hæc firmissime credimus et profitemur, contrarias hæreses anathematizando: ac præcipue profitemur Ordinationem esse vere et proprie sacramentum Novæ Legis, et hierarchiam haberi in Ecclesia divinitus institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris (1).

141. Episcopi ad contestationem Pauli Apostoli, nemini cito manus imponant ne peccatis communicent alienis (2). Magnum enim crimen est, de quo in iure cautum (3), indignum assumere et in divina destinare ministeria. Oportet ut cœlestium vitam imitentur ii, quibus tribuuntur onera angelicis ipsis humeris formidanda. Nostra sunt, quæ iterum iterumque monuit SS. D. N. Pius PP. X: « Quam serio Episcopo secum et coram Deo est reputandum antequam novis levitis manus imponat! *Neque gratia alicuius,* ait S. Gregorius, *neque supplicatione aliquos ad sacros ordines audeat promovere, nisi eum, quem vitæ et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit* (4). » Deque ea re iterum instantius: Episcopi neminem ordinent pro viri cuiusque postulatione; neque enim Iesu Christi sacerdotium censeri debet humanum ministerium, quod libere possit deligi aut affectari. Is unus Tridentina lege ordinandus est qui *iudicio sui Episcopi sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis:* ii ergo reiiciantur quorum ingenium atque animi indoles sacerdotali adversatur dignitati, inprimis superbia mentis ac intollerantia disciplinæ (5).

142. Parochus ante Ordinationum tempora præmoneat atque hortetur populum ad pie præcandum: explicet po-

(1) Cfr. Conc. Trid., sess. 23, c. 1, 2, 3, et canones.

(2) I Tim. 5, 22.

(3) C. *si qui episcopi,* 43, c. 1, q. 1 et c. 24, C 25, q. 3.

(4) Enc. *Iucunda sane,* 19 mar. 1904.

(5) Enc. *Pieni l'animo,* 28 iulii 1906.

pulo sacramenti Ordinis dignitatem, utilitatem, necessitatem, et ostendat quanta sit cleri dignitas et quo honore habendi sint Ecclesiæ ministri. Parentes item excitet ut filios, qui aliqua divinæ vocationis exhibent indicia, militiæ sacræ offerant; non ambitione, neque rei cuiusvis humanæ affectu, sed ea sola causa ut Deo et Ecclesiæ serviant (1).

143. Parochus insuper, ubi primum aliquos norit qui clericali militiæ adscribi velint, sedulo curet ut clericalis disciplinæ vitæque religiosæ institutis imbuantur, præsertim per frequentem SS. Eucharistiæ usum: atque opportuno tempore eorum mores Episcopo significet, ut in Seminarium cooptati studiis congruis pro ætatis ratione se dedere queant (2).

144. Ne cuiquam liceat, antequam prima tonsura initietur, clericalem habitum sumere sine Episcopi concessu scripto dato (3). De ea re licentia postulanda erit libello supplici, additis testificationibus: de ætate, atque collato baptismate et ortu ex legitimis parentibus: de sacra confirmatione atque studiis peractis: præcipue vero de vita et bonis moribus, de frequentata doctrina christiana deque familiæ genere. Habitum clericalem semel dimissum nemo resumat, nisi de nova Episcopi licentia. Eos vero, qui contra Episcopi mandatum pertinaciter habitum retinuerint, a servitio altaris arceant Parochi: et si necesse fuerit, de Episcopi iudicio, arceant etiam a suscipienda SS. Eucharistia.

145. Ordines per interstitia temporum conferantur ut eo accuratius disciplinæ pondus possit edoceri: et quum a minoribus ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo illis initietur, quem scientiæ spes ma-

(1) Conc. Prov. II, dec. 22, p. 176; et C. Pr. IV, q. *pert. ad S. Ord.* p. 369-70. Vide etiam *instruct. Or.* p. 1377-1379.

(2) Conc. Prov. IV *quæ p. ad Sacr. Ordinis,* p. 361-362.

(3) Conc. Pr. III, *De iis quæ partim ad Ord. Sacr.* etc., p. 250.

ioribus ordinibus dignum non ostendat. Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, in minoribus probati ac litteris instructi, et quorum probata virtus senectus sit (1). Qui vero ad presbyteratus ordinem assumuntur, non solum pietate et morum sanctitate probati sint, sed ea calleant quæ ad sacramentorum usum et administrationem pertinent: sacrarum etiam litterarum ita sint instructi, ut populo christiano fidei mysteria et divinæ legis pracepta tradere, ad virtutem et pietatem excitare, a vitiis revocare fideles queant (2).

146. « Episcopus, quantum sibi per occupationes licet, maxime curet ut, cum experimentum examenve de iis instituitur, qui ordinibus præsertim maioribus initiandi... sunt, ipse præsens in eo examine adsit » (3). Regulares etiam, qui initiandi erunt, Episcopus examini subiiciat, quemadmodum lex iubet Tridentina a SS. D. N. Pio PP. X nuper confirmata (4): ea vero regularium examina curentur ad eandem fieri normam nuper pro Urbe traditam (5).

147. Episcopi generatim ad ordines, præsertim maiores, neminem promoveant, nisi quem sat diu in suo seminario præparaverint. In seminario adsidue et diligenter vigilent moderatores alumnorum moribus, et Episcopo referant: is tamen, præcipue quum agitur de promovendis ad subdiaconatum, utiliter et salubriter per ecclesiasticos viros pietate et prudentia spectatos, quibusdam normis opportune statutis, ulteriores inquisitiones etiam secretas fieri decernet (6). Qui vero subdiaconatum vel alium maiorem

(1) Cfr. Conc. Trid. sess. 23 *de ref.*, c. 11.

(2) Cfr. Conc. Trid. sess. 23 *de ref.*, c. 14, et catech. Conc. Trid., p. 2, c. 7, n. 32.

(3) Conc. Prov. IV *quæ p. ad Sacr. Ordinis*, p. 370.

(4) V. Motu proprio Pii PP. X, 19 mart. 1906.

(5) V. Motu proprio Pii PP. X, 16 iul. 1905.

(6) Vide Conc. Trid. sess. 13 *de ref.*, c. 5 et c. 7.

Ordinem suscepturi sunt, scripta afferent quibus testentur, publice, die festo, inter Missarum solemnia, factas esse denunciationes ex præscripta formula, in Ecclesia cathedrali et in aliis locis per Episcopum constitutis (1). Parochus autem ordinandorum ne in scrutinio ad Ordines prætereatur.

148. Quum non deceat Sacrosanctæ Ecclesiæ ministros emendicare, ad veterem regulam iuris et ad præceptum Tridentinæ Synodi (2), necesse est ut promovendus ad subdiaconatum titulum habeat. Declaramus taxari nunc eius summam ad libellas italicas purgati reditus biscentum saltem et quinquaginta. Non provisi dispensationem impetrent ab Apostolica Sede.

149. Ad vetus Concilii Prov. IV monitum atque præscriptum (3), ad consequens Apostolicæ Sedis præceptum (4), Episcopi curent ut clerici exercitia spiritualia peragant, decem dierum spatio, antequam ad sacros Ordines assumantur. Quos vero per antedictum temporis spatium eisdem exercitiis minime operam dedisse cognoverint, a sacra ordinatione penitus arceant (5).

150. Episcopi per semetipsos ordines conferant. Quod si ægritudine aut alia iusta causa fuerint impediti, subditos suos non aliter quam iam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinandos remittant (6). Clericus vero qui Ordinem ab alio Episcopo susceperit, mense post illum susceptum aut temporis spatio in eisdem dimissoriis lit-

(1) Conc. Prov. IV *quæ pert. ad. S. Ord.* p. 368. Vide etiam, p. 1143.

(2) Conc. Trid. sess. 21 *de ref.*, c. 2: Conf. c. 2, 4, 16, 23, X *de præb.* l. 3, t. 5.

(3) Conc. Prov. IV ut supra, p. 365.

(4) Litteræ Encyclicæ S. C. EE. et RR. 9 oct. 1682.

(5) Litteræ idem aliæ 1 febr. 1710.

(6) Cfr. Conc. Trid. sess. 23 *de ref.*, c. 3.

teris præscripto, afferat Episcopo suo testificationem scriptam Ordinis quem susceperit (1).

151. Episcopi nemini imponant manus, qui subditus sibi non sit, eo modo et ex iis titulis, qui in constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. C. quod incipit *A primis* die 20 Iulii 1898 statuuntur. Dimissio autem nonnisi ex iusta causa, in scriptis et pro determinata diœcesi ab Episcopo proprio erit concedenda (2). Illud etiam Episcopi caveant, ut ne in suum recipiant seminarium clericum aliquem ab aliquo seminario dimissum, aut quemlibet alium ab aliquo religioso Instituto dimissum, nisi prius secretis litteris exquisierint et exinde habuerint idonea de eo dimisso testimonia: atque id vel ab Episcopo clericum suum dimittente vel, si de religiosis agatur, a Superioribus dimittentis Instituti religiosi.

152. Si qui clerici ab aliquo Episcopo in seminarium recepti sunt, et reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde fuisse dimissos, admonendi sunt ut discedant statim ac eorum conditio cognoscitur. Quod si permanere velint et ab Ordinario hoc illis concedatur; primo quidem servandæ sunt canonicæ regulæ de eorum incardinatione et ordinatione; deinde vero ad sacerdotium promoti, omnino prohibentur ad eam redire diœcesim e cuius seminario dimissi fuerint, ut ibi habeant stabile domicilium. Idem vetantur qui dimissi e seminario in aliquod religiosum institutum ingressi sint, si inde exeant postquam sacris sunt initiati (3).

153. Regularium Ordinatio pertinet ad Episcopos, intra

(1) Conc. Pr. IV *quæ pert. ad S. Ord.*, p. 371.

(2) Cfr. Decr. *sancta Tridentina Synodus* d. 22 dec. 1905: vide etiam nuperrima S. C. C. decreta die 15 sept. et 24 nov. 1906.

(3) Vide etiam infra *de seminariis*, n. 377.

quorum diœcesis fines existant (1). Afferant ergo qui ordinari desiderent, præterquam dimissoriales litteras suorum superiorum, idoneas alias testimoniales, si extra diœcesim militiæ adacti fuerint, itemque testificationes de professione emissa, de peractis spiritualibus exercitiis, deque studiis emensis quæ pro Maiorum Ordinum collatione ab ipsis requiruntur (2).

154. Clerici e Seminario discessuri, ut sæcularis militiæ onus subeant, si quidem vocationis indicia iam dederint, moneantur de vero spiritu ecclesiastico servando per christianæ pietatis opera et per spirituales lectiones, præsertim e libro *Imitationis Christi.* Iubeantur deinde proprium Episcopum certiorem facere de locis, in quibus extra diœcesim degerint, ut ab ipso Episcoporum charitati et vigilantiæ pro diversis locis committantur. Quum vero a sæculari militia clerici redierint, ne admittantur in seminario, nisi de morum honestate testificationes referant et firmum propositum clericandi exhibeant. Ad Ordines autem generatim ne promoveantur, nisi aut in aliquo ecclesiastico collegio, aut in seminario (debitis quoad alios alumnos cautelis adhibitis) bonum de se experimentum per unum saltem annum præbeant (3).

155. Nemo sibi petere præsumat sacerdotalem honorem, nisi *qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (4). Neque enim ipse Christus *semeptisum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (5). Qui vero in sortem Domini vocati sunt et sacerdotali ministerio sunt mancipati, misericordissimo Deo

(1) Conc. Trid. sess. 23 *de ref.* c. 10.
(2) S. Cong. EE et RR. 4. nov. 1892.
(3) Cfr. Instrut. S. Offici 16 sept. 1875.
(4) Heb. 5, 4
(5) Heb. 5, 5.

perpetuas gratias agant, et videant ne primâ excidant charitate. Gratulamur quidem quod sacerdotes nostri, certis quibusdam ætatis et temporum opportunitatibus, non raro congregantur ad sacerdotalem suam ordinationem commemorandam; verum et illud optamus ut tunc ordinationis consodales simul conveniant spiritualibus habendis exercitiis; ibique magis magisque illud recolant Apostoli: *admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum* (1).

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

156. Misericordissimus Deus naturale connubium ad veri Novæ legis sacramenti dignitatem evexit: imo etiam, suâ præsertim arcanâ significatione, matrimonium ab Apostolo appellatur *sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia* (2), quum ipsam spiritualem atque intimam Christi cum Ecclesia unionem repræsentet. Verum ætate hac nostra, nefarii homines, carnis libertatem introducentes ac libertatem spiritus enecantes, matrimonii sanctitatem et firmitatem adoriuntur, quo facilius evertant nedum christianam, sed etiam domesticam et civilem societatem. Quoniam ergo de re gravissima agitur, officii nostri hoc esse ducimus, ut catholicam doctrinam inculcando et observantiam sacrorum canonum urgendo, matrimonii christiani dignitatem et sanctitatem infracto animo tueamur.

157. Quæ Summus Pontifex Leo XIII f. r. tradebat monita, prompto animo nos iterum suscipimus, eaque Clero nostro, ac præsertim Parochis, quam maxime commenda-

(1) II Tim. 1, 6.

(2) Eph. 5, 32.

mus: « Præcipuas curas insumite, ut populi... semper memoria teneant, matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate Dei fuisse initio constitutum et hac lege prorsus ut sit unius ad unam: Christum novi fœderis auctorem illud ipsum ex officio naturæ in Sacramenta transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et iudicialem Ecclesiæ suæ adtribuisse potestatem. Quo in genere cavendum est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui eiusmodi potestatem Ecclesiæ ademptam vellent » (1).

158. Edoceantur fideles nullo modo vi contractus mere civilis constare posse inter christianos veri nominis matrimonium, atque ipsum matrimonii contractum a sacramento nullo modo posse separari (2). Edoceantur præcipue, matrimonium, per legem evangelicam vetere dispositione abrogata, in pristinam firmitatem restitutum, inseparabile evasisse viri et mulieris coniugium, ideoque, eo semel contracto, divortium quoad vinculum nulla humana lege sanciri aut permitti posse (3).

159. Non raro tum Parochus tum concionator tractationem de sacramento matrimonii suscipiet. Docebit illius sacramenti vim et sanctitatem in eo potissimum esse quod gratiam conferat iis, qui bene dispositi ad illud suscipiendum accedant, qua efficitur ut vir et uxor mutuæ charitatis vinculo coniuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat; alienosque et illicitos amores non quærat, sed sit honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus (4). Monebit proinde quam religiosa præparatione sit ineundum, atque hortabitur ad orationem, ad confessionem et com-

(1) Leo XIII *Arcanum* 10 febr. 1880.
(2) Syllab. Pii IX, § 8, n. 65-74.
(3) Encycl. ut supra et instruct. S. Pœnit. 15 ian. 1866 etc.
(4) Hebr. 13, 4: cfr. Cath. Rom. p. 2, c. 8, n. 17.

munionem antequam nuptiæ celebrentur. Ut autem remotiori etiam præparationi consulatur, parochi adolescentes moneant de parentibus honorandis, de honestate vitæ et christiana pietate excolenda; vehementer etiam obsistant aut exprobrent amationibus et levitatibus adolescentum, quibus forte vel ipsi indulgeant parentes prætextu conciliandi nuptias (1).

160. Qua par est gravitate et prudentia moneantur fideles de impedimentis, quæ ex iure naturali, vel divino, vel ecclesiastico matrimonia illicita reddunt seu etiam invalida. Parochus inter eos præsertim amovenda coniugia curet, quorum non sit una catholica fides, quive sint consanguinei; ac graviter moneat nullo modo matrimonio esse paratos qui fidem quidem non abiecerint, sed eam renuunt profiteri, vel abnuunt officia christiana. Nupturientes item persuadeantur, ut in magna hac re parentum consilia adhibeant; quod quidem et naturalis atque humana suadet lex et sacrarum litterarum exempla docent (2). Quamvis vero parentes iudicentur a matrimonio contrahendo iniuste dissentire, iubemus tamen, ne Parochi, inconsulto Episcopo, nuptiarum celebrationi adsistant.

161. Unice ad Ecclesiam pertinet, non solum de matrimonio, sed etiam de sponsalibus leges condere ac decernere (3). Sponsalia quidem rite inita obligationem pariunt: ut autem sponsi, conquerentes de violata fide, in Curiis audiri possint, præmonemus fideles ut sponsalia scripto stipulentur, et ab ipsis spondentibus subsignentur atque

(1) Cfr. A. E, M. *Instruct. de Præd. Concion. off.* p. 1236.

(2) A. E. M. ut supra. Conf. etiam Conc. Trid. sess. 24 *Decr. de ref. matr.*, c. 1; et Benedict. XIV, Const. *Satis Vobis* 17 nov. 1741, § 4

(3) Cfr. X, l. IV, t. 1, *De sponsalibus et matrimoniis, etc.;* et in decreto: C. 30, q. 2, C. 27, q. 2 passim: C. 31, q. 3.

ab idoneis testibus (1): verborum autem formula ita dilucide concipiatur, ut de eorum sensu nulla deinde quæstio vel difficultas oriatur. Nullo vero modo laudamus sponsalia, quæ nimio temporis intervallo distant a matrimonio: initis autem sponsalibus, ne desit unquam christiana cautio et vigilantia.

162. « Parocho onus iniunctum est, ut antequam denunciationes in Ecclesia fiant, ipse, tum sponsum, tum sponsam seorsim, caute et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte ac libenter, et cum vero animi consensu, in matrimonium coniungantur. Nec non, quantum fieri potest, inquirere nitatur, ullum ne et cuius generis impedimentum inter contrahentes intercedat: aliis ne alter ex contrahentibus fidem sponsionemque dederit: de consensu ne parentum filii filiæque familias contrahant » (2). Omnia requirat « a fœmina loco honesto et in propinquorum conspectu: ita tamen ut ne quisquam audiat, neque illa præ pudore aut aliâ causâ minus libere animi sui voluntatem audeat exprimere » (3).

163. « Parochus quos sponsos experiundo viderit doctrinæ christianæ rudimenta plane ignorare, ne matrimonio ante iungat quam didicisse cognoverit, quæ eo de genere illos plane scire oportet » (4). Hos ergo, quantum rerum adiuncta concesserint, remittat ad alios opportune erudiendos: neque ipse gravetur, pro suo officio et charitate, sponsos ignaros de iis instruere quæ necessaria de necessitate medii sunt, curando postea ut uberiores habeant instructiones.

(1) De tota hac re vide nuperrimum a S. C. C. de mandato SS. D. N. Pii PP. X die 2 aug. 1907 editum decretum, quod in App. damus (V. App. XIV).

(2) Benedictus XIV, Constit *nimiam*, 18 maii 1743, § 10.

(3) A E. M. *Instruct. matr.*, p. 1387; Conc. Prov. IV, *quæ p. ad matrim.*, p. 475-476.

(4) Conc. Prov. V *quæ ad matr.*, p. 701.

164. Parochus, si quem sponsum baptizatum noverit matrimonium quidem coram Ecclesia petentem, sed unice ut sponsæ desiderio satisfaciat, cæteroquin apostasiam verbis et opere profitentem, atque testantem se Ecclesiæ sacramentis non credere; quum nullo modo poterit huiusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur), et prudenter timeat ne ex denegata matrimonii adsistentia, grave scandalum vel damnum oriatur; rem ad Episcopum deferat. Episcopi autem erit perpendere ac decernere, utrum in eo casu educationi prolis satis cautum sit: atque exinde utrum nec ne concedi Parocho possit, ut matrimonio tanquam testis *authorizabilis* adsistat. Idem iubetur, quum vir alicui sectæ addictus ab Ecclesia damnatæ matrimonii sacramentum petat, eidemque renunciare sectæ recuset (1),

165. Dispensationibus ab impedimentis matrimonii neque Parochus per se faveat, neque Episcopus de facili consentiat: quum enim dispensatio relaxatio iuris communis sit, omnibus est exploratum, dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis interveniat causa: quin imo tanto graviorem requiri causam, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur (2). Curent ideo Parochi, ut petitionibus dispensationum requisita motiva ac documenta addantur pro imploranda gratia.

166. Parochus « si in aliqua probabili coniectura extiterit, qua existimet inire matrimonium non licere, Episcopum ante consulat, quam ulterius in denunciationibus progrediatur, sponsosve iungat, quos dubitat matrimonio non licere copulari » (3).

(1) Cong. S. Off. 30 ian. 1867 et 11 ian. 1899.

(2) Instruct. S. C. de Prop. Fide super disp. matr., 9 maii 1877, Collect. n. 1462.

(3) Conc. Pr. III, 270. Cfr. etiam *Instructio matr.*, p. 1389.

167. Parochi ne matrimonii denunciationes inchoent, nisi obtenta dispensatione ab impedimentis, si quæ sunt, et nisi probatâ eorumdem *status libertate*. Hæc autem *status libertas* comprobanda est, tot a singulis Episcopis allatis testificationibus, quot sunt diœceses, in quibus contrahentes morati sunt per sex aut amplius menses. Meminerint Parochi has exteras testificationes nullius fore roboris, nisi iterum ab Episcopo proprio recognoscantur (1).

168. Episcoporum est testimonia valida perhibere, quibus constet de matrimonialis status libertate. Quod si hæc *status libertas* demonstrari non poterit, neque per consuetas publicationes, neque per idoneas testium depositiones; nupturientes admitti poterunt ad iuramentum suppletorium, ex facultate quam Ordinarii ab Apostolica Sede obtinuerint (2). Moneantur autem semper ii, qui daturi sunt iusiurandum, de actus emittendi sanctitate, deque pœnis in periuros a sacris canonibus comminatis (3).

169. « Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnia, denuncietur inter quos matrimonium sit contrahendum » (4). « Denunciationes festis illis diebus fiant qui Ecclesiæ præcepto servantur, mediâ eâ Missâ, ad quam frequentior populus convenire solet » (5). Quod si in diversis parochiis contrahentes

(1) Cfr. Litteras Archiep. et Ep. Eccl. Prov. Med. ad ven. Cler. 4 nov. 1891, *quinto*.

(2) S. C. C. 30 nov. 1893. Cfr. Instruct. in Adriensi 1 febr. 1865: Cfr. Decl. C. S. O. 24 febr. 1847 et Decretum et Instruct. Congr. S. O. 21 aug. 1670: Vide iterum Litt. Arch et Ep. Prov. Med., 4 nov. 1891, *quinto* et *in App.* Cfr. etiam in hac re Conc. Trid. sess. 24, *de ref. matrim.* c. 7.

(3) Instruct. S. Off. pro Deleg. Apost. Ægypti 11 ian. 1869 et 9 dec. 1874: apud Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1373 et 1375.

(4) Conc. Trid. sess. 24, *de ref. matr.*, c. 1.

(5) Conc. Pr. I, *quæ ad sacr. matr.*, p. 119.

habitant, tum in unius et in alterius parochia denunciationes fiant (1). « Quo vero die de matrimonio contrahendo denunciatio ultima facta est, ne eo ipso die, nisi impetrata ab Episcopo facultate, illud celebretur; præterquam si postrema denunciatio facta sit pridie illius diei, quo initium est Quadragesimæ vel Adventus » (2). Ut autem populus sufficiens tempus habeat impedimenta denuntiandi, si qua detexerint, Parochi aliquem interponant festum diem, si forte denunciationes fieri contingant tribus immediatis festis diebus.

170. « Denunciationes Tridentina sanctione præscriptas, Episcopus ne facile remittat » (3): videat autem ne ob aliam causam remittat nisi ob rationabilem, ac præsertim quum Ordinarii iudicio verisimilis suspicio est matrimonium malitiose posse impediri (4). « Matrimonii futuri denunciationibus de more in Ecclesia factis, si forte hoc accidit ut illud duorum mensium spatio post non contrahatur, ne idem antea Parochus celebret, quam iterum denunciationes ex Tridentini præscripto edixerit, si modo aliud Episcopus non concesserit » (5).

171. Nemini, nisi de consensu Episcopi, tradere liceat municipiis, prætoribus, procuratoribus regiis aut ulli civili magistratui, parœcialis archivi codices, aut excerpta ex illis nomina. Præcipue vero illorum tradi nomina vetantur, qui forte matrimonium coram Ecclesia tantum iniverint (6).

(1) Conc. Pr. II, t. 1, decr. 26, p. 177.

(2) Conc. Pr. III, *de iis quæ ad matr.*, p. 270.

(3) Conc. Prov. IV, *quæ p. ad matr.*, p. 475.

(4) Cfr. Conc. Prov. V, *quæ p. ad matr.*, p. 700.

(5) Con. Pr. ut supra, p. 701.

(6) Cfr. Litt. Arch. et EE. Provinc. Med. ad Ven. Clericorum Ord. *quinto*, p. 12, die 4 nov. an. 1891: atque etiam Decret. S. R. Pœn., 11 mart. 1891.

172. Benedictio nuptialis tribuenda est primo tantum nubentibus: atque ob eam rem « caveat Parochus, ne quando coniuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliquam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea consuetudo servanda est » (1).

173. Nuptialis « benedictio a nullo alio quam ab ipso Parocho seu ab alio sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia fieri debet » (2). Curandum est ut matrimonia inita non modo in libro matrimoniorum illico describantur, verum etiam in libro quoque baptizatorum adnotentur. Parochi qui ineundis matrimoniis præscripta violaverint, pro modo et gravitate culpæ ab ipsis tum iure tum etiam Ordinariis punientur (3). — (V. App. XIV).

174. Quamvis civile, quod aiunt, matrimonium vi et ratione veri coniugii apud Christi fideles careat; ne quid tamen christianæ familiæ detrimenti capiant, sed e contra sint salva quæ in bonum prolis a matrimonio consequuntur, necesse est in præsenti rerum conditione civilibus quoque legibus, quoad fieri potest, morem gerere. Duo ergo præcipue Parochi meminerint: primum quidem « ne matrimoniis eorum intersint, quos noverint aut nolle ut illico actus civilis subsequatur, aut in iis adiunctis versari in quibus id præstare non possunt. Quoties vero id contingat, statim ad Episcopum negotium deferant, qui re perspecta, quod iustum et æquum erit, decernet » (4). Præterea « civilem actum peragere fideles nequaquam debent,

(1) Rituale Rom., *De sacramento matr.*

(2) Rituale Rom., ut supra.

(3) Cfr. Conc. Trid., sess. 24, *decr. de ref. matr.*, c. 1.

(4) Litteræ Archiep. et Episc. Prov. Mediol. ad ven. Cler., 4 nov. 1891, p. 11 *quinto*.

antequam coram Ecclesia matrimonium celebraverint. Et si qua absoluta necessitas esset eiusmodi ordinis invertendi, tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quam primum contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti consistant » (1).

175. Dolendum quidem est his nostris diebus, præsertim in frequentioribus locis, damnanda coniugia valde increbuisse, atque ipsa præeunte civilium legum libertate seu effrenata licentia, magnam morum invectam esse corruptelam. Medendis vero, quo meliori possit modo, hominum malis, ne animæ pereant et ne ipsa innocens proles damna patiatur, in ipso mortis articolo, multa indulget pia mater Ecclesia; ideoque his nostris præsertim diebus, ea conciliantur matrimonia quæ *in extremis* dicuntur.

176. Concessa est nuper ab Apostolica Sede facultas: « qua locorum Ordinarii *dispensare valeant* sive per se, sive *per ecclesiasticam personam sibi benevisam, ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis,* matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus: excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente ». Additum onus erat, si dispensati convaluissent, monendi Apostolicam Sedem de collatis ab Episcopo dispensationibus super impedimentis sacri subdiaconatus vel diaconatus ordinis, itemque solemnis professionis religiosæ (2), remoto interim scandalo, meliori quo possit modo. Concessum deinde est ut « Ordinarii eam facultatem habitualiter subdelegare

(1) Instruct. S. Pœnit., *Quod quamdiu,* 15 ian. 1866, n. 7. Leo XIII Epist. ad Card. di Canossa et Episcopos Ven. Prov. de rogata præcedentia civilis, ut aiunt, matrimonii, 8 feb. 1893. Cfr. etiam Litt. Arch. et Ep. Prov. Mediol. 15 iun. an. 1899.

(2) Congr. S. R. U. I., et 20 febbr. 1888.

possent parochis tantum, et pro casibus in quibus desit tempus ad Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora » (1). Declaratum item nomine parochorum eos etiam intelligi qui vacantes regunt parœcias (2): nullum autem esse locum dispensationi pro iis « qui nec matrimonium civile celebraverint, nec in concubinatu vivant » (3). E contra dari locum « non tantum quum impedimentum afficiat directe ægrotum, sed etiam quum directe afficiat bene valentem » (4). Episcopi pro sua quisque prudentia, diligenter de hac re in bonum fidelium provideant.

177. Divortia nimio cedunt detrimento, non modo religionis, sed ipsius etiam societatis civilis. « Eorum enim causâ, maritalia fœdera fiunt mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur: tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt, ne cum lilidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur... Prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica, divortia ad vitiosiores vitæ publicæ et privatæ consuetudines ianuam patefaciunt » (5). Instent igitur quam maxime et frequenter Parochi et concionatores, catholicam doctrinam explicando de indissolubilitate matrimoni: *quod* enim *Deus coniunxit homo non separet* (6).

178. Enixe etiam obsistendum est separationibus coniugum, quæ ad communem tantum thorum et cohabita-

(1) Eadem, 1 mart. 1889.

(2) Eadem, 23 apr. 1890.

(3) Eadem, 20 sept. 1890.

(4) Eadem, 1 iul. 1891.

(5) Leo XIII, Encycl. *Arcanum*. 10 febr. 1880.

(6) Math. 19, 6; Conc. Trid. sess. 24, can. 5. Vide etiam *Circolare della S. Congr. del C. Officio agli Arcivescovi e Vescovi d'Italia*, 24 dec. 1901: et alloc. Leonis XIII in Consist., 16 dec. 1901.

tionem limitantur. Suadeantur coniuges ut mutuos sibi perferant humanæ naturæ defectus et incommoda matrimonii, eâ charitate christianâ et eâ christianâ patientiâ, quæ *opus perfectum habet* (1): mutuæ veniæ et mutuæ suadeantur et imperentur reconciliationes. Separationes quandoque, gravibus prorsus de causis, tolerari possunt, aut etiam præ animæ vel corporis periculo ad tempus quandoque obligari: ne tamen fideles in re tam aspera et salebrosa fallantur, Ecclesiæ satagant auctoritatem adhibere. Quare Parochi rem integram omnino ad Episcopum deferant, qui ad determinatum præsertim tempus separationem valeat concedere, seu etiam negare, impositis quoque iniuste reluctantibus salutaribus pœnitentiis.

CAPUT IX.

De Sacramentalibus.

179. Sacramentalia quamdam habent cum Sacramentis similitudinem; sunt enim res aut actiones ab Ecclesia institutæ aut adhibitæ, ad quosdam effectus præsertim spirituales producendos, quorum præcipui sunt gratiarum prævenientium adeptio, piorum motuum excitatio, venialium remissio et aliquorum etiam temporalium beneficiorum impetratio (2). Magna debetur Sacramentalibus reverentia; atque adeo de iis Parochi populum instruant, eademque sacerdotes omnes, pro re nata, devote ac religiose adhibeant, aut conficiant.

180. Præcipue populo explicentur ritus et cæremoniæ, quibus Ecclesia utitur in administratione sacramentorum: item ritus, quibus sacræ ædes et altaria consecrantur, cœ-

(1) Iacob. 1, 4.

(2) Cfr. Conc. Plen. Americ. 601; S. Th. 3 p., q. 87, a. 3.

meteria et campanæ benedicuntur. « Singulis diebus dominicis, sacerdos Missæ parochialis sacrum facturus, antequam illud inchoet, aquam sale aspersam benedicendo renovet: eamque, ut moris est, aspergat » (1). De eo sacro ritu parochianos suos Parochus edoceat atque hortetur, ut velint « de ipsa aqua benedicta in vasculis accipere, et secum deferre... ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et sæpius aspergi possint » (2).

181. Aquæ benedictæ aspersio, quæ in ædibus fidelium fit vel Sabbato sancto, vel in vigilia diei Natalis Domini, propria est Parochorum. Quamobrem ne alius quam Parochus proprius illas aspergat, aliusve ab eo deputatus (3). Ea vero opportunitate utatur Parochus bonis moribus inducendis et commendandis, malis suaviter medendis et sanandis (4). Eorum autem domibus, qui publico aliis malo exemplo et scandalo sunt, ut qui in concubinatu vivunt, sane non expedit benedicere.

182. « Antiquissimi instituti in Ecclesia est, die dominico Pascha resurrectionis Domini antecedente, ramos palmarum et olivarum solemnibus precibus benedici ac fidelibus tradi, qui gestent, domique religiose atque decenter asservent » (5). Item: « Sacrorum cinerum usus antiquissimus est, ac non solum ad significandam, sed ad excitandam etiam pœnitentiam introductus » (6). Item: « Die sacro Purificationis beatissimæ Mariæ Virginis usus ritusque benedictionis candelarum cereorumve plenus est mysteriorum et salutarium utilitatum » (7). Solemniores

(1) Conc. Pr. III, p. 243.
(2) Rituale Rom., *Ordo ad fac. aquam ben.* in fine.
(3) Cfr. Conc. Prov. VI, p. 738-739.
(4) Cfr. Conc. Prov. V, p. 541, etc.
(5) Conc. Pr. V, p. 539.
(6) Conc. Pr. V, p. 538.
(7) Ut supra.

benedictiones, ut in Missali et in rituali libro describuntur, digne ac devote celebrentur.

183. « Ne quis Episcopo inferior, vestes, indumenta, vasave ad Missæ sacrificium, divinorumque Officiorum cultum aut ad altaris ornatum parata, sine Sedis Apostolicæ facultate benedicat; nisi si alicui de iure talia benedicendi facultas competeret » (1). Aliæ sunt quoque benedictiones Episcopo reservatæ, quas nemo audeat usurpare. In iis autem impertiendis quæ Episcopo non reservantur, duo omnino servanda sunt; ut adhibeantur eæ tantum formulæ, quæ ab Ecclesia sunt probatæ; ut absit prorsus superstitionis aut turpis lucri quæstus vel etiam suspicio. Quæ vero fideles sponte offerunt, sacerdos modeste accipiat.

184. Signum crucis valde commendatur a S. Carolo ut appareat « non in templis solum, sed domi forisque, in parietibus ac vestibulis, passimque in urbe.... tanquam et præclarum populi christiani trophæum, et sempiternum denique testimonium, quo palam fieret fideles cum inimicis Crucis Christi nihil habere commune, sed libere profiteri quem colunt, et hunc crucifixum » (2). Optandum summopere ut pium ac religiosum morem, Apostolica traditione inductum (3), sese Crucis signo devote muniendi, fideles omnes observent; quod quidem haud parum conferet et ad tentationes superandas et ad fidem augendam, quum in eo præcipua religionis mysteria recolantur.

185. Vexilla societatum « nulla sunt benedicenda nisi earum, quarum statuta ab ecclesiasticâ auctoritate approbata fuerint, et quæ ab ea aliquo modo dependeant, et ali-

(1) Conc. Pr. V, 738.

(2) Conc. Prov. III, *quæ ad sacramentalia* etc. p. 242.

(3) Cfr. Tertull. *De cor. mil.*, c. 3, Migne t. 2 p. 80; August. *in psal*, Migne t. 36 p. 252, p. 585 etc.

quod religionis signum, nullum autem emblema reprobandum, præseferant » (1).

186. Multiplices in rituali libro, præcipue in collectionibus et editionibus novis, exhibentur benedictionum formulæ. Si forte propria desit, adhibenda est *benedictio ad omnia,* vel signo crucis benedicendum est.

CAPUT X.

De Indulgentiis.

187. « Indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse » affirmamus et credimus (2); ac constanter profitemur per eas, fideles iam a culpæ vinculis absolutos, de thesauro meritorum Christi Domini, Beatæ Mariæ Virginis et omnium Sanctorum, ipsa dispensante Ecclesia, id accipere, quo et debito pœnæ, sive partim sive omnino, vel pro se, vel etiam pro defunctis satisfaciant.

188. Episcopi sollicite invigilent ne indulgentiæ falsæ et apocryphæ circumferantur: eas e fidelium manibus removeant, atque etiam satagant ut Sanctæ Sedis decreta, præsertim super earumdem Indulgentiarum publicatione ac impressione accurate observentur (3). — (V. App. XV).

189. Parochi doctrinam sanam, quæ ex Ecclesiæ magisterio potissimum haurienda est, fidelibus tradant; eos instruant de conditionibus ad Indulgentias lucrandas requisitis, ac solerter excitent ad tam pretiosum thesaurum sibi comparandum; quocirca solemniores præsertim indulgentias opportuno tempore christiano populo denuntient (4).

(1) Congr. S. Off., 3 oct. 1887.

(2) In form. Profess. fidei, Pii PP. IV.

(3) S. C. Indulg. 10 aug. 1899.

(4) Conc. Pr. III, *De Parochis,* p. 260.

190. Diligenter parochi conficiant et in archivio vel in sacrario custodiant elencum seu codicem Indulgentiarum, una cum authenticis concessionis documentis. Si sunt temporaneæ, antequam excidant, ac multo magis si exciderint, propere renovari curent, ne forte eorum negligentiâ fidelium pietas decipiatur. Si qua autem Parochialis Ecclesia particularibus destituatur Indulgentiis, hæ, saltem pro præcipuis loci festivitatibus ac pro piis Sodalitatibus, ab Apostolica Sede suppliciter implorentur.

191. Magni habenda est indulgentia *altaris privilegiati,* qua perpetuo ditantur Cathedrales Ecclesiæ quoad unum (2) altare ab Episcopo designandum. Studeant Episcopi ne ulla Ecclesia Parochialis huiusmodi careat privilegio. Hoc autem nosse debent fideles, ut eo frui possint ad levamen animarum, quæ in purgatorio detinentur; ideoque prope ipsum altare apponatur titulus: *altare privilegiatum.*

(1) Benedictus XIII in brevi *Omnium saluti,* 20 aug. 1724: Cfr. S. C. Indulg. 25 aug. 1897.

TITULUS TERTIUS

DE CULTU DIVINO.

CAPUT I.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

192. Summus adorationis cultus Deo tribuitur in sacrosancto Missæ Sacrificio, quod cœlo gloriosum, Ecclesiæ Dei suavissimum, benignissimus Redemptor noster Iesus Christus in ultima Cœna instituit, et tamquam *oblationem mundam* (1) ubique terrarum Deo offerri mandavit. In eo « idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit....: una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ » (2). Hæreticum est affirmare in Missis non offerri Deo verum et proprium sacrificium: vel mancum quoddam Deo offerri, eo quod Missa deficiat in Deo pro peccatis et necessitatibus nostris placando atque exorando. Catholica fides e contra profitetur Missam esse verum et proprium sacrificium, omnium sanctissimum, latreuticum, eucharisticum, propitiatorium atque impetratorium; illudque non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem, offerri (3).

(1) Malach. 1, 11.
(2) Conc. Trid., sess. 22, cap. 2.
(3) Ib. cap. 1. 2 et can. 1-4 nec non sess. 25 *de purgat.*

193. Quum Missa sit quædam rerum divinarum plenitudo, et magnam contineat populi fidelis eruditionem (1), accurate Parochi meminerint illud Tridentini Concilii mandatum, ut frequenter inter Missarum celebrationem ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque ipsius sacrificii mysterium aliquod declarent (2).

194. « Nullus sacerdos in privatis ædibus et extra Ecclesiam et oratoria, quæ divino tantum cultui dicata et a locorum Episcopis designata ac visitata sint, Missam celebret. Oratoriorum autem ædificationem aut usum, ne facile, sed magna de causa permittant Episcopi » (3).

195. Iamdiu latam iteramus præscriptionem, ut festis quibusque diebus nullæ missæ inchoentur post dimidiam a meridie horam, nisi forte in Ecclesiis cathedralibus, quum aut pontificalis missa aut quadragesimalis prædicatio moras afferat et tarditates. Ne in ipsa quidem Nativitate Domini tardius eâ horâ trium missarum postrema est remoranda (4). Ferialibus autem quibuslibet etiam diebus, Rectores Ecclesiarum cathedralium, parochialium et aliarum omnium, ubi plures Missæ celebrari solent, illud curent « ut pro populi commoditate, prima diluculo, reliquis deinceps debito intervallo distributis, postrema, quo tardius liceat, celebretur » (5). In huiusmodi Ecclesiis tabella ad valvas ponatur, in qua certa Missarum distributio apte descripta appareat (6), eaque fideliter servetur.

(1) Conc. Trid., sess. 22, cap 8.

(2) Ib. et vide etiam retro n 20.

(3) Conc. Prov. I, *quæ pertinent ad celebr. Missæ*, p 48. Cfr. Conc Trid. sess. 22, *Decretum de observ. et evit. in cel. mis*. Cfr. in iure cap. 11, 12, 14, 15, 34. *De consecr.*, d. I et alia.

(4) Cfr. litt. Arch. et EE. Prov. Med. 6 ian. 1896, Notif. III, 4.

(5) Conc. Prov. I ut supra.

(6) Conc. Prov. IV, p. 381.

196. Indumenta sacra et vestium apparatus ad præscriptam iuris et instructionum normam omnia sunt conficienda (1). Is adhibeatur color qui congruat ritui (2). Omnia « pro celebratione Missæ, pura ac munda sint, præsertim corporalia ac purificatoria: quamobrem etiam vino albo, ubi possit, ad Missæ sacrificium sacerdotes utantur (3) ». Urceoli sint vitrei, quo facilius aqua a vino dignoscatur (4). Calices prorsus argenteâ sint cuppâ. Celebranti Missam lectam, etiamsi agatur de prælatis Episcopo inferioribus, unus tantum minister inserviat, isque talari veste et superpelliceo indutus: duo item cerei tantum accendantur. In diebus autem solemnioribus, quoad Missas parochiales vel similes, et quoad illas, quæ celebrantur loco solemnis atque cantatæ, duo ministri Missæ inservientes poterunt tolerari (5).

197. Quum res sit omnium sanctissima divinum sacrificium celebrare, se illi præparet sacerdos tum congruo corporis decore, tum maxima, qua potest, animi pietate ac puritate. Induatur talari veste, tonsura sit patenti, albo et simplici clericorum ornetur collari. Quod autem præcipue monet S. Carolus, id maxime caveat, ne sacra mensa fiat sibi *in laqueum et in captionem et in scandalum.* Studeat ergo, nedum a letalibus, sed a levibus culpis mundus esse (6).

198. « Antequam celebret sacerdos, se recolligat et mentem in tanti ministerii cogitatione defigat... Missa peracta,

(1) Conc. Prov. III, *de iis quæ pert. ad ornatum eccl.,* p. 265-266.
(2) Conc. Prov. IV, *quæ pert. ad SS. Missæ sacr.*, p. 394.
(3) Conc. Prov. I, *quæ pert. ad cel. Missæ,* p. 48.
(4) Conc. Prov. IV, p. 385.
(5) S. R C. 12 sep. 1857 ad 7°.
(6) Vide A. E. M., *Instruct. pro cel. Missæ,* p. 1801.

pro summi beneficii munere, Deo gratias agat » (1). Idem autem S. Carolus celebraturos hortatur, ut orationem et sermonem D. N. Iesu Christi in cœna ante passionem memorent: atque in hanc rem illud recitat S. Basilii: « Quid est proprium eorum qui manducant et bibunt poculum Domini? servare perpetuam memoriam illius qui mortuus est et resurrexit » (2).

199. Prima sacerdotum in celebrando pietas atque reverentia in eo esse debet « ut cœremonias a Romana Ecclesia institutas ad unguem servent, neque alias adhibeant... Sacris vestibus induti, cum nemine colloquantur, neque loquentibus dent aures » (3).

200. A vitio præcipitationis caveant diligenter: declaratur ea Missa celebrari decenter, quæ nec ultra dimidiam nec ante tertiam horæ partem communiter absolvitur. Qui citius horæ quadrante absolvit altaris sacrificium, is certe gravem Divinæ Maiestati irrogat iniuriam. Vicarii Foranei, itemque sacerdotes alii, et in primis Parochi meminerint hunc esse suo Ordinario denunciandum, ne tam indigne diutius cœlestia peragat mysteria.

201. « Clericis alienæ diœcesis, rei divinæ faciendæ facultatem ne permittat Episcopus, nisi ostendant litteras testimoniales seu dimissorias Ordinarii sui » (4). In singulis diœcesibus, sacerdotibus peregrinantibus aliquot dierum spatium libere celebrandi Episcopi determinent; quo quidem elapso, ne illis celebrare liceat, nisi debitam celebrandi facultatem in Curia loci obtinuerint. Qui autem degunt in finitimis alienæ diœcesis parœciis, iis quidem per vicariatus

(1) Conc. Prov. I, 49-50.
(2) A. E. M., *Instructio* etc. p. 1803-4.
(3) Conc. Prov. I, p. 49-50.
(4) Conc. Prov. I, 47. Conc. Trid. sess. 22 *Decret. de obs.*

sibi finitimos eam tribuimus celebrandi facultatem, qua in sua diœcesi fruuntur.

202. Interest quam maxime, ut et nullum *toleretur* detestabile commercii Missarum genus aut species indecora, et debitâ semper sollicitudine curetur Missarum manualium celebratio. De ea re plurimæ et gravissimæ ab Apostolica Sede latæ sunt leges atque decreta: quæ omnia excipit nuperrime editum a S. Concilii Congregatione decretum (1), cuius exemplar in App. damus — (V. App. XVI).

203. Ad præcavendum item turpis cuiuslibet mercimonii aut cupiditatis suspicionem, Episcopi certum libellarum numerum pro taxa definiant, ultra quam ne liceat diebus dominicis et festis de præcepto, aut quidquam amplius exigere cuilibet sacerdoti pro Missæ stipendio, aut ipsis Ecclesiarum Rectoribus pro Missarum stipendio dare: ne ullus alliciatur sacerdos in una præ alia Ecclesia celebrare.

204. Meminerint sacerdotes in Missas celebrandi onere et munere, adiuncta temporis ac præsertim loci, maximi esse momenti. Si quis ergo in altari certo Missam celebrare debet et in alio celebraverit, illicite agit, nisi Episcopi obtenta licentia fecerit (2).

205. « Moneant Parochi frequenter patrês familias, ut filios et famulos, quos occupant, saltem diebus festis, Missæ iubeant interesse... Fideles cum intersunt, ita se componant ut corporis habitu religionem præseferant. Ne in foribus Ecclesiæ vel extra subsistant, nisi necessitatis causa. Aperto capite sint, et quo tempore graviora mysteria peraguntur, sint flexis genibus » (3); ne antea discedant, quam additas postremo preces sacerdos absolverit.

(1) S. C. C. *Recenti decreto* 22 maii 1907. Cfr. *Ut debita,* 11 maii 1904, etc. etc.

(2) Cfr. Conc. Prov. IV, *q. pert. ad SS. Missæ sacr.*, p. 380.

(3) Conc. Prov. I, p. 50-51.

206. Ex Apostolico autem instituto, quod sanctus Carolus tantopere inculcabat, quodque hodie passim negligitur, illud agant parochi ut mulieres habitu modesto et cooperto capite in Ecclesiam conveniant, et sacras processiones comitentur.

CAPUT II.

De cultu D. N. Iesu Christi.

207. Una adoratione Verbum Incarnatum cum eius carne veneramur, iuxta quod Sanctæ Dei Ecclesiæ traditum est (1); Pater enim « omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicat honorificant Patrem » (2). Eumdem Unigenitum Dei Filium in SS. Eucharistia, cultu latriæ etiam externo, adoramus (3). Quotquot igitur Dominici gregis curam habent, christifidelium illuminent fidem et devotionem accendant, eos admonentes ut tantum sacramentum venerentur cernui: in quo esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi firma fide profitemur (4).

208. Iesum Christum in sancto sacramento publice ut adoretur exponendum, Ecclesia docet (5); verum sine Episcopi iussu aut concessu publica SS. Sacramenti expositio in Ecclesia ne fiat (6). Publicam autem dicimus expositionem, quum, retecto ostensorio, SS. Eucharistia proponitur populo per aliquod tempus adoranda. Publicâ tantum causâ

(1) Cfr. *firmiter* 1 *De summa Tr.* Clem. I. 1. t. 1.

(2) Ioan. 5, 23-4.

(3) Conc Trid. 13, cap. 5, can 6.

(4) In form. prof. fidei Pii PP. IV.

(5) Conc. Trid. ut supra.

(6) Cfr. C. Trid. sess. 21, cap 8; Cfr. S. Cong C. 21 iun. 1689, et pluries. Vide Benedict. XIV. *Raccolta di Editti, Notificaz, Istruz.*, n. xxx.

id omne fiat, eâque ab Episcopo probata. Expositio productior optatur in octava SS. Corporis Domini et in festis SS. Nominis et sacratissimi Cordis Iesu, in iis quidem Ecclesiis ubi SS. Sacramentum servatur. Quoties vero SS. Eucharistiæ fit expositio, ne nigro tum apparato ornentur altaria, et duodecim saltem ad altare candelæ colluceant.

209. Solemnior expositio est in *oratione quadraginta horarum.* Celebretur quo decet et quo splendidiori potest apparatu: ornatus tamen magnificentior curandus est in numero fidelium Eucharisticam mensam adeuntium et SS. Sacramentum adorantium: quibus quidem sacerdotes in exemplum præeant, superpelliceo et stola induti. Denuncientur populo concessæ ad id indulgentiæ (1): iuventur fideles congruâ confessariorum copiâ, et opportuna habeatur prædicatio, quæ ad pœnitentiam et Dei amorem moveat.

210. Privata expositio in eo habetur, quum aperto ostio tabernaculi, SS. Eucharistia parumper quidem ad limen deducta, non tamen educta, in pixide clausa et velo obtecta, aliquamdiu adoratur. Conceditur id quidem Ecclesiarum Rectoribus pro singulis fidelium necessitatibus, præsertim pro morientibus et contra aeris tempestates (2); servatis tamen Ritualis præscriptionibus. Duo saltem clerici sacerdoti inserviant, sex saltem candelæ luceant, et statæ preces recitentur, nec sine benedictione SS. Eucharistia reponatur.

211. In omnibus parochialibus Ecclesiis, dominicis diebus et festis de præcepto, publica detur benedictio cum Augustissimo Sacramento in Ostensorio: idem fieri optamus in novendialibus, quæ per annum solemniores præeunt festivitates. Probamus etiam legitima de causa, sæpius

(1) S. Congr. Indul. 1 apr. 1898.

(2) Bened. XIV ut supra n. 16 et 22 seqq.: nec non S. C. Rit. 31 maii 1642: Cfr. Rituale.

per hebdomadam, eam dari de consensu Ordinarii: pluries in die ne impertiatur sine Episcopi licentia.

212. Processio cum Augustissimo Sacramento a clero ac populo in festo SS. Corporis Domini fiat, et in reliquis eius octavæ diebus pro singularum diœcesium consuetudine ac statutis (1). Ea quoque fiat in singulis parœciis, tertiâ mensis vel aliâ iuxta morem redeunte dominicâ (2). Fiat etiam in initio et fine orationis quadraginta horarum (3): aliæ vero processiones nullæ ducantur, nisi de Episcopi mandato aut licentia. — Viaticum, nisi Episcopus gravibus omnino de causis aliter indulserit, clam et secreto infirmis nunquam deferatur; sed, ad præscriptum Ecclesiæ, manifeste atque honorifice, cum omni reverentia, luminibus accensis, et quantum potest, frequentiori populo comitante (4).

213. Debito SS. Eucharistiæ honori et cultui tribuendo piæ omnes societates atque uniones foveantur, quæ ad id præstantissimum pietatis opus constitutæ, ab Apostolica Sede probatæ sunt et indulgentiis auctæ. Foveatur ergo precipue SS. Sacramenti consodalitas iam olim a S. Carolo commendata: quæ proprio et benedicto induta habitu, SS. Eucharistiam associandam curat, quum defertur ad ægrotos aut aliâ causâ procedendo per vias: consodalibus Parochus animum addat idoneo interdum sermone vel pio aliquo exercitio. Foveatur etiam opus *Adorationis Reparatricis catholicarum gentium* (5): quæ in eo est, ut singulâ quâdam per hebdomadam præfinitâ die, quæ pro

(1) Conc. Prov. IV et III, p. 355 et 180.

(2) Cfr. Conc. Prov. IV. p. 355.

(3) Ut supra p. 353.

(4) Rit. Rom. *De Com. Infir.*; Cfr. S. C. R. 6 febr. 1875.

(5) Leo XIII, *Quum nonnullorum*, 2 iul. 1898, et S. Congr. Indulg. 19 sept. 1898.

Italia Dominica dies est, Iesu Christo Deo in SS. Sacramento piaculares preces offerantur (1).

214. Quidquid pietatis et obsequii Divino Iesu Cordi tribuitur, vere et proprie Christo ipsi tribuitur; quare in sacro Corde symbolum atque expressa infinitæ Iesu Christi charitatis habetur imago. In eo Divino Corde collocanda spes et ex eo expectanda est hominum salus (2); atque ideo consentaneum fuit, nuper exeunte sæculo, Ipsi Sacratissimo Cordi humani generis communitatem dicari. Amor amandus est, ab eo quærenda salus, neque consecratio nostra obliteranda, verum potius sæpe sæpius iteranda.

215. In omnibus atque singulis Ecclesiis, publicæ perstet venerationi proposita, Sacratissimi Iesu Cordis imago, iuxta liturgicas præscriptiones confecta. In omni autem parochiali ecclesia, SS. Cordis festum celebretur feria VI post octavam Corporis Christi. Firmiter hoc quidem manente, exterior eiusdem festi solemnitas a Reverendissimis locorum Ordinariis in aliam diem poterit trasferri: eâque die, plenaria conceditur indulgentia christifidelibus SS. Eucharistiam suscipientibus, et venia datur *Missam* propriam de SS. Iesu Christi Corde celebrandi, iuxta praxim a S. C. R. approbatam (3). Præstitutâ ad id formulâ (4) consecratio populi tum semper iteretur. — (V. App. XVII).

216. De Apostolicæ Sedis consilio atque hortatu, maxime commendamus « eum, qui iam in pluribus locis obtinuit, morem; ut per integrum mensem Iunium pia pietatis obsequia divino Cordi publice præstentur. ». Quod et libentius perficietur, quum et thesauri Ecclesiæ tunc rese-

(1) Aliæ sunt latioris nominis commendandæ solidalitates, v. gr. ea quæ ab *Eucharistico Corde Iesu* nominatur, et ea cui nomen *Guardia d'onore*, etc.

(2) Cfr. Leo XIII. *Annum sacrum,* 25 maii 1899.

(3) S. Cong. R., 23 iul. 1897.

(4) Leo XIII, *Annum sacrum,* 25 maii 1899.

rantur. In votis etiam est ut praxis « pluribus iam in locis usurpata, quâ, primâ qualibet sextâ feriâ cuiusque mensis, nonnulla obsequia peraguntur in honorem SS. Cordis, largius in dies propagetur: recitatis publice litaniis, et iteratâ consecrationis formulâ ». (1). Si vero, ut hortamur, in mane hæ preces persolvantur, tum, salvis legibus liturgicis, Missa votiva eiusdem sacratissimi Cordis, cum *Gloria* et *Credo* poterit celebrari (2).

217. Illud quoque monemus et vehementer optamus, « ut adolescentes, ii maxime qui litteris et scientiis dant operam, in eas congregentur societates, quæ *a Sacro Iesu Corde pii cœtus vel sodalitia* nuncupantur ». Atque hi cœtus « statutâ per hebdomadam die et horâ, in templa... aut sacella conveniant: ibique alicuius sacerdotis ductu, pia quædam in honorem Sacri Cordis exercitia peragant ». Illis etiam adscribi optantur « quotquot varii generis societates catholicæ nuncupantur » (3).

218. Passio D. N. Iesu Christi thesaurus Dei est, plenitudo virtutis, summa totius sanctitatis. Quanto sæpius de ea cogitatur, tanto sapit dulcius. Parochi populum doceant habere sibi penitus insculptum in animo Iesum Christum Crucifixum, quæ est utilior, facilior, atque sanctior meditatio.

219. Pium *Viæ Crucis* exercitium fidelibus admodum commendandum est. Edicimus ut eiusdem *Viæ Crucis* stationes ad præscriptum atque normam Ritualis Romani (4) in omnibus erigantur *parochialibus* Ecclesiis, aut in una saltem e subsidiariis: pium autem id exercitium publice et solem-

(1) S. Cong. R. 21 iulii 1899.
(2) S. R. Cong. 28 iun. 1889; 20 maii 1890.
(3) S. C. R. 21 iul. 1899.
(4) In edit. nov. vel in addit.; cfr. S. C. Indulg. 14 maii 1871; S. C. Indulg. 3 apr. 1731 etc. etc.

niter habeatur sextis quibusque quadragesimæ feriis. Illud etiam commendamus ut in Ecclesiis, diebus dominicis habeatur, si nequeant Vesperæ decantari.

220. In omnibus parœcialibus Ecclesiis, quoad possibile est, eæ omnes obeantur functiones, quæ in postremo Hebdomadis maioris triduo præscribuntur, ad normam saltem parvi cæremonialis ad id promulgati (1).

221. Hortamur ut in omnibus ecclesiis, sexta quaque feria, tres fere horas, antequam Angelicæ salutationis signum pulsetur, signum aliud campanæ detur, quo fideles omni intima mentis pietate, moneantur recolere Iesu Christi passionem et mortem: atque adeo sacras lucrentur indulgentias quinquies orationem Dominicam et salutationem Angelicam flexis genibus recitantes (2).

222. Ad debitum Iesu Redemptori obsequium et Dominicæ passionis cultum maxime pertinet pium *Terræ Sanctæ* opus, seu quod aiunt, *Missio* vel *Custodia;* ac proinde « sub sanctæ obedientiæ vinculo, unâ saltem singulis annis vice, feriâ sextâ maioris hebdomadæ, vel alio ad libitum Ordinarii eligendo die (3), » in unaquaque parœciali Ecclesia, Sanctorum Locorum necessitates charitati fidelium proponantur. Parochus eleemosynam colligat et eam Episcopo deferat, qui proximiori tradat O. F. M. Terræ Sanctæ Commissario.

CAPUT III.

De cultu B. M. V.

223. Deiparæ Virgini Mariæ, quæ optima est ac studiosissima omnium fidelium mater, singularis cultus de-

(1) V. Cæremoniale parvum Benedict. XIII.

(2) Benedictus XIV *Ad Passionis*, 13 dec. 1740: S. C. Indulg. 15 maii 1886; cfr. etiam Conc. Prov. II, tit. 2, d. 10, p. 181.

(3) Leo XIII, *Salvatoris ac D. N. I. Chr.*, 26 dec. 1887.

betur, quæ est *hyperdulia* (1): doceatur id populus. Curandum est ut redeuntes singulæ Ipsius festivitates, præviis novendialibus precibus distinguantur et sanctificentur: præsertim vero Immaculatæ eius Conceptionis, et Assumptionis in cœlum: quæ duo referunt singularia Ei concessa privilegia. Adde SS. Rosarii festum, quo Eius cum Filio iunctim mysteria celebrantur.

224. In omnibus parochialibus Ecclesiis atque in aliis, duos, ut iam innuimus (2), peroptamus celebrari Mariales menses. Maius mensis, quo potius de vitiis emendandis et virtutibus acquirendis populus edoceatur. October mensis, quo potius de sacrosanctis fidei mysteriis brevia aptaque verba fiant, mariale rosarium enarrando. October autem mensis, legitima de causa, ad insequentes duos menses, de Ordinariorum consilio, retardari poterit cum suis etiam indulgentiis (3).

225. Sub vespere in singulis parœcialibus Ecclesiis mariale rosarium recitetur: seu etiam mane dicatur ad primum Missæ sacrificium: cui quidem litaniæ B. V. et piæ aliæ opportunæ preces addi poterunt.

226. Multiplices de Beata Maria Virgine sodalitates ab Apostolica Sede approbatæ, ut B. M. Virginis Perdolentis, B. V. de Carmelo, de SS. Rosario, de Immaculata Conceptione etc., et aliæ piæ id genus uniones, ut filiarum Mariæ, ineantur et excolantur. Piæ item foveantur et ducantur ad Beatæ Virginis sanctuaria peregrinationes, adhibitis tamen in hac re debitis cautionibus et curis, atque præhabita Ordinarii approbatione et benedictione.

(1) S. Th. 2, 2. q. 103, a. 4. ad 2: et 3, q. 25, a. 5.

(2) V. retro n. 25.

(3) Leo XIII, *Superiore anno*, 30 august. 1884: S. C. R. 20 aug. 1885.

CAPUT IV.

De cultu Sacræ Familiæ.

227. Prima Dominicæ Redemptionis initia augustam mundo exhibuerunt speciem Familiæ divinitus constitutæ, in qua omnes homines absolutissimum domesticæ societatis, omnisque virtutis iutuerentur exemplar. Talis extitit Nazarethana illa Familia, in qua Christus Deus Salvator noster fuit cum Virgine Matre et Joseph, viro Sanctissimo qui paterno fungebatur munere (1). Quum vero ægre dolendum sit religionis et pietatis amorem in familiis esse restinctum et supra modum accensas esse terrestrium rerum cupiditates (2); opportunum remedium afferre debemus per instauratam et quam maxime auctam *Consociationem a S. Familia:* quam et Apostolica Sedes peculiari dignata est decorare festo et christiano populo commendat præcipue.

228. S. Familiæ festum, tertia redeunte post Epiphaniam dominica, quotannis celebretur ad concessum Apostolicæ Sedis sub ritu duplicis maioris, facta potestate transferendi festum in primam subsequentem diem liberam, quoties Dominica impedita occurrerit (3). Commendetur populo ea pia consociatio et denuncientur indulgentiæ. Curetur ut familiæ quam plurimæ piæ huic consociationi dent nomen, præsertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur. « Operarii et ii omnes, qui, nostris præsertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore sua

(1) Leo XIII, Encycl. *Neminem fugit*, 14 iun. 1892.
(2) Ibidem.
(3) S. C. R., 21 iul. 1893.

conditione tam acriter irritantur, si ad SS. illius domesticæ societatis consortes respectent; non deerit eis causa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam doleant. Communes cum Sacra Familia labores, communes de quotidiana vita curæ (1) ».

229. Excolendus etiam est peculiaris amor atque devotio erga S. Joseph, castissimum B. Virginis sponsum. Familiarum christianarum tutor vere habendus est, qui « divino consilio custos filii Dei fuit » (2). Patronus Ecclesiæ iure declaratus est, qui « appellatione licet dispensatoria, meruit honorari adeo, ut pater Dei et dictus et creditus sit (3) ». Ad præscriptum Sedis Apostolicæ, mense Octobri, publico Mariali Rosario addatur oratio ad S. Joseph pro necessitatibus Ecclesiæ. Hortamur autem ut « ante diem eius festum, in templo oppidi cuiusque principe, supplicatio in triduum fiat (4) ».

230. In omnibus et singulis privatis domibus, in iis præsertim, ubi pia S. Familiæ consociatio est constituta, maxime commendatur quotidiana Marialis Rosarii recitatio: quæ quidem, quod attinet *gaudiorum mysteria,* tota est in familiarum solatium atque incrementum, « in eo ipso conclusa, quum Iesus... cum Maria et Josepho *venit Nazareth et erat subditus illis,* cœtera quasi instruens mysteria, quæ hominum doctrinam et redemptionem propius efficerent (5) ».

(1) Leo XIII, Encycl. ut supra.
(2) Leo XIII, Encycl. *Quamquam pluries,* 15 aug. 1889.
(3) S. Bernard. Hom. 2 super *Missus* Brev. Rom. f. S. Joseph.
(4) Leo XIII, *Quamquam pluries*, ut supra.
(5) Leo XIII, Encycl. *Magnæ Dei Matris,* 8 sept. 1892.

CAPUT V.

De cultu Sanctorum.

231. Sanctorum Angelorum cultus a primis usque traditur veteris legis patribus. Honorandi plane sunt hi cœli principes, natura præstantissimi, longe autem præstantiores exuberantia gratiarum, qui semper vident faciem Patris qui in cœlis est (1), et in ministeria mittuntur propter eos qui hæreditatem capient salutis (2). Honorandi sunt ut ipsum rite adoremus angelorum Regem et Dominum (3); peculiaris autem sit singulorum pietas erga suum angelum custodem, eique « reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia » (4) perseveranter exhibeat.

232. Sanctorum etiam cultum, olim in terris nobiscum militantium, alacriter provehere et in populis augere studeamus. Fide enim docemur « Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas » (5). De omnibus autem iis, qui triumphant in cœlis, ea iteranda sunt Augustini verba « memorias martyrum, populus christianus concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria » (6). Curet Parochus ut Sanctorum festa,

(1) Math. 18, 10.

(2) Heb. 1, 14.

(3) In liturg. S. Ambr.

(4) S. Bern. serm. 12 in ps. *Qui habitat*, M. t. 163, p. 233.

(5) Professio fidei Pii IV et Pii IX.

(6) *Contra Faustum* l. 20. c. 21. Migne 42, p. 384.

præsertim parœciæ Patroni rite celebrentur, omissis omnibus profanitatibus et levitatibus: curet etiam ut cum frequentior in Ecclesia populus adest, eorum res gestæ, disciplina morum, pietatis studia, virtutes ad imitandum proponantur (1).

233. Sanctorum corpora, quæ viva membra Christi fuere et ad vitam æternam resurgent, maxime nobis sunt honoranda (2). Ne tamen abusus irrepant, mandat Tridentina Synodus « nullas esse novas reliquias recipiendas, nisi recognoscente et approbante Episcopo » (3). Nulla ergo publicæ venerationi reliquia exponatur, nisi præhabita authentica Episcopi declaratione. Quæ vero reliquiæ alterius Episcopi fide et sigillo muniantur, iterum a proprio Episcopo recognoscantur.

234. In omni Episcopali Curia habeatur liber index sacrarum Reliquiarum, saltem insignium, quæ in Diœcesi asservantur (4). Insignes vero pro sacro ritu declarantur esse « Corpus, Caput, Brachium, Crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata (5) »; atque etiam membra ex miraculo intacta (6). Parochus duos habeat indices SS. Reliquiarum, quæ suæ sunt parœciæ: alterum quem in sacristia exponat, alterum quem condat in Archivo cum authenticis litteris atque historicis documentis.

235. Reliquiæ insignes non sunt asservandæ in Monasterio Monialium, sed in exteriori ecclesia. Neque collo-

(1) Cfr. Conc. Pr. III, *De festorum d. c.* p. 234.

(2) Conc. Trid., sess. 25, *De invocatione* etc. *Sanctorum;* Conc. Nicæn. II, Act. 3-7.

(3) Conc. Trid. ut supra.

(4) Conc. Pr. IV *quæ ad SS. Cultum,* p. 301, et *Instructio Canc.*, p. 1754.

(5) S. Rit. C. 8 aprile 1623 et pluries.

(6) S. Rit. C. 27 iun. 1899.

centur in privatis ædibus, neque apud laicos homines: sed in Ecclesia, loco conspicuo, bene septo atque undique ornato, collocentur et asserventur (1). Liceat tamen aliquando quibus Episcopus rationabili et pia causa id concedendum censuerit, eas asservare in privato Oratorio atque etiam alio loco decenti, Episcopi iudicio. — Parvæ vero reliquiæ ex communi Ecclesiæ usu devote retineri possunt etiam a personis privatis, dummodo authenticæ sint, absit profanationis periculum et decenter asserventur (2).

236. Sanctorum corpora ne passim solemniter exponantur, sed certis tantum festivitatibus, quo die Episcopus iusserit vel concesserit. Ne per laicos, cuiusvis etiam dignitatis, tractentur, et quum exponuntur, debitus illis thurificationis et luminum honor adhibeatur (3). Sanctorum reliquiæ non sunt collocandæ super altare, in quo SS. Sacramentum publicæ venerationi est expositum (4): neque sunt exponendæ loco crucis, superimpositæ tabernaculo, quasi id illis pro basi inserviat (5): neque etiam, ea ipsa die, qua festum alicuius sancti recolitur, collocandæ sunt ante ostiolum tabernaculi ubi est SS. Sacramentum (6); verum a latere, inter duo accensa cerea exponantur.

237. Vetitum omnino est corpora sacra de suis demovere locis: aut sacrarum reliquiarum ad Ecclesias pertinentium particulas detrahere et sibi attribuere: vel cuilibet personæ aut loco, quâlibet de causâ, dono dare. Semper enim ad id postulanda est Episcopi licentia.

238. Catholica doctrina est: sacras imagines « in templis præsertim habendas et retinendas esse, eisque debitum

(1) Cfr. Conc. Prov. IV ut supra.

(2) V. Acta Conc. Plen. Amer. n. 411.

(3) Conc. Pr. IV, *quæ ad Sanct. cultum,* p. 301-2.

(4) S. C. R. 2 sept. 1741 ad 1.

(5) S. C. R. 3 apr. 1821 ad 6.

(6) S. C. R. 6 sept. 1845.

honorem ac venerationem impertiendam (1): » ita ergo illas oportere venerari, non quod in illis ipsis fiducia et honor noster figendus sit, ut mos erat in gentibus; sed quod exhibitus ipsis honor refertur ad prototypa, quæ ab illis exprimuntur. Ne tamen ulla irrepat actio incongrua, statuit Tridentina Synodus « nemini licere ullo in loco, vel ecclesia quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo fuerit approbata » (2).

239. Sacræ Imagines, quæ publicæ venerationi sunt exponendæ, ad pietatem allicere debent ac decorem ex arte referre. Si quæ sint pretiose aut affabre confectæ, diligenter omnino custodiantur, neve, quum opus fuerit, instaurentur nisi peritorum virorum consilio, Episcopo tamen antea consulto. Permittuntur imagines, quibus *oleographiæ* nomen est: aliæ carthaceæ vetantur.

240. Absque Apostolicæ Sedis facultate non licet Imagines aut titularis Ecclesiæ aut cuiusque sancti, quæ in altari maiori, aut alio consecrato altari sint, suo demovere vel mutare loco (3): sed ea facultas postuletur per Episcopum.

241. Sacræ omnes imagines « quomodocumque impressæ, ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur (4). » Pias sacras imagines catholicæ veritati et ritibus conformes, quam maxime commendamus: neque tantum eas domi habere fideles hortamur, verum etiam quantum potest, per publicas vias pingi, ad veterem laudandam maiorum nostrorum consuetudinem.

(1) Conc. Trid. et Nicænum ut supra.

(2) Ibid.

(3) S. Rit. C. 27 aug. 1836 et 11 mart. 1837.

(4) Leo *Officiorum ac munerum*, 25 ian. 1897 n. 15.

CAPUT VI.

De Observatione Festorum.

242. Rem, quam summopere dolemus, assidue fieri perspicimus, ut dies festi qui spiritualis gaudii christiano esse debent, spiritualis potius mæroris sint: qui potissimum pietati christianæ dicandi sunt, haud ita raro satiandis cupiditatibus insumuntur: qui Dei laudi et D. N. I. Christi gloriæ tribuendi sunt, ii deliguntur quibus et tripudia et amicales eorum conventus celebrentur, qui clam et palam inimici sunt crucis Christi. Quo igitur atrocius est crimen, quod hodie turpissime christianam societatem inquinat, eo ardentiori zelo adlaborandum est ut quantum fas erit, ab illo crimine caveant fideles. Quare « maxime in eo diligentiam ac studium Episcopi ponere debent, ut dies festi pie sancteque ab omnibus observentur. Cum enim ii potissimum ad celebrandas Dei et sanctorum laudes salutariter instituti sint; curandum est etiam diligenter, ut ne ipsis quisquam ad perniciem animæ suæ abutatur » (1).

243. Unius est Ecclesiæ festos dies indicere aut abolere. Diligenter edoceantur fideles nullum unquam potestati civili ius esse decernendi de cultu divino deque festis religiosis (2).

244. Diebus festis a servilibus operibus cessandum est. Si quæ urgeant opera servilia, et grave admodum sit ea differre, fideles postulent a Parochis operandi licentiam: item si qua urgeant charitatis opera. Quum vero sacris ædibus

(1) Conc. Prov. I, p. 40.

(2) Cfr. præ cæt. Innocentium X *Cum nuper* 6 oct. 1633: contra festum S. Dominici a senatu Mediolani iussum.

aut extruendis aut reficiendis servilia quædam opera necesse sit præstari, ab Episcopo licentia petatur: neque id passim Episcopus concedat, sed gravibus de causis, ob manifestam Dei gloriam et divini cultus necessitatem vel ob magnam saltem utilitatem.

245. Divinæ amplificandæ gloriæ et animæ saluti consulendo diebus festis impensius est incumbendum. Ecclesiam adeant fideles ut divino adsint sacrificio, ut verbi Dei et Sacramentorum pabulo reficiantur, et christianam ediscant doctrinam. Pietatis quoque et misericordiæ operibus erga proximum indulgeant, ea omnia devitantes, quæ divinæ vel ecclesiasticæ legi de festorum celebratione adversantur.

246. Parochus in sua parochiali ecclesia, singulis festis, stata hora, vesperarum officia peragat (2). Ut autem populum ad conveniendum alliciat, eam vitet properationem, quæ maxime res sacras dedecet: vitet tarditatem, quæ fastidio est populo: ne incertas habeat aut inopportunas sacrarum functionum horas, curet aptare horarium fidelium commodo et æquis populi postulationibus.

247. Sodalitates quæ eo intendunt, ut pie et recte festi dies excolantur et debita tunc quies opificibus afferatur, ut par est, foveantur. Scandala, quantum potest, et profana spectacula amoveantur; ebrietates devitentur et choreæ, quibus gaudent qui luxuriæ indulgent. Si quo vero in oppido, in festivitate aliqua publicæ choreæ struuntur et ducuntur *(festivals)*, ubi est ea bacchatio ne sacra processio fiat: verum potius in Ecclesia, absque ulla insolita solemnitate, celebrentur sacra, nisi forte etiam reparationis functio fiat.

(2) Conc. Prov. III, *De Parochis* p. 261. Cfr. Conc. Prov. IV, *De Par.* p. 420. Cfr. etiam Cap. Theodulphi Aurel. Ep. n. 24, 45, 46. Migne, t. 105 p. 198, 205, 203. Leguntur partim in c. 52, 63, 66. D. 1, *de consecr.*

CAPUT VII.

De Ædibus Sacris.

248. Benignissimus Deus, licet cœlo et terra non capiatur, domum tamen dignatur habere in terris (1). Domus Dei et portæ cœli (2) sunt sacrosanctæ Ecclesiæ nostræ: in illis enim Ipse Deus inhabitat, ut supplicum vota suscipiat, et de gratiæ suæ thesauro ineffabiles in pauperes divitias effundat; atque Eius Nomini offertur Hostia munda D. N. Iesus Christus, qui *vere Deus absconditus, Deus Israel Salvator* (3), sua reali præsentia fideles recreat, et pretiosissimo Corpore et Sanguine suo mortales ad immortalitatem alit. Ecclesiis igitur et locis Deo dicatis summa reverentia exhibenda est: deque ea re nulla unquam erit nimia Episcoporum et Sacerdotum sollicitudo, qui sacro quodam vinculo ipsis Ecclesiis iunguntur.

249. A qualibet laica seu civili potestate omnia sacra et divini cultus ædificia, immunia a Deo constituta sunt (4): unde ad Episcopos tantum pertinet de reficiendis, extruendis, custodiendis vel immutandis sacris quibusque ædibus decernere. Illud quidem civilis potestatis erit; ut « in ea re officium suum sedulo præstet, quo cultus divinus devote exerceri, et Prælati cœterique clerici, in residentiis et officiis suis, quieti et sine impedimentis, cum fructu et ædificatione populi, permanere valeant » (5).

250. Inconsulto Episcopo et scriptâ facultate ab eo non

(1) Pont. Rom. de impos. lap. prim.

(2) Gen. 28, 17.

(3) Is. 45, 15,

(4) Concil. Trid. sess. 25, *de ref.*, c. 1 et c. 20. Confr. X, l. 3, t. 49, c. 4 *non minus* et l. 5, t. 39, c. 49 *noverit.* Confr. 12, q. 2, c. 19, c. 22, c. 24 etc.

(5) Conc. Trid. sess. 25 *de ref.* c. 20. Confr. etiam 23, q. 5, c. 20 etc.

impetratâ, nova Ecclesia ne ædificetur (1): neque Episcopus tribuet facultatem, nisi, ut iuris est, congrua dos pro Ecclesia constituta fuerit. Consulendus item Episcopus, quidquid in Ecclesia novi ædificii fiat (2). Omnia autem reparentur, aptentur, ædificentur ad formam, quæ præscribitur in instructionibus ad communem Provinciæ usum confectis a Provincialibus Conciliis III et IV (3). Atque omnia et singula « ita omnino servari volumus ut priusquam in Ecclesia, Capella, Oratoriove quidquam novi ædificii, ornamenti aut picturæ fiat; eius exemplar aut delineatio Episcopi scripto probetur » (4). Antea quoque significentur reditus seu subsidia, quibus præstare opus propositum sit: si qua vero difficultas oriatur, Episcopo res deferatur. « Qui secus fecerint, ad ea, in quibus deliquerint, sumptu suo reficienda compellantur » (5).

251. Videat Episcopus ne in ornatibus aut pictis quibusque vel sculptis parietibus et tabulis nihil indecens, incongruum, nihil ineptum aut indecorum aut a pietate alienum, in Ecclesia sit. « In pavimento, quale illud sit, neque crux exprimatur, nec alia sacra imago historiave quæ mysterii typum gerat » (6).

252. Singulæ parochiales Ecclesiæ baptismalem habeant fontem, qui aliis in ecclesiis ne sit. Baptismalis fons e marmore, aut e solido latere constet: opertorium, interius quidem albo panno obductum, exterius conopœo coloris albi obtectum sit, nisi forte sit opus arte exquisita perfectum: decebit illic imago S. Ioannis Christum D. baptizantis. Col-

(1) Conc. Pr. IV, p. 317.
(2) Conc. Prov. III, p. 265-266.
(3) Ib. et p. 318 segg.
(4) Conc. Prov. VII, vol. 4°, p. 350. Cfr. etiam D. I *De conscer.* c. 3 *omnes*, c. 9, *nemo*, etc.
(5) Conc. Prov. VII ib.
(6) A. E. M. *Instructio fab.* p. 1443-44, 1417: Conc. Prov. II, p. 184.

locetur vero in Ecclesiæ ingressu a sinistra ingredientium parte, nisi pro situs ratione Episcopus ab altera potius parte collocari posse iudicaverit. Quæ vero baptisteria in capellis eo nomine extructis extant, non amoveantur: sed capellæ, ubi opus sit, instaurentur aut reconcinnentur (1).

253. Altare, quoad possibile est, lapideum sit, vel saltem lateritium cum unica atque integra tabula lapidea, si consacrandum sit: neque in eo ulla ex parte cellula sit aut loculus, ubi quidquam recondi possit, nisi forte Reliquiæ Sanctorum (2), Altaria lignea sacrum lapidem habeant, non quidem omnino obtectum, sed qui facile visitari ac inspici possit an integer an profanatus sit. Quod si in aliquo altari sacra solemniter aguntur, adsit in cornu epistolæ subsellium unum pro sacerdote celebrante et ministris, non autem camerales sedes (3). Semper autem circum altaria extruantur cancelli, quos laici, tempore præsertim sacrarum functionum, ne transcendant (4).

254. In omnibus Ecclesiis, in quibus SS. Eucharistiæ Sacramentum asservatur atque aliis, si ita Episcopo visum fuerit, confessionales sedes statuantur: hoc est in cellis pro viris, præsertim in sacristia. Mulierum vero confessionalia, non in cappellis et cellis collocentur, sed in Ecclesia, loco aperto atque conspicuo, ut confessarius æque ac confitentes ab omnibus conspici possint (5).

255. In unaquaque parochiali Ecclesia, ad instructionum præscriptum, suggestus decenter instruatur: in gremio Ecclesiæ, loco apto, unde concionator vel lector ab omni-

(1) Conc. Prov. IV, p. 344-45; III, p. 244; I, p. 44.

(2) Conc. Prov. IV, p. 319-20. Cfr. D. I. *de consecr.*, c. 31: Vide S. R. C. 26 apr. 1890, 28 sept. 1872 *Niv.* etc. etc.

(3) S. C. R. 17 sept. 1822.

(4) A. E. M., *Instruct. fab.*, p. 1433.

(5) A. E. M., t. 4, Conc. Pr. VII, p. 351.

bus conspici et audiri possit (1), duobus metris a solo paulo altius erigatur.

256. « Labrum seu vas aquæ benedictæ intus in Ecclesia existat; atque ad ostium, a latere ingredientis, ubi potest, dextero. E marmore, lapideve solido, non lateritio, neque spongioso constet » (2). Singulis hebdomadis vel etiam sæpius, si opus erit, « quotiescumque aqua benedicta renovatur, præter accuratiorem fricationem, bene lavetur scopulâ et spongiâ tergatur » (3).

257. Si qua organa in posterum fabricanda sunt vel tantummodo innovanda, antequam inchoatur opus, edicimus ut prius periti Diœcesanæ Commissionis de sacra Musica semper consuli debeant: qui in ea quidem re Ecclesiarum Rectores opportuna moneant (4).

258. Scamna peculiaria, seu propria, Parochi et Ecclesiarum Rectores pro laicis in Ecclesia concedere ultra annum, qualibet de causa, vetantur. Si cuiquam illa forte diutius æquum erit indulgere, ad Episcopum recurratur: neque unquam ius perpetuum dabitur, sed ad tempus et certis de causis ad Episcopi beneplacitum rescindendum (5): ea autem semper hac una conditione, indulgenda erunt, ut quum absint indultarii, libere omnes ipsis utantur.

259. « Ne quidquam a domo Dei alienum, in Ecclesia etiam non consecrata, aut in Oratorio, aut in Cœmeterio recondi aut asservari ab ullo quovis homine liceat » (6). « A parte superiori ne illa item habeant vel cœnaculum

(1) Cfr. Conc. Pr. IV *De sacris locis*, p. 319; *Instruct.* cit, p. 1460.

(2) Conc. Pr. IV, p. 318.

(3) A. E. M. *Instruct. de mund.*, p. 1591. C. Pr. I, *De off. secr.*, p. 93.

(4) Pius PP. X, 18 dec. 1903, *m. p. De restaur. mus.* n. 15 seqq. et n. 24.

(5) Cfr. Conc. Prov. IV, *de ornatu*, p. 325: et t. 4 C. Prov. VII, p. 371. Atque etiam *Instruct. fab.* t. 2, p. 1465 etc.

(6) Conc. Prov. IV, p. 326.

vel cubiculum vel omnino locum, ubi dormiatur aut habitetur aut quidquam profani fiat » (1). Ne item in Ecclesia, nedum imagines, sed et monumenta, inscriptiones aut epigraphæ ponantur, nisi forte alicui viro meritissimo cum licentia Episcopi. Ipsi quoque catholicarum consociationum conventus curentur ut alibi habeantur, neque congregentur in Ecclesiis aut publicis oratoriis, nisi de Episcopi consensu (2).

260. Magna cura et diligentia adhibenda est ut in omni Ecclesiâ, altari, sacristiâ, omnique sacrâ supellectili, nitor munditiaque eluceat (3). Munditias fieri præcipimus annuas, menstruas et singulis hebdomadis, quasdam etiam quotidie, ad normam instructionis de mandato Conciliorum Prov. V et VI a S. Carolo editæ et confectæ: omnes vero, prout singulæ res tulerint (4).

261. In unaquaque Ecclesia, in qua Missa celebratur, sacrarium sit, opportuno loco extructum. Sacristia eo magis ne desit: itemque idonea suppellex cum suis armadiis, aptisque repositoriis. « In sacristia ipsa servetur accurate silentium: neque in eam pateat aditus laicis, nisi necessario » (5).

262. Campanilis turris ostium firmis valvis et clave obseratum sit, neque Parochus cuiquam ita facile claves remittat, neve ullum in pulsandis campanis patiatur arbitrium cum nocumento immunitatis ecclesiasticæ.

263. Loca sacra atque Oratoria, quæ publico cultui destinantur, si quem habeant patronum, eius impendiis

(1) Ibid.

(2) Cfr. Conc. Pr. II, 2, p. 185.

(3) Conc. Pr. V, p. 674.

(4) Ib. et Conc. Pr. VI, c. 753. V. *Instruct. de mund.* p. 1589. Cfr. Conc. Lat. IV, p. 19. Cfr. X, l. 3, t. 44 *De Custodia Euch.*

(5) Conc. Prov. IV, *De sacris locis,* p. 332.

debent conservari; et tamen nisi forte aliquo potiantur privilegio, parocho loci subsunt, cuius erit ea vigilare. Valvis et clave ab ostio muniantur, quæ a Parocho custodiatur, intra cuius fines sunt (1). Quoad oratoria privata, pontificia indulta adamussim serventur.

CAPUT VIII.

De Processionibus et Peregrinationibus.

264. Inter præcipuas atque solemniores actiones exterioris cultus, supplicationes seu processiones recensentur, quibus Deo gratias agimus, divinas celebramus laudes, meritas expiamus noxas, et nova beneficia impetramus (2). Supplicationes igitur haberi curent Episcopi eo ordine, gravitate, pietate atque etiam congruentis apparatus splendore, ut per hæc sensibilia fidelium mentes et corda pie ac suaviter evehantur et moveantur ad ea, quæ sensus excedunt, cogitanda et degustanda.

265. Iuxta morem pie admodum ac religiose in Ecclesia Dei inductum (3), et ex latis præscriptionibus, (4) in festo Corporis Christi præcelsum hoc atque adorabile Sacramentum singulari pietate ac veneratione celebretur, et in processionibus solemniter et honorifice per vias et loca publica circumferatur; tum ut Christiani omnes, singulari ac rara quadam significatione, gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro

(1) Conc. Pr. IV, p. 333.
(2) V. Rituale Roman. ed. nov.
(3) Conc. Trid., sess. 13 *De Euch.* c. 5 et can. 6.
(4) Clementin. l. 13, t. 6: Conc. Prov. IV, p. 355.

tam ineffabili ac plane divino beneficio; tum etiam ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant (1). — Præter hanc vero quæ solemnior erit, annuæ omnes a sacro ritu processiones præscriptæ agantur: atque item quæ in singulis diœcesibus aut locis legitima consuetudine inductæ probentur. Aliæ autem neque lege neque usu legitimo probatæ, quamvis forte opportunæ videantur, sine Episcopi assensu ne fiant.

266. Pie ac religiose et iuxta rituales regulas processiones ducantur, atque in illis iussi hymni et psalmi canantur: noctu ne habeantur nisi Episcopus rem apprime noverit et concesserit (2): ne puer quisquam aut puella ita suam mentiatur personam, ut aliquem sanctum, aut quod peius est, sacrosanctum aliquod agere simulet mysterium (3).

267. Choros instrumenta musice pulsantium *(bande)* in processionibus sacris satius erit nullos advocare. Si qui forte ad illas invitandi videantur, illi ne vocentur, qui ultro et scienter funera prosequuntur, quod aiunt, civilia; aut iis festis atque tripudiis partem habent, quæ in Ecclesiæ redeunt offensionem; aut forte etiam publicis ducendis choreis assumuntur (4). Parochi de moribus musicorum diligenter inquirant, antequam eos vocent: atque illud, quantum possunt, assequi enitantur, ut musici in processionibus cum aliorum cantibus subsidio tantum iungantur: nunquam vero profani concentus tolerentur (5).

268. Ecclesiæ Rector, aut vir quivis ecclesiasticus numquam a potestate civili licentiam quamlibet petat ducendi

(1) Cfr. Conc. Trid. l. c.

(2) Conc. Pr. VI, *quæ ad confr.* p. 772.

(3) S C. R. *Urbis* 5 mart. 1666, et in una Med., 5 nov. 1667.

(4) Cfr. Litt. Archiep et EE. Prov. Med. *Notific.* 6 ian. 1896.

(5) Pius PP. X, m. p. *d. s. musica*, n. 20 et 21.

supplicationes sacras: non tamen improbatur illas, antequam fiunt, civili auctoritati denuntiare. Quod si quis laicus a civili potestate processiones ducendi licentiam petat, id poterit a Rectore Ecclesiæ tolerari.

269. Peregrinationes sacræ, sine prævia Ordinarii approbatione ne ducantur, neque promoveantur: idque præcipue servandum erit de iis, quæ in plures producantur dies, aut etiam festo die edicantur, quum tunc plerumque magis iuverit domi sacris intendisse. Quum ineantur, videant qui præerint, ne ullo modo in profana abeant itinera atque solatia. Ne unquam desit Verbi De pabulum atque invitatio ad cœlestia suscipienda sacramenta: omnia bono exemplo et provehendæ pietati cedant (1).

270. Illud omnes bene considerent, peregrinationes sacras uberibus cumulatas esse indulgentiarum thesauris, tum quæ ad Italiæ atque aliarum gentium celebriora sanctuaria ineuntur sub signo crucis et ductu catholicarum consociationum (2), tum quæ ad sacra Terræ sanctæ loca peraguntur sub ductu præsertim Comitatus Nationalis Italici, cui Pontificiæ voluntatis ac benedictionis robur accessit (3). Romanam peregrinationem quam maxime commendamus, eâ præcipuâ ratione ut christifideles Apostolorum ac Martyrum venerati sepulcra, et Vicarii Christi benedictione roborati, in fide Christi et in dilectione erga Petri Cathedram magis ac magis obfirmentur.

(1) Cfr. Litt. Archiep. et EE. Prov. Med. *Notific.* n. 17, 15 aug. 1901. Cfr. Conc. Prov. IV *De relig. per.* p. 314 et 316.

(2) PP. Leo XIII, *Militans*, 12 mart. 1881: et *Cum sicuti*, 6 maii 1881, etc.

(3) Pius X in brevi *Romani Pontificis*, 17 iun. 1905 ad Sac. I. M. Radini Tedeschi, nunc. Episc. Bergomen.

CAPUT IX.

De Funeribus et Sepulturis.

271. Maxima semper fuit sanctæ Matris Ecclesiæ mortuorum cura, et in celebrandis exequiis, et in sepulcris religiose custodiendis (1). Corpora enim fidelium defunctorum, quæ templa Spiritus Sancti exstitere, in spem gloriosæ resurrectionis, sacris ritibus terræ mandat in loco benedicto sepelienda: animas vero piis adiuvat suffragiis, potissimum autem acceptabili altaris Sacrificio (2), quo citius ab omnibus exutæ peccatis, lucis perpetuæ recipiant beatitudinem (3). Ea igitur diligenter servanda sunt, quæ Ecclesia sapienter præscribit ad pietatem erga vita functos salubriter exercendam.

272. Parochorum est funera ducere et curare ut omnia sacrorum canonum auctoritate fiant, et apprime serventur ex antiquissima traditione præscripti exequiarum ritus (4), etiam quum de infantibus agatur Christo renatis. Eædem semper sint pro pauperibus ac divitibus cæremoniæ, excepta unâ exteriori exsequiarum pompâ, suis quidem regulis moderandâ.

273. In comitandis funeribus diaconus et subdiaconus dalmaticam aut tunicellam ne ferant, sed unus procedat sacerdos cum stola aut etiam cum pluviali (5). In officio de-

(1) Vide in iure tit. *De Sepulturis* et *De Immun.* et *De Consecrat. Altar. Cœm.*: V, in Decreto causam 13 per totum etc.

(2) Conc. Trid. sess. 25 *dec. de purgatorio.*

(3) In liturgia pro defunctis.

(4) Rituale *De Exsequiis.*

(5) S. Cong. R. in Tuden. 23 maii 1846 ad 8, et 6 febr. 1858 in M. Pess. ad 2.

functorum organa non pulsantur; in missis autem si musica adhibeatur, silent organa quum silet cantus (1): cantus vero lectionum in officio simplex et planus omnino sit. Quantum fieri potest, præsente cadavere, Missæ pro defuncto celebrentur (2): et qui sacerdos celebraverit, exsequias ipse persolvat, nisi Episcopus adsit atque ipse velit persolvere.

274. Parochorum est ea omnia amovere, quæ christianæ pietati ac sanctitati funerum incongrua sunt aut indecora: quod quidem non raro contingit in immodico atque incomposito usu florum. Parochi semper omnes mortuorum inscriptiones recognoscant, atque emendent vel probent, antequam exponantur: nulla vexilla recipiantur aut introducantur in Ecclesiam, nisi sint benedicta (3). « Quæ vero præseferant emblemata manifeste impia vel perversa, si extollantur in pompa funebri, clerus inde recedat. Si per vim in Ecclesiam inducantur, tunc si Missa nondum inchoata fuerit, clerus inde recedat. Si inchoata fuerit, post eam absolutam, auctoritas ecclesiastica solemnem protestationem emittat de violata templi et sacrarum functionum sanctitate » (4). — A funebribus autem mere civilibus fideles sedulo amoveantur.

275. In Ecclesia quum funus ducitur, nemini liceat de ipso defuncto laudes dicere, nisi obtenta ab Episcopo licentia (5). Raro admodum pro aliquo digniori sacerdote id concedat Episcopus, rarissime id concedat pro laico: neque unquam ea monenda prætermittantur, quæ sunt ad humanam miseriam fidelium oculis proponendam, atque alia id genus in spiritualem fidelium profectum.

(1) Cfr. Cæremon. Episcoporum.

(2) Rituale Rom. *De exequiis* etc.

(3) C. S. O. 14 iulii 1887.

(4) C. S. O. 24 nov. 1897; S. Pœnit. 4 apr. 1887.

(5) Cfr. Conc. Pr. I, 2, p. 111.

276. Optandum est, ne die festo funus ducatur: et si ducendum sit, id fiat post vesperas (1): quod quidem eo magis fieri iubemus in solemnioribus primæ classis festivitatibus: quum etiam campanæ sonitus pro defunctis tunc vetatur (2). Si vero, aliquo festo die, aliter fieri necesse sit, ita exequiæ ordinentur, ne sacræ umquam parœciales functiones omittantur, præcipue vero explicatio Doctrinæ Christianæ.

277. « Exequiarum et anniversariorum causa, nemini quidquam pacisci aut exigere liceat, neque etiam petere vel quid aliud committere, quod simoniacæ labis aut sordidæ avaritiæ suspicionem ingerat » (3). Æquum tamen est, pias et laudabiles consuetudines servari, et Ecclesias præsertim, debitis eleemosynis non defraudari: quare Episcopus habita et locorum et personarum ratione (4), « statuat in civitate et diœcesi sua, quantum mercedis dandum sit curatoribus exequiarum, cœterisque qui dant operas in funere » (5). Taxæ ab Episcopo probatæ a Parochis ne immutentur. Miserabilium personarum *gratis* et decenter exequiæ fiant (6).

278. Præ oculis habeat Parochus et servet ecclesiasticas leges de sepultura deneganda. Quum vero prudens et grave dubium de ea re suboritur, consulatur Episcopus, qui, re mature perpensa, et tamen adhuc dubio manente, exequiarum pompas et solemnitates devitari decernat (7).

279. Cœmeteria iurisdictioni Ecclesiæ et immunitatis

(1) Cfr. A. E. M. *Instruct. fun.* p. 1399.

(2) S. Rit. C. 27 ian. 1883, 12 ian. 1897, et 8 ian. 1904 et dec. 1905.

(3) Conc. Pr. I, p. 110.

(4) Ib. et C. Pr. II. 2, p. 184.

(5) Conc. Pr I, p. 110.

(6) Ib. et *Instruct. fun.*, p. 1402.

(7) S. O. C. 16 maii 1886: atque etiam decreta S. O. 18 maii 1881 et 27 iul. 1892; quibus cohærent monita in Rit. Rom. *De Exequiis.*

iuribus, adhuc perstare subiecta, nemini ambiguum esse potest, quum custodiendis inserviant fidelium defunctorum corporibus. Quæ vero leges et sacri ritus pro consecrandis atque etiam reconciliandis Ecclesiis præscripti atque instituti sunt: iisdem fere reguntur cœmeteria (1). Benedicenda ergo sunt et reconcilianda quum violentur.

280. In medio cœmeteriorum crux ex marmore aliove lapide aut metallo confecta collocetur (2). Valde congruum est commune sacellum in cœmeterio extrui: atque in eo, lato per Episcopum erectionis decreto, Missa celebrari poterit, dummodo cadavera unius saltem metri spatio ab ipso altari distent (3). Quod si capella in cœmeteriis ita erigatur ut in Missæ celebratione iis tantum ad quos pertinent, non autem aliis etiam fidelibus aditus pateat; in eis sacrum fieri non licebit nisi ex indulto Apostolico (4).

281. Parochi atque adeo Episcopi enixe curent, ut catholici in benedicto loco tumulentur et ab iis separato, qui, iuxta præscripta, in loco sacro non sunt sepeliendi. Cœmeterium autem iis ipsis polluitur de causis quibus et Ecclesia, hoc est effusione humani seminis vel sanguinis et sepultura hominis non baptizati vel excommunicati vitandi (5); ubi ergo locorum, quod quidem raro admodum evenire confidimus, id forte contigerit, neque illico fieri possit cœmeterii reconciliatio, benedicenda erit fossa singuli cadaveris, antequam humi mandetur, benedictione brevi, quin opus sit Episcopi delegatione (6).

(1) V. Pontif. et Rit.

(2) A. E. M. *Instruct. fab.*, p. 1472; Conc. Prov. IV *De Cœm.*, p. 322 seqq.

(3) S. Rit. C., 12 ian. 1897 ad secundum.

(4) S. C. R. 23 ian. 1899: cfr. etiam S. C. C. 17 iun. 1905 et C. Pr. IV, p. 322-3.

(5) V. X. l. III, t, 23, c. 12: t. 40, c. 4, c. 7, c. 9, c. 10: et l. III, t. 21 in 6°.

(6) S. C. Prop. fidei 16 apr. 1862, nec non in Rit. Rom. *Exeq. Ordo* circa finem.

282. Cœmeterii constitutione nullo modo parochialia iura sunt mutata (1); nullum item ius novum accessisse declaramus iis Ecclesiarum Parochis, in quorum confinio ferrearum viarum statio erecta sit. Ius autem exinde elevandi cadavera proprio tribuendum est Parocho, vel in eius defectu ipsi Cathedrali Ecclesiæ, ad veteres laudandas consuetudines (2). Peregrini et extranei, qui nec cœmeterium pro sepultura, neque Ecclesiam pro solemniis funebribus sibi elegerint, a Parocho loci, in quo decedunt, sine iurium (si qua forte aliorum sunt) præiudicio funerentur.

283. Laudamus atque in dies provehi optamus pium usum semel in mense ad Cœmeterium solemniter procedendi. Quum vero, præcipue in urbibus, longinquius quam par est, cœmeteria statuantur, unde abunde nimis in carissimos nostros vita functos pietatis officia minuuntur; hortamur ut ardentior charitas suppleat.

284. Crematio adversatur perpetuæ et ab Ecclesia probatæ consuetudini fidelium cadavera humandi, et Veteris et Novæ Legis usibus, et ipsi etiam naturæ, et communi gentium consensioni. « Sunt enim apud mortales omnes hæ leges communes, ut qui vita functus est, terræ condatur, sepulturæ tradatur ac sinu magnæ omnium matris obvolvatur (3) ». Porro cremationem nullimode licere, pluries et antiqua (4) et nova ætate Ecclesia decrevit. Hinc non licet nomen dare societatibus, quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera; et si agatur de societatibus, quæ massonicæ sectæ filiæ sunt, incurruntur pœnæ contra hanc latæ. Illicitum item est man-

(1) S. C. C 14 aug. 1875.

(2) S. C. C. 22 iun. 1895 et 27 aug. 1904.

(3) S. Crysost. *De S. Hieromart. Babyla* or. 1, Migne ed. lat. vol. 2, p. 531.

(4) Extrav. Com. l. III, t 6.

dare ut suum aliorumve cadavera comburantur (1). Qui ergo sua corpora cremari mandaverint, non sunt religioso funere associandi, si impœnitentes obierint. Quum vero aliena voluntate defuncti cremantur, remoto scandalo, celebrari funus poterit, non tamen usque ad cremationis locum (2).

CAPUT X.

De Cantu et Musica Sacra.

285. Ambrosium laudat Augustinus quod ad tenendas orationis excubias id instituerit, « ut hymni et psalmi secundum morem orientalium partium canerentur ». Quod quidem retentum est « multis iam ac pæne gregibus omnibus per cœtera orbis imitantibus » (3). Eximii Patris documenta atque exempla nunc revocasse iuverit, quum ab ipso monemur Iesu Christi Vicario de sacra musica accurate excolenda, deque ea ad aptum genus restituenda (4).

286. Quasi codex musicæ sacræ et vera lex Apostolica auctoritate ad universam Ecclesiam nuperlata, Pii PP. X servetur *Instructio* — (quam damus in Append. XVIII) —. Ii, quorum intererit, omnia particulatim bene perpendant, et sacræ liturgiæ verba et textus reverenter semper custodiant. Meminerint cantores æquiparari se levitarum choris: instrumenta musica non aurium voluptati sed cantibus subsidio habeantur: omnia denique actioni sacræ ancillentur.

(1) C. S. O., 19 maii et 15 dec. 1886.

(2) C. S O., 27 iul. 1892.

(3) *Confess.* 9, 7; M. t. 32, p. 770: Cfr. etiam 10, 33; M. 32 p. 830.

(4) Pius PP. X Litt. ad Card. Vicarium 8 dec. 1903 et *Instructio* 22 nov. 1903.

287. Ad Apostolicæ Sedis præscriptum (1), singuli Episcopi, nisi antea fecerint, constituant peculiarem Congregationem seu *Commissionem,* a qua semper postulanda erunt consilia de sacra musica, quæ in diœcesi exerceatur. Ea commissio vigilet omnes et qui canant et qui musice pulsent: audiatur semper in organis conficiendis aut etiam reficiendis: nihil autem innovetur sine Episcopi adprobatione et permissu.

288. Ad Tridentini Concilii mentem et ad nuperum Apostolicæ Sedis præscriptum, in seminariis et in omnibus ecclesiasticis institutis, magna diligentia, cantus firmus, seu planus ab omnibus curetur. Alumnis vero eâ de re moderatores ac magistri animum addant, neque meritæ invideant laudi, quum etiam studium recte addiscendi cantum sacrum inter ecclesiasticæ vocationis signa habendus sit. Ubi autem fieri potest, e clericis *Schola Cantorum* erigatur, quæ sacram etiam poliphoniam rite canere contendat.

289. Curetur ut *Cantorum Scholæ* constituantur ac promoveantur apud maiores saltem vel urbanas vel rurales Ecclesias: erigi illas, quantum fieri potest, apud minores Ecclesias maxime etiam optamus (2).

290. Prohibentur omnino a musice pulsando in Ecclesiis ii musicales cœtus, qui vulgo *bande musicali* nomen audiunt. Aliquo tamen casu, nisi forte obstet laudabilis consuetudo, si Episcopus concesserit, delecta quædam ex illis musica instrumenta admitti poterunt, organi stylo consonantia. Admitti item poterunt in processionibus, quæ ducuntur extra Ecclesiam, servatis tamen prædictis legibus (3).

291. In Ecclesia ne puellæ unquam aut mulieres musice

(1) *Instruct.* n. 24. Cfr. Conc. Pr. I, *De musica* p. 99 etc.

(2) Cfr. *Instruct.* n. 25 et 27.

(3) Ibid. n. 20, v. retro n. 267.

canere aut pulsare permittantur de reservato musicis aut alio editiori loco; idque quacumque de causa, diebus præsertim solemnioribus (1). Neque item seorsim a maribus, aliquot e mulieribus proprio canant choro, quum in Ecclesia communes functiones habentur. Liberum autem illis sit pulsare et canere in suis seorsim oratoriis et in suis congregationibus.

292. Videant Parochi ut, qua opus est gravitate et pietate, campanæ pulsentur, neque ullo modo æditui aut alii profanos in pulsando edant modòs, qualibet de causa ridendos aut etiam vituperandos.

CAPUT XI.

De Sacra Immunitate.

293. Sacram immunitatem, Tridentino docente Concilio, *Dei ordinatione et canonicis sanctionibus* novimus *constitutam* (2): ac per eam a civilis auctoritatis legibus ita Ecclesia eximitur, ut divinis ac suis regatur. Illud vero nunc est dolendum, quod posthabitâ revelatione divinâ atque ipso Deo negato, omnia iura cœpta sint constitui unice in hominum pactò, et humana civium consensione: unde et Deo ipsi et divinæ societati ea tantum conceduntur iura quæ pro tempore et pro quâdam vivendi decentiâ, libito sint multitudini (3). Catholica e contra doctrina est: esse a Deo utramque, civilem atque ecclesiasticam pote-

(1) S. Rit. C., 17 sept. 1897; 19 febr. 1903.

(2) Conc. Trid., sess. 25 *de ref.*, c. 20. Conc. Lat. V, sess. 9 et 10. In X et in 6° et Extr. Com. De *Immunitate* etc. In D. 96 per totum D. 63 passim. Causa XI, q. 1. passim. Causa XII, q. 2, c. 19 *quisquis*. Causa XVI q. 1, c. 57-59 etc. etc.

(3) Cfr. Syllabum Pii IX § 5 et 6, et n. 30 seqq.

statem, easque ita ordinari ut « non immerito ei coniunctioni comparentur, per quam anima et corpus in homine copulantur.... Quidquid est quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale sit natura sua, sive propter causam ad quam refertur; id omne in potestate, arbitrioque Ecclesiæ. Cœtera quæ civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta; quum Christus iusserit: quæ Cæsaris sint, reddi Cæsari; quæ Dei, Deo » (1).

294. Duplicis generis, pro sacra immunitate, Ecclesiæ bona sunt distinguenda: quæ proxime ad celebranda sacra deputantur, atque ideo benedicuntur vel consecrantur, prouti sunt vasa sacra, sacræ vestes et paramenta, cœmeteria et sacræ ipsæ ædes: quæ alia non proxime sed remotius in divinum cultum referuntur, ut prædia pro alendis Ecclesiæ ministris et pauperibus, vel sortes pro sacris ædibus ornandis, servandis ac reficiendis. Parochi laicos moneant, res sacras interdici a commercio et esse grave sacrilegium, eas in usus prophanos adhibere. Moneat item de sacrilegii peccato quum indignis usibus ædes sacræ devolvuntur. Moneant denique de gravitate sceleris quod est si quis inique potiatur quibuslibet Ecclesiæ bonis: quod quidem et iuris alterius violatio est et sacrilegium.

295. Excommunicatione plectuntur a Concilio Tridentino latâ et Apostolicæ Sedi reservatâ, quicumque clerici vel laici, quocumque quæsito colore atque arte, ecclesiastica bona in proprios usus converterint, aut etiam impedire præsumpserint, ne ab iis ad quos pertinent, percipiantur (2). Quum tamen Ecclesia pia mater sit, neque unquam perdere filios, sed eos reddere saluti velit; misericordes

(1) Leo XIII *De Civit. Const.* 1 nov. 1885.

(2) Conc. Trid. sess. 22 *de ref.* c. 11: sess 25 *de ref.* c. 11, 12; et Constit. *Apost. Sedis* 12 oct. 1869.

de hac re exhibet transactiones, compositiones, condonationes; quibus quidem et singuli possunt suæ consulere conscientiæ, et quieti quoque consulere familiæ (1). Parochi et confessarii hortentur ecclesiasticorum bonorum detentores ut Ecclesiæ indulgentiam velint experiri.

296. Sanctum semper fuit clericos a clericis, civilibus quoque causis, in foro ecclesiastico audiri et iudicari. Compertum autem est, his quoque diebus nostris, plecti censura latae sententiæ « legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones: reliquos puniendos esse, si expedierit, censuris ferendæ sententiæ » (2). — Ad plurima diversi generis præcavenda mala illud decernimus, ut nemo clericus sæcularia adeat tribunalia, nisi prius Episcopum monuerit.

297. Persuasum sibi habeant omnes, Catholicæ Ecclesiæ iura esse nemini nocumento, omnibus adiumento. Omnes itaque Ecclesiæ iura strenue vindicent, præsertim ii qui ad id suo tenentur officio. Doceantur fideles quam grave peccatum sit usurpare substantiam Christi, diripere patrimonia pauperum, refragari Dei et Ecclesiæ ordinationibus et iudiciis, Dei ministros lædere, præsertim eos qui propiores dignitate sunt Vicario Christi.

(1) S. Pœnit. 15 apr. 1892, 25 aug. 1887, 2 sept. 1887 etc.

(2) Const. *Apostolicæ Sedis*, I, n. VII. V. Declar. C. S. O., 15 iun. 1870 et 23 ian. 1886.

TITULUS QUARTUS
DE CLERI DISCIPLINA.

CAPUT I.

De debito Summo Pontifici obsequio.

298. « Ecclesia, Dei voluntate, perfecta societas est, et quemadmodum suas leges, ita suos habet magistratus, quorum est princeps omnium Pontifex Romanus, universæ Ecclesiæ divino iure præpositus, idemque Dei solius potestati iudicioque subiectus » (1). Porro quantæ auctoritatis R. Pontifex iam inde a prima christianitate fuerit, vel ipsa illi attributa nomina firmo comprobant testimonio: ipse enim præ cœteris Apostolicus est, Pater Patrum, Episcopus Episcoporum, Episcopus catholicæ Ecclesiæ, Vicarius Iesu Christi (2). Quantæ autem fuerit necessitatis in Ecclesiæ regimine, præ aliis S. Ciprianus suo monebat tempore: « Primatus Petro datur, ut una Ecclesia et cathedra una (idest regimen unum) monstretur... Quam unitatem firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus » (3).

299. Episcopi qui Apostolorum successores sunt, cœteros præcedant in obsequio erga Petri Apostolorum Principis successorem, cum quo arctissimo fidei, obedientiæ et reverentiæ vinculo iunguntur. Quod igitur nos semper in

(1) Leo XIII, Alloc. in Concist. 1 iun. 1888: cfr. C. IX, q. 3, c. 13.

(2) Cfr. DD. 19-22.

(3) *De Unit. Eccl.,* Migne, t. 4 pag. 500-501.

intimo corde fovimus, quod unanimi ore prædicavimus de divino Summi Pontificis primatu, de universali iurisdictione ac plenissima successoris Petri potestate, deque eius a quovis humano iudicio atque imperio libertate, volumus hic rursus eâdem unanimitate, ac maiori si fieri possit animi alacritate, profiteri (1). Solemniter ideo testamur ac spondemus, fidem, subiectionem, obedientiam per omnia Nos exhibituros Romano Pontifici (2); neque tantum eius mandata humiliter recepturos, et quam diligentissime executuros, verum etiam monitis, consiliis et votis eiusdem Sedis Apostolicæ pie Nos esse obtemperaturos (3).

300. Nostrum item esse declaramus atque affirmamus, fideles Nobis creditos, pro pastorali Nostra vigilantia, eo religionis amore incendere, quo propius et arctius Cathedræ Petri adhæreant, omnesque eius doctrinas intimo mentis et voluntatis assensu suscipiant (4). Mandamus igitur ut de Romano Pontifice atque eius documentis et actibus, deque Ecclesiæ constitutione et iuribus non raro concionatores et Parochi populum alloquantur et doceant: Petrianam stipem clero et populo semel saltem in anno in Ecclesia commendent et colligant: atque hortamur enixe ut pro Pontifice publice et privatim orationes fiant; idque priorum temporum exemplo, quum sine intermissione oratio ab Ecclesia ad Deum fiebat pro Petro (5). — Anniversaria Pontificis electionis vel incoronationis dies populo denuntietur, et pia aliqua functione recolatur. Quum vero de hac vita Ipsum migrare contigerit, celebrentur suffragia; Pater est enim omnium et Pastor omnium Pastorum (6).

(1) Cfr. Conc. Burd. Rup Coll. Lac. t. 4 p. 646.
(2) Cfr. Conc. Plen. Amer. n. 184.
(3) Cfr. Conc. Burd. a 1850, t. 4, c. I. coll. Lac. 4, p. 577.
(4) Cfr. Enc. *Inscrutabili* 21 apr. 1878.
(5) Act. 12, 5.
(6) Conc. Prov. VI *quoad divina offic.*, p. 748-49.

301. Sacrarum Congregationum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinalibus* auctoritatem adserentes, debitum earumdem declarationibus et mandatis, Summi Pontificis nomine editis, obsequium ac religiosam obedientiam verbo et exemplo inculcabimus (1). Quæ vero declarationes seu decreta absque speciali et expressa supremi Pastoris approbatione proferuntur, ea quoque maxima semper veneratione amplectemur, atque observantia exequemur. « Ipsæ enim Congregationes veluti traditum depositum custodiunt antiquæ et præsentis Ecclesiæ disciplinæ, omnigenis pontificiæ sapientiæ thesauris, virorumque omni ævo ecclesiasticæ iurisprudentiæ laude præsignium consultationibus locupletatum » (2).

302. « Quum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia obstringuntur qui in contemplatrices scientias incumbunt ;... ii recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut Ecclesiæ dogmata recipiant ac venerentur; verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinæ capitibus, quæ communi et constanti catholicorum consensu retinentur (3) ». Nullo autem modo censendum est sincere aut perfecte subiici, si quis exteriorem quidem profitetur obedientiam et reverentiam, interiorem autem denegat mentis assensum (4).

(1) Cfr. Conc. Plen. Amer. n. 186.

(2) Ep. Card. Præfecti S. C. C. ad Conc. Rem. 22 maii 1858, Coll. Lac. t. 4 p. 245.

(3) Pius P. IX Ep. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 dec. 1863, Syll. n. 12 et 22.

(4) V. Litt. Card. Patrizi de mandato Pii P. IX die 3 iun. et 1 aug. 1866, nec non acta omnia in causa ontologa Lovanii, apud. *Acta S. Sedis*, vol. 3 p. 206 seqq. et p. 283. Cfr. etiam probatos auctores.

CAPUT II.

De Episcopis.

303. « Qua temporum calamitate afflictamur (monebat Leo XIII), id primum petendum curandumque esse censemus, ut cum hierarchico ordine vincula christianæ familiæ arctiore in dies necessitudine constringantur; ita plane ut fideles Episcopis suis omni voluntate et observantia adhærescant; quam maxime vero ad Episcopum Ecclesiæ universæ fidem, obtemperationem, pietatem filiorum retineant alacres, et profiteantur non timide » (1). Primo ergo adhærere omnes Successori Petri, Iesu Christi Vicario; deinde singulos et sacerdotes et fideles suis etiam Episcopis oportet esse subiectos. Neque enim semel S. Ignatius martyr Episcopos, qui suos regunt greges, ipsi D. N. I. Christo comparat, atque ait « cuncti revereantur Episcopum, ut Iesum Christum Filium Patris » (2). Imago Christi Episcopus est in eo grege, quem ut suum pascit (3): atque arctissime cum Episcopo iungantur oportet, qui cum Christo iungi cupiunt.

304. Episcopi « fide et vitæ meritis auctoritatem quærant » (4). Frugi vita privatim, suam liberalitatem conferant in decorem domus Dei: atque ita rite « perfectam illam imaginem digito Dei a Paulo Apostolo descriptam assidue sibi proponent » (5). Concilii Tridentini monita de hac re

(1) Ep. *In ipso supremi* 3 mart. 1891.

(2) Epist. ad Trall., M. ed lat. t. 3, p. 666: cfr. etiam epist. ad Smyrn. c. 8, p. 690: cfr. etiam epist. ad Eph. 6, p. 647 etc.

(3) Vide retro n. 9.

(4) D. 41, c. 7.

(5) Conc. Pr. I, pag. 64, et I Tim. 3, 2.

nunquam oblivioni tradant (1): et quantum possunt, curent exemplis et institutis S. Caroli atque eius Conciliorum Provincialium (2) se conformare. Ita efficient ut subditi « *glorificantes Patrem qui in cœlis est,* magis etiam vitæ exemplis, quam doctrinæ præceptis, ad imitationem virtutis incitentur » (3).

305. « Episcopatus vocabulum inde dictum, quod ille qui Episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens.... *Speculator* (idest Episcopus) est præpositus in Ecclesia dictus, eo quod perspiciat populorum infra se positorum mores et vitam » (4). Hoc est, nedum invigilent Episcopi moribus fidelium, sed multo magis et per quandam longe excellentiorem officii et iuris præstantiam moribus invigilent omnium clericorum: eos ita instituant atque componant ut per eos apte populi componantur: arceant iuniores præsertim, his præcipue diebus, ab iis qui sanam doctrinam non valent sustinere: videant ne pruriant auribus, *carnem maculent, dominationem spernant* (5). Iidem Episcopi bene moderentur et regant actiones sacras: strenue tueantur Ecclesiarum bona et iura: curent diligenter egenorum levamen, christianam impense foveant puerorum educationem: omnia denique enitantur quæ conferunt in Dei gloriam et animarum salutem.

306. Ut omnibus omnia fierent et omnes facerent salvos (6), mos semper Episcopis fuit in vicis etiam et in villis fideles suos visitare (7): unde Augustinus iam testabatur,

(1) Sess. 2, *de modo vivendi*, et sess. 25 *de ref.* 1.

(2) C. Pr. I, p. 63 seqq.: C. Prov. IV, 3, *De Episc.* p. 422: C. Pr. V, 3, *De Episc.* p. 688: C. Pr. VI, *De Episc.* p. 754.

(3) C. Pr. I, p. 64.

(4) c. 1. D. 21: v. Isidorum et August. *de civ. Dei* 19, 19, M. 41, 647.

(5) Pii PP. X, *Pieni l'animo*, 28 iulii 1906.

(6) I Cor. 9, 22.

(7) D. 80, c. 5; et C. 10, q. 1, c. 10, 11, 12; nec non q. 3, passim.

« se esse profectum visitandarum ecclesiarum ad suam curam pertinentium necessitate » (1). Quod munus sancta Tridentina Synodus vividius urgere perrexit (2). Illud ergo meminerint Episcopi quod « inter episcopalis officii munera, præcipua est et ad salutem gregis maxime necessaria visitatio... Meminerint visitationem ad salutem eorum qui visitandi sunt institutam esse, quamobrem sibi maxime propositum esse debet, ut in eis incorruptam orthodoxamque doctrinam, probatam morum disciplinam tueantur ac restituant (3) ». Quod si legitime impediti id obire nequiverint, visitatores alios huius rei peritos adhibeant (4).

307. Quæ de visitatione dicuntur, eadem fere de habenda diœcesana synodo dicenda sunt: quum et ipsa synodus antiquissimi instituti in Ecclesia sit (5), et eo solemniori congressu Rectores Ecclesiarum parochialium atque Canonici « compareant, rerum quas administraverint coram Episcopis rationem reddituri » (6). Ne ergo omittatur synodi diœcesanæ celebratio (7): et si hæc impossibilis aut valde difficilis eveniat, suppleatur per conventus præstantiorum sacerdotum, præcipue Vicariorum foraneorum, qui quidem perutiles sunt, tum cleri disciplinæ, tum ecclesiasticis negotiis tuendis ac promovendis.

308. Quoniam sanctum D. N. Iesu Christi evangelium prædicare precipuum est munus Episcoporum, meminerit Episcopus ad præscriptum Tridentini (8), id officium omnino

(1) Ep. 66 et Ep. 105, M. t. 33, p. 223 et 397.

(2) Sess. 24 *de ref.*, 3.

(3) Conc. Pr. I, p. 81.

(4) Confr. Conc. Pr. V, p. 431: cfr. in A. E. M. alia non pauca.

(5) D 18 passim.

(6) Conc. Turon. 1583, C. Lac. t. 4, p. 259: cfr. C. Pr. IV, 3, *monitiones*, p. 453.

(7) Sess. 24, *de ref.*, 2: et C. Pr. IV, 3 *de Syn.*, p. 449; et C. Pr. VI, 3, p. 676 etc.

(8) Conc. Trid., sess. 5, *de ref.*, 2, et sess. 24, c. 4 et 7.

esse exequendum: quod idem pro sua pietate et ad Conciliorum nostrorum monitum frequenter etiam præstabit in supplicationibus solemnibus, in synodalibus actionibus, in sacramentorum administratione, in solemnibus benedictionibus et consecrationibus, et in quavis muneris Episcopalis functione, quæ mysterii quod agit, explicationem postulare videatur (1).

309. Videant etiam Episcopi ut omnino præstantiores, quamvis forte rariores, in opus sacerdotale, adiutores sibi assumant: illud Benedicti XIV recordati, quod iterat Pius IX in sua prima encyclica « melius esse pauciores habere ministros, sed idoneos atque utiles, quam plures qui in ædificationem corporis Christi nequidquam sint validuri » (2). Ecclesiasticis officiis digniores semper præficiant, præsertim parœciis regendis, in quibus ut amplius monet Pius PP. X amantissimis Apostoli verbis, graviori sollicitudine elaborandum est donec Christus formetur in omnibus (3).

310. Sacra omnia sub Episcopi auctoritate semper peragantur. Qui vero dignitate propius ad Episcopum accedunt, præeant aliis eidem reverentiam atque obedientiam exibendo, atque ita certe suam una cum Episcopi dignitatem defendent. Parochi solerter legant pastorales litteras populo missas, atque eas, quoad possunt, tempore homiliæ explicent diligenter. In singulis Ecclesiis digniores de clero, sui ordinis insignibus induti, adsint Episcopo sacra peragenti. Anniversaria in Missis recolatur episcopalis consecrationis dies, eaque populo denuntietur (4): quam diem, natalitium suum Ambrosius nominat; et ut moris erat, populo

(1) A. E. M., *Instruct. Verbi Dei* p. 1225: et sparsim C. Pr. I. p. 32-33, 81: C. Pr. II, p. 171, 387: C. Pr. V. 681, 683: C. Pr. VI, 760.

(2) Pius PP. IX, *Qui pluribus* 9 nov. 1846: et Bened. XIV, *Ubi primum* 3 dec. 1740.

(3) Pius PP. X, *E supremi Apost.* 4 oct. 1903.

(4) C. Prov. IV, 2, p. 389: et C. Prov. III, p. 257.

commendabat (1). Episcopalis benedictio magni semper habeatur (2).

311. Quoniam in concordia vis est quærenda, *frater enim qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (3); Episcopi in gravioribus gerendis negotiis, quantum fieri poterit, communem agendi rationem sequantur: litteras etiam pastorales et edicta sibi invicem communicent. Ut autem mutui et fraterni adiutorii solamen experiantur, et obedientiæ, atque studii unitatis servandæ exemplum clero suo præbeant, annuos conventus adeant ex Apostolicæ Sedis præscripto celebrandos; quod quidem pluribus abhinc annis, fructu non exiguo, fieri apud nos consuevit (4).

312. Præeunte Sancto Carolo, pium revocantes sanctorum Patrum institutum ad concelebrandas Episcoporum exequias (5), peroptamus ut Episcopo morti proximo, Metropolita vel alius Episcopus vicinior a Capitulo Cathedrali invitetur, qui statim veniens, si Antistitem invenerit vivum, piissime eum consoletur: defunctum vero ad sepulcrum comitetur. Cæteris quoque Provinciæ Episcopis nuncium mittatur ut confratris funeribus amanter interesse possint.

CAPUT III.

De Curia Episcopali.

313. Quum omnibus diœceseos expediendis negotiis Episcopus ipse unus impar sit; iam inde ab antiquioribus sæculis institutum est, ut idoneis iuvaretur cooperatoribus

(1) *Epist.* 4 class. I, M. t. 16, p. 889-90 et *Exp. Ev. sec. Lucam* l. 8, n 73, M. t. 15, p. 1787.

(2) C. 26, q. 6, c. 3; *De consecr.* D. 1, c. 65, et D. 5, c. 13.

(3) Prov. 18, 19.

(4) S. C. C. *Circolare ai Vescovi d'Italia*, 24 aug. 1889.

(5) Cfr. Conc. Pr. I, *de fun. Ep.*, p. 107; et Conc. Pragen. 1860, Coll. Lac. V, 550.

et ministris, quum iure scriptis (1), tum etiam bono suo arbitrio, pro locorum et temporum opportunitatibus delegandis et constituendis: quorum quidem et numerus, et nomen, et recepta quandoque collegialis forma, diversa admodum semper fuerunt: in præsens vero variantur pro locorum comodo atque usu (2).

314. Quilibet Episcopus peculiares pro recto Curiæ regimine regulas statuet. Aptissime tamen rem omnem quinque capitibus distribuet: de disciplina cleri; de re beneficiaria; de bonis Ecclesiæ; de institutis religiosis; de re matrimoniali: quæ quidem partitiones in Archivo quoque opportune servabuntur. Gerendis negotiis officiales præficiet: quorum primus Vicarius generalis, vir disciplinæ ecclesiasticæ zelo flagrans, iudicii maturitate et honestate vitæ præfulgens, ad omnia ecclesiastici regiminis officia satis expeditus.

315. Ne desit Curiæ Cancellarius: eius officium magni semper habitum est, neque sine eius nomine ullum Episcopi decretum est evulgandum (3). Ecclesiæ iuribus tuendis Promotor seu Procurator fisci (4) semper erit constituendus.

316. Singuli Curiæ officiales et ministri, vitæ integritate et probatis commendentur moribus; atque ita semper suo munere fungantur ut Episcopo, cui serviunt, laudi et honori omnino sint. Commissa sibi secreta fideliter teneant, neque ulli legenda tradant Curiæ scripta vel documenta: nulla item, ne minimi quidem pretii, pro sua præstita opera, recipere audeant dona.

(1) X. I. 1, t. 23, 24, 28, 29: et in Decreto D. 25, c. 1, *Archidiac. Archipresb.* Et in 6° *de off. Vicar.*

(2) A. E. M., *Instruct. ad for.* etc. 1629-1771; C. Pr. I, 84 seqq., C. Pr. III. 274 seqq., C. Pr. IV, 472 seqq., C. Pr. V, 688 seqq., C. Pr. VI, 764 seqq.

(3) C. Pr. III, p. 276: et *Instruct.* p. 1699.

(4) A. E. M. *Instructio* p. 1684, et C. Pr. V, 3, p. 695.

317. Parochi omnes atque Sacerdotes, qui ad Episcopales Curias laicum aliquem pro aliquo transmittunt expediendo negotio, generatim monentur, ne ore tenus ipsis confidant mandata sua, multiplicia fortassis et gravia: verum potius scriptis litteris ipsi rem explicent ac declarent, deque personis quas mittunt, præsertim ad iusiurandum, idonea curent exhibere testimonia.

318. Ad dirimendas causas ecclesiasticas, præsertim quæ sunt de cleri disciplina, optandum est ut in singulis Episcoporum Curiis, stabili formâ constituatur aut restituatur ecclesiasticum Tribunal, in quo ad normam præsentis iuris accurate causæ pertractentur (1). Illud quoque, inter Curiæ officia, locum habeat quod est de censura librorum, ad normam nuperæ de ea re Pontificiæ constitutionis (2).

319. Episcopi quotannis suam Curiam atque ecclesiasticum Tribunal diligenter recognoscant ac visitent (3): si quem abusum irrepsisse cognoverint, curent tolli vel emendari; opportune autem instituant, quæcumque pro sua sapientia expedire iudicaverint.

CAPUT IV.

De Capitulis.

320. Cathedralium Ecclesiarum Capitula, Episcopi senatus semper sunt habita (4); nec tenui etiam nunc redeunt adiumento in regendis diœcesibus tum consilio, tum exem-

(1) Cfr. Instruct. et Declar. S. C. EE. et RR. 11 iun. 1880, 21 dec. 1883, 26 mart. 1886, 22 mart. 1893 etc. etc.

(2) Leo XIII, *officiorum et mun* 25 ian. 1897. n. 7, 29, 35-36, 38-42.

(3) C. Pr. III, *De his q. ad Ep. for.* p. 276.

(4) Conc. Trid. sess. 24, 12, circa finem. Cfr. X. l. I, t. 23-27 et tit. 33; et l. III, t. 10 et 11 *de his quæ fiunt* etc.

plo; neque parum dignitatis conferunt Maiori Ecclesiæ (1), cui quidem et sacram canendo psalmodiam et rite peragendis divinis officiis inserviunt.

321. De Capitulis quæ in Tridentina synodo scriptæ sunt leges, magnam in partem, veterem revocant disciplinam: atque hæ sunt fideliter omnino custodiendæ. Præcipua quidem lex est residentiæ, quam servasse omnino necesse erit, qui suo fungi munere non recusent (2).

322. Omnia quæ in divino cultu præstare tenentur Canonici, per se ipsi exerceant (3). Pro suo quisque munere vel Missam celebrent, vel Eius celebrationi adsint atque inserviant: itemque pro suo officio, aliis actionibus sacris attendant. Choro, statis horis, quotidie intersint, ut singulas horas canonicas, nulla unquam prætermissa, recitent aut canant. Deum intendant psalmis et canticis glorificando. Episcopo aut celebranti aut alia pontificalia agenti, honoris et officii sui ducant inservire: « eumque ad celebrandam vel audiendam Missam, vel ad alia officia solemnia venientem, deducant et reducant (4) », choralia induti insignia. Legem distributionum servent, quas nemo unquam suas facit, nisi ipse præsens fuerit et divinis personaliter officiis intererit. Excipiuntur « quos infirmitas excusaret, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas aut evidens ecclesiæ utilitas » (5).

323. Canonici qui specialia obtinent officia, ea diligenter exequantur, et tributis sibi iuribus utantur. « Pœnitentiarius, dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens

(1) X. III, t. 11 etc.

(2) Sess. 24 *de ref.* c. 12, sess. 21 *de ref.* 3, sess. 22 *de ref.* 3: et X. l. III, t. 4 *de cler. non res.*

(3) Conc. Trid. ut supra.

(4) Conc. Prov. I, p. 104.

(5) Conc. Trid. sess. 24, 12 innovando decret. Bonifacii VIII *de cler. non resid.* in 6, l. III, t. 3; Cfr. etiam X l. III. t. 5, 32.

in choro censeatur » (1). Quo die Theologus sacram Scripturam e suggestu explicaverit, quamvis absit a choro, distributionibus fruatur (2). Si forte Canonicus, qui et parochus, alio a parochiali munere abducitur, oneratâ eius conscientiâ, præsens in choro habendus est. Pro præsentibus item habendi sunt, « qui Archiepiscopo vel Episcopo in Civitate, etiam extra Ecclesiam Metropolitanam vel Cathedralem consecranti vel reconcilianti Ecclesias cœmeteriave, aut sacros Ordines, aut Confirmationis sacramentum aut SS. Eucharistiam frequenti populo ministranti, aut alia pontificalia munera exercenti, eius iussu astiterint, ministraverint vel inservierint: item qui Archiepiscopi vel Episcopi iussu in Metropolitana, Cathedrali aut Collegiata sua Ecclesia curata, in Sacramentorum Pœnitentiæ ac SS. Eucaristiæ administratione operam præstiterint ». (3). Illud tamen curandum erit, ne plures, quam par est, simul absint a choro.

324. Singulis hebdomadis, aut saltem frequenter, iuxta probatas consuetudines, Canonici cuiusvis Ecclesiæ capitularem habeant conventum: atque in eo tractanda primo proponantur quæ pertinent ad spiritualis vitæ profectum, ad divini cultus decorem et ad debitam observantiam constitutionum capitularium: deinde vero agantur quæ ad rerum temporalium pertinent gubernationem (4): ipsa autem capitularia statuta semel saltem in anno in conventu legantur.

325. Qui Cancellarii Capitularis officium gerit, Capitulares quas vocant ordinationes vel actiones sine mora in

(1) Conc. Trid. sess. 24, c. 8.

(2) A. E. M Synod. 11, *monita q. ad Sacr.* p. 1067; et ob concessionem Gregorii XIII, ut pluries resolutum ex SS. RR. CC.

(3) A. E. M. vol. 3, p. 1494, breve Gregorii XIII, 10 oct. 1579: Cfr. Conc. Prov. IV, 2, pag. 388-89.

(4) Cfr. Conc. Prov. II, 2. d. 13, p. 182; Conc. Prov. IV, 3 *Monitiones* p. 463; Conc. Prov. VII in 4 vol. *q. ad Cap.* 372.

librum referat: qui liber in Archivo Capitulari diligenter asservetur (1). Ea acta ne temere promulgentur, sed ab omnibus secreto custodiantur. Si « quo (vero) iureiurando, etiam ex statutis et constitutionibus Ecclesiæ probatis, spondeant Canonici, se nihil quidquam quod in Capitulari conventu agitur patefacturos; decernimus et declaramus, eo non impeditum esse quemquam, quominus ad Episcopum deferat, si quæ errata sint..., tum etiam, si quæ alia ab eodem sciri cognoscive expedierit » (2).

326. Statuta capitularia a communibus deducuntur Ecclesiæ legibus atque aliis pro unaquaque Ecclesia præfiniendis et conscribendis. Capitula ea statuta sibi scribant, ubi forte desunt: ea sibi emendent, ubi forte his nostris temporibus minus apta videantur: atque id fieri præcipimus intra annum ab huius Provincialis Concilii promulgatione (3): ne tamen habeantur rata, nisi Episcopus ea probaverit (4).

327. Probata iura capitulorum libenter recognoscimus. Quo tamen ampliori dignitate capitulares viri augentur; virtute quoque curent cœteris antecellere, et arctius in dies Episcopo iungantur, suæ Ecclesiæ capiti.

328. Quæ modo dicimus de virtute deque vitæ præstantia, qua commendari debent Canonici, præcipue Cathedralium Ecclesiarum, eadem intelligi volumus de iis, qui ad honorem in Capitulo ex more recenti adl.guntur. Non enim decet insignibus Canonicorum honestari, nisi qui pietatis et doctrinæ laudibus cœteros antecellunt, deque re christiana egregie sunt meriti. Mutuo consensu Episcopi et capituli ii canonici ad honorem deligantur: ne tamen

(1) Con. Prov. IV, 2, p. 413.

(2) Ibidem.

(3) ea nimirum quæ fiet mox a S. Sedis approbatione.

(4) Conc. Prov. I, c. ult. p. 155: et Conc. R. ann. 1725, t. 2, c. 4: et X, l. I, t. 4, c. 9.

numero præbendatos excedant: neve item ex aliena cooptentur diœcesi, nisi pauciores numero, et de sui Ordinarii consensu et scientia: delecti vero insignibus et privilegiis in ea tantum diœcesi utantur, ubi sunt nominati (1).

329. Mansionarii, choristæ aut alii beneficiati, qui iisdem fere sacris adstringuntur chori officiis ac ii qui de gremio capituli (2) sunt, ipsi quoque munus suum accurate obeant, atque ideo si nondum teneant, statuta sua intra annum ab huius Concilii promulgatione vel ipsi perscribant, eaque probanda Episcopo tradant. Mansionarii aliique chori officiis adstricti, ipsi quoque indulto Gregorii XIII in hac nostra Provincia pro Episcopi servitio fruuntur (3).

330. Magnopere dolemus, adversâ ætate et lege civili abolita fuisse vetera Capitula, Ecclesiarum etiam insignium, quamvis non cathedralium. Quæ forte supersunt, aut vetera servent statuta, aut nova condant de Episcopi consensu. Quo autem meliori potest modo, et quo maiori possunt numero, vetera Ecclesiarum collegia, canonicâ lege servatâ, instaurari curentur et in pristinum splendorem adduci.

331. Serventur adamussim Apostolicæ Sedis decreta circa usum tum canonicalium tum pontificalium inferiorum prælatorum insignium. In quæ omnia et Episcopi singillatim vigilent, et illud quod Pius PP. X monet in suo de eâ re motuproprio præ oculis habeatur: ea privilegia « quum deminutionem quandam Episcopali dignitati videantur afferre, strictissime esse interpretanda »: neque agi « de re parvi momenti, quippe quæ ecclesiasticam respicit disciplinam, ne quis audeat arbitrariâ interpretatione maiora sibi privilegia vindicare » (4).

(1) Leo XIII Litt. Ap. *De Can. Hon.* 29 ian. 1894. Cfr. etiam S. C. C. 6 iul. 1867, 18 apr. 1885 etc.

(2) S. C. C, 18 mart. 1882 et ian. 1884.

(3) V. retro n. 323.

(4) Pius P. X. *Inter multiplices* 21 febr. 1905.

CAPUT V.

De Vicariis Foraneis.

332. In partem sollicitudinis Episcopalis, præter Curiæ officiales, qui universæ præstant operam diœcesi regendæ, Vicarii Foranei, pluribus abhinc sæculis, assumuntur (1): qui minora quædam, eaque frequentiora negotia procul ab urbe expediunt. Quum de hac re nihil a iure præfinitum sit, præstat in diœcesana synodo aut episcopali edicto eorum officia declarare ac definire.

333. Vicariis Foraneis invigilandum est, ut fideles ac præcipue sacerdotes et clerici, mores et vitam sancte componant. Quærant de presbyteris « quales se in pastorali præbeant cura: an eorum culpa divinus cultus desideretur: an præstentur ea, quæ Episcopi aut alii eorum nomine... iusserint: an... in synodo decreta serventur. De his omnibus... deque aliis, quorum ad utilitatem animarum Episcopi cognitionem desiderant, ipsum per litteras diligenter certiorem faciant » (2).

334. Contentiones, si quæ forte inter Ecclesiasticos exoriantur, de bono et æquo componere satagant: moneant et corrigant, si quem devium a recto disciplinæ tramite deprehenderint: omnibus autem modeste viventibus neque ab officio discedentibus, addant animum: fraternâ et observanti charitate atque etiam comitate, præsertim coram populo, utantur semper in confratres sacerdotes; quum

(1) v. Benedict. XIV, *De Syn. Diœc.* l. 3, c. 3, n. 5 seqq.: Confr. Coll. Lac. Conc. Venet. t. 6, p. 306.

(2) Conc. Prov. I *de Vic.* p. 80, etc. etc.: Cfr. *istruttione ai vicarii for.*, p. 1938.

tamen opportunæ monitiones non profuerint, aut de graviori re agatur, pro sua conscientia, moneant Episcopum aut Vicarium Generalem.

335. Sacerdotes et Parochi Vicariis Foraneis, ut par est, obsequantur et revereantur: hi vero et sincere diligant in Christo vicariatus sui sacerdotes, et in infirmitatibus visitent et in periculo mortis constitutos omni ope christiana solari enitantur; Episcopo denique omnium patri, eorum obitum nuncient, atque etiam morbos graves (1). Quum autem Parochus aliquis decedere contigerit, illud citius atque solertius curent, ut, *coram idoneis* ad operam hanc *advocatis testibus,* segregent et colligant omnia documenta, quæ propria Archivi Parochialis sunt, ephemerides præsertim et ea quæ pertinent ad legata Missarum, atque item ad fidelium conscientiam et regimen parœciæ (2). Nullo autem modo ea scripta, quæ Ecclesiæ sunt, hæredibus aut civili auctoritati relinquantur; sed cito in tuto ponantur et custodienda tradantur sacerdoti ad tempus deputato. Quum autem Vicarius Foraneus decesserit, Parochus qui in ipso vicariatu canonica institutione, antiquior est, hæc eadem officia præstabit.

336. Vicarii Foranei præesse erit Cleri collationibus seu Congregationibus in suo vicariatu: quæ quidem quanti a clero æstimari debeant, ex eo etiam constat quod tertio quoque anno, Episcopi Apostolicæ Sedi iubentur rationem de illis deferre. Habeantur autem ad tramitem veterum Provincialium legum et cuiusque diœceseos constitutio-

(1) Conc. Prov. II, 2, d. 15, p. 183; et Conc. Prov. VI *de Par.* p. 734.

(2) Vide in A. E. M. vol. 4, pag. 947, *Decret. Congr. Vic. For.*; et pag. 1033 et 1041, Syn. ann. 1650: ipsis autem S. Caroli temporibus lex erat ut Archiva, non in domo parochiali, sed in sacristia haberentur; v. Conc. Prov. IV *de Sacrist.* p. 331; et *Instruct. Visit. De Archiv.*, p. 1653, et Conc. Prov. I, p. 43. — Vide etiam infra, n. 354.

num (1), et disputandi formâ temporibus nostris atque locis opportune attemperatâ. Neque commendatissimum illud omittatur, ut qui convenerint, « consulant de difficultatibus suæ parochiæ, quarum explicatio aliorum consilium et operam requirat » (2).

337. Vicarii Foranei parœcias vicariatus suî quotannis accurate visitent, tempore quidem ab Episcopo præfiniendo (3). Ea visitatio, quæ alia plane est ac illa Episcopi, præscripto ab unaquaque diœcesi ritu fiat et citra ullum Parœciarum gravamen: et de eadem visitatione atque vicariatus statu annuam deinde Episcopo relationem mittant (4). Episcoporum autem erit alios delegare qui Parœcias Vicariorum Foraneorum, si Parochi sunt, aut quamlibet aliam visitent, deque illis referant.

338. Episcopi Vicarii Foranei munus ad eos Ecclesiasticos potissimum deferent, quos magis idoneos iudicaverint, qualibet officii aut etiam dignitatis ratione posthabita. In hac enim re suæ tantum conscientiæ lege tenentur, ut eos deligant et deputent, quos utiliores esse existimaverint. Omnes ideo voluntate Episcopi ab eo munere amoveri semper possunt (5); priventur autem privilegiis et facultatibus, quibus ut Vicarii fruuntur, si qui in officio suo desides fuerint.

(1) Conc. Prov. I, p. 79; Conc. Prov. II, 2, p. 188; Conc. Prov. IV *De Par.* p. 421; et *Instruct.* Conc. iussu editæ, p. 1601; et *Ordini* p. 1953. — Cfr. litt. Archiep. et EE. Prov. Med. 4 nov. 1891, p. 3.

(2) Conc. Prov. I, p. 80.

(3) Conc. Prov. V, 3, *q. ad Synod.*, p. 685.

(4) Ib. et p. 677.

(5) Cfr. Conc. Prov. I, p. 79 et 80.

CAPUT VI.

De Parochis, Vicariis et Coadiutoribus.

339. Optima Ecclesiæ lege existimandum est ruri et urbi distinctas esse parœcias (1). Atque illa verba Benedicti XIV etiam atque etiam sunt iteranda: « Parochi præcipui adiutores Episcoporum sunt, in grege illis credito informando, regendo, perpurgando, in viam salutis dirigendo, et ad christianas virtutes incitando. Ex quo pronum est intelligere, quanti etiam referat, ad Parochiale obeundum munus eos eligi, qui ad fructuosam plebium gubernationem merito iudicentur aptiores » (2). De Parochis multa iam monuimus, verum non pauca pro gravi eorum munere supersunt monenda.

340. Quum cooperari Deo in salutem animarum opus divinissimum sit, necesse est ut omnes sacerdotes, præcipue autem Parochi, recta mentis intentione et legitime ad sacra ascendant exercenda ministeria, nec ullâ illecti pravâ voluptate, neque ab hominibus vocati sed a Deo, illud in animo tenentes, eos omnes, qui propria temeritate sibi sumunt ministeria, non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, esse habendos (3). Veterem ergo, pro parochialibus saltem beneficiis, ratam habentes atque iterum sancientes Concilii Provincialis I. legem ; edicimus ut « neminem vel præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus provisum, prius Episcopi admittant aut instituant, quam scriptum ab eo iusiurandum exegerint » (4)

(1) Conc. Tr. sess. 14 *de ref.*, c. 9: Cfr. C. 13, q. 1, c. 1, etc.

(2) Encycl. *Ubi primum*, 3 dec. 1740.

(3) Conc. Trid. sess. 23, c. 4.

(4) *Q. p. ad collat. ben.* p. 59.

de nullâ admissâ simoniacâ confidentiâ (1): eâ ipsâ sanciendum ab eodem Concilio præstitutâ formulâ (2).

341. Meminerint præterea Parochi, nonnisi gravem ob causam sibi esse petendas translationes et nominationes ad alias parœcias: quas qui postulant, non bonum opus, neque animarum salutem sed commoda plerumque et lucra aut saltem inanem gloriam quæritare comperiuntur. Neque ergo ipsi, nec alii sacerdotes de officio et beneficio, sibi ab Episcopo concedendo vel tradendo conscribi unquam populares postulationes seu libellos patiantur, aut quod longe peius est, utcumque enitantur; sed ab ea re fideles dehortentur et id plane adversentur.

342. Cogitent Parochi, aliique omnes qui curam animarum gerunt (3), gravi se detineri officio docendi et residendi. « Quum enim præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre; verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cœtera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non advigilant, neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt; Sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio et veritate pascant et regant » (4).

343. Gravissima Parochorum obligatio est residere in Parœcia: atque adeo urget ut qui eam non servaverit, pro-

(1) Pius PP. IV. 17 oct. 1564.

(2) Ut supra.

(3) Conc. Trid. sess. 23 *de ref.* 1, § *Eadem omnino etiam quoad culpam* ecc.

(4) Ib. *a principio*. Cfr. litt. Archiep. et EE. Prov. Mediol. ad Ven. Cler. 4 nov. 1891, pag. 8.

rata temporis absentiæ, ne fructus quidem suos facere possit (1). Quod quidem non eo sensu accipiendum est, ut in parœcia commoretur nihil inde agens: sed ex sacris canonibus residentia requiritur laboriosa non otiosa (2); ita ut vere ipsi per se (3) Parœciam regant et ministrent; neque enim ita regenda est Parœcia, ut omnia aut multa nimis coadiutoribus et vicariis relinquantur et majora quædam tantum Parochis reserventur. Non tamen abdicanda est coadiutorum cooperatio; dummodo potior ac principalior regiminis pars Parocho semper adscribatur. Quin etiam non solum residere Parochus in sua parœcia tenetur (4), sed in ipsâ suâ parœciali domo (5), aliâ quavis exclusâ, etiam paternâ.

344. Parochi, aliique curam animarum habentes, ad illud etiam obligantur: « ut quandocumque eos, causâ prius per Episcopum cognitâ et probatâ, abesse contigerit; vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant (6).

345. Duo vero vacationis menses qui æqua de causa et absque gregis detrimento a Concilio Tridentino conceduntur, ita sunt computandi, ut non solum comprehendant dies discessionis et reditus, sed etiam coalescant ex pluribus interruptis absentiis (7). Neque licet Parochis, quadragesimali tempore aut adventus Domini abesse ad con-

(1) Trid. 23. *de ref* 1 : X, l. 3, t 4, per totum: C. 7, q. 1, c. 3, 19, 20, 23, 24, 29 etc In A. E. M. multa etc. etc.

(2) Conc. Aquileiense an. 1595, 5.

(3) X, l. 3, t. 5, c. 30 *exstirpandæ*.

(4) S. C. C. 19 aug. 1752, 12 maii 1753 etc., etc.

(5) S C. C. 28 dec. 1755, et 7 febr. 1756.

(6) Conc. Trid. sess. 23 *de ref.* 1; et plurima S. Congr. Conc. decret., præcipue 7 oct. 1604.

(7) Cfr. litt. Arch. et EE. Prov. 6 ian. 1896, *notificaz.* n. III, *c.*

cionandum; nisi prius opportunam impetraverint ab Episcopo facultatem. Quam quidem haud ita facile Episcopus tribuat: quum abunde compertum sit, graviori detrimento Parochi absentiam sæpe sæpius cedere, quam qui sperantur fructus ex eius prædicatione in aliena parœcia (1). Quum autem diebus dominicis ac per annum festis, nullo excepto, pueri ac puellæ a Parocho erudiendi sunt catechismo (2), graviter improbandi ii sunt, qui debitam in sua parœcia catechesim omittant, ut alio adeant sacra utcumque solemnia (3).

346. Missæ sacrificium pro populo offerre iubentur Parochi Dominicis ac festis diebus, etiam suppressis (4); atque id quidem in propria Ecclesia, non in alia. Die tamen festo, Parochus legitime absens a parœcia satisfacit ubi degit, applicando pro populo, dummodo provideat ad necessariam populi commoditatem. Legitime vero impeditus ne die festo Missam celebret, tenetur eam per alium celebrare et applicare facere pro populo in Ecclesia parochiali; quod si ita factum non fuerit, quum primum poterit, Missam pro populo debet applicare (5).

347. Quod alias monuimus, pro summa gravitate atque utilitate rei, iterum atque instantius monemus, ut Parochi et parochialem Missam, et homiliam seu concionem, et catechesim, et omnia divina officia statuant et celebrent horis populo opportunioribus, quas quidem mordicus teneant quum præfiniverint. De omnibus autem functionibus sacris, festis præsertim diebus, tabellam horariam ad Ecclesiæ valvas exponant.

(1) Ibidem.

(2) Pius PP. X, *Acerbo nimis*, 21 apr. 1905.

(3) Cfr. litt. Archiep. ut supra.

(4) Ex multis RR. PP. decret., præcipue Const. Bened. XIV *Cum semper* 19 ag. 1744, et Pii P. IX *Amantissimi*, 3 maii 1858.

(5) S. C. C. 14 dec. 1872, Coll. P. F. n. 207.

348. Meminerint Parochi, Canonici cuiusvis tum cathedralis tum collegiatæ Ecclesiæ, omnesque alii Ecclesiarum Rectores, non posse se, a quocumque iussi vel invitati, extraordinariam ullam sacram functionem celebrare, nisi impetratâ prius ab Episcopo facultate: idque præsertim quum rogantur de publica aliqua causa; tum enim ne patiantur quidem se obligari ad aliquam petendam ab Episcopo facultatem. Si quem vero Episcopum ex aliena diœcesi ad solemnes suæ Ecclesiæ functiones invitare desiderent, id ne fiat nisi per Episcopum loci aut de eius expresso mandato (1).

349. Quæ iterato iam monuimus, de catechesi explicanda, deque pascendo greges salutari Dei verbo, diligentissime Parochi exequantur. Fidelibus etiam frequenter suppeditent mores emendandi opportunitates, prædicationes et missiones, vel *exercitia spiritualia,* vel alia similia. Præ oculis item assidue habeant quæ iam monuimus de frequenti sacramentorum susceptione fidelibus commendandâ et in illos inducendâ. Curent ut non raro extraneos arcessant confessarios, fidelium necessitatibus consulendo. Neminem tamen ad confessiones audiendas aut ad concionandum ex alia diœcesi vel advocent vel admittant sine debita Episcopi facultate (2).

350. Parochis quædam etiam suffragatur paterna seu œconomica auctoritas in foro externo, qua sacris omnibus interesse ac præesse rebus debeant. Ipsorum enim est scholarum inspectio, et cura generatim de catechesi et de christianâ puerorum educatione: item bonos mores invigilare, et parochianos suos opportune corripere, ac graviora scandala Episcopo deferre. Parochorum est pau-

(1) Cfr. litt. Arch. et EE. P. Med. 6 ian. 1896 *Notif.* III.

(2) Cfr. litt. Arch. et Epp. Pr. Med. ad Ven. Cl., 4 nov. 1891, pag. 11; et amplius 6 ian. 1896, *notificaz.* III, *d.*; atque item 16 aug. 1901: v. retro n. 28.

perum et miserabilium curam assiduam habere, catechesim tradere in ipsis etiam publicis scholis. Parochorum item est Ecclesiarum suarum iura et bona inviolata servare. Nisi autem Episcopus, certis de causis, alium præesse decreverit, omnes quæ sub iure Episcopi consodalitates et catholicæ consociationes sunt, Parochum ducem tenentur agnoscere (1).

351. Caveant Parochi præ cœteris ab inordinato propinquorum amore: atque eorum neminem domi suæ stabilem contubernalem adsciscant, nisi obtento ab Episcopo consensu. Quem etiam monere jubemus, quotiescumque aut aliquem mutant aut aliquem addunt numero. Eo magis iubemus Episcopo declarari et ab Episcopo probari contubernales illos, qui propinqui non sunt. Episcopus autem, quos forte, aut boni mores, aut sacerdotalis decor haberi domi non satis commendant, ab habitando cum Parocho interdicat (2): illudque moneat ut qui propinquiores familia sunt, eo magis a gerendis Parœciæ negotiis omnino abstineant. Nullo vero modo, neque ulla causa, Episcopus toleret una cum Parocho cohabitare eos, qui iuncti sunt matrimonio, nisi forte pater et mater ipsius sint, utrique moribus commendandi.

352. Parochi domus ne congruo careat decore aut munditia: fugiantur tamen apparatus vani, neve admittantur unquam quæ minus honeste vel picta vel sculpta sint. Prodigalitatis notam ne incurrat Parochus; eoque magis ne avarus thesaurizet sibi thesauros in terra. Illud autem de bonorum Ecclesiæ fructibus attente cogitet, nihil, præter ea quæ ad honestam substentationem necessaria sunt, posse

(1) S. C. Indulg. 8 ian. 1861.

(2) Cfr. Conc. Prov. I, 3, p. 71; et Conc. Prov. VII in vol. 4 *De vita et hon. Ep. et Cler.*, p. 372: Cfr. litt. Arch. et EE. Prov. Med. 16 aug. 1901 *Notif.* 2: vide etiam infra, n. 384.

se aut sibi aut hæredibus sine gravi culpa reservare, cum superflua pauperibus vel Ecclesiæ sint distribuenda. In qua re, ab ea improbanda sollicitatione maxime caveat, ne propinquos ad opulentiorem evehat vitæ sortem, quam a parentibus duxerint.

353. Frugalitati victus, potissimum vero sobrietati Parochi semper et ubique studeant. Pastoralis Visitationis occasione, duo tantum fercula, unius quidem qualitatis singula, post iusculum apponantur, atque alterum ad summum vini genus poterit tolerari: celebrandis vero communibus parœciarum festivitatibus tertium non amplius concedimus ferculum (1): si qui non obtemperaverint, Episcopi animadvertant. Invitationes atque invitati haud immodico censeatur numero, qua etiam in re Episcopi invigilent.

354. Parochiales libri atque ipsum Parochiale Archivum unius omnino Ecclesiæ et Episcopi iuris sunt: quum de Ecclesiæ mandato omnia in eo colligantur ac custodiantur (2). Nemini laicorum, nullo prorsus excepto, documenta ulla præbeantur videnda, aut quidquam concedatur efferri aut exscribi, nisi de Episcopi licentia scripto data. Parochus quinque ordinatim conscribat libros: baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, et librum *status animarum:* quem quidem diligenter confici monet S. Carolus ut oves apte cognoscantur (3). Parvum alium his addi volumus, quem aiunt parœciæ *chronicon:* hoc est perbreves rerum parochialium annales, cauto ne ulla quæ dedeceant inibi admisceantur.

355. Parochi de rebus deque sacra Ecclesiæ supelle-

(1) Vide instantius in Conc. Prov. I, 2, p. 80; Conc. Pr. IV, 3, p. 431 et *Monit.* p. 458.

(2) Conc. Trid., sess. 24 *de ref. matr.* c. 1 et 2: et Rit. Rom. Bened. XIV in fine.

(3) Conc. Pr. I, 2, p. 78; A. E. M. Decr. Vis. Ap., p. 1192.

ctili maximam curam habeant: indicem conficiant seu inventarium rerum omnium suæ Ecclesiæ mobilium, deque eo duo scribant exemplaria: alterum apud se perpetuo teneant, illique inscribant additamenta et commutationes quæ identidem fiunt; cura vero peculiari, ut par est, notent opera arte et antiquitate pretiosa. Omnia autem vasa sacra, sacras vestes, ornamenta aut alia quælibet, quæ ab aliquo Parocho defuncto in usum Ecclesiæ fuerint comparata, hæc omnia declaramus et decernimus parochiali Ecclesiæ cedere debere (1); neque ab hæredibus repeti posse, nisi certis documentis aut testibus fide dignis illud constiterit, defunctum (quod absit) noluisse res eas suæ Ecclesiæ donare.

356. Parochi sincero amore suos diligant Coadiutores: ne eos nimiis onorent officiis, neque negligant: benigne moneant et, quum opus sit, imperitæ ætati auxilientur: fraternâ semper prosequantur charitate, nunquam vero æmulâ invidiâ: verbo et exemplo ad sacra excitent excolenda studia et ad sua munia diligenter obeunda: semel aut bis in mense, ut monuimus (2), eos ad concionandum exerceant. Si quos vero alios in parœcia Parochi habeant sacerdotes; hos omnes, debito honore prosequantur. Suis denique, qui in spem Ecclesiæ crescunt, iunioribus clericis Parochus semper auxilietur et adsit diligentiori paternâ curâ: et moneat Episcopum, quidquid de clero suo utiliter compererit esse monendum (3).

357. Illud quoque maxime commendatur, quod in magnam cesserit fidelium ædificationem, ut viciniores Parochi iunctiores in Domino et quasi cor unum et anima una inter

(1) Cfr. Pius PP. V Const. *Romani Pontificis* 30 aug. 1567.

(2) Cfr. litt. Archiep. at EE. Prov. 4 nov. 1891, p. 11; et 15 aug. 1901, *not.* 12: v. retro n. 20.

(3) Conc. Prov. I, 2, p. 64-65, et p. 78.

se vivant. Neque culpa aut offensio levis existimanda erit, si quando ad solemniora parœciarum festa, atque forte etiam ad funebria, alios contingat invitari Parochos vel sacerdotes, iis omissis qui viciniores sunt et de more invitantur. Si qui non obtemperaverint, Episcopi, ut par est, animadvertant, sacras illis facultates præcipue extra parœciam limitando.

358. Coadiutores Parochum suum, ut par est, revereantur, eique obedientes se gerant. Si quid ab eo se gravari putent, ne unquam in vulgus obloquantur, sed molestiora sua gravamina deferant ad Episcopum, omnium patrem. Memoriter teneant Coadiutores, se etiam residentiæ lege obligari (1). Ipsis ergo ne liceat, inscio Parocho, vel contra eius voluntatem a parœcia discedere: quum vero debitâ licentiâ et iustâ de causâ abesse contigerit, de Parochi consensu provideant alios qui suppleant. Illud etiam meminerint quod, quum animarum cura præcipue Parochorum sit, nihil ipsis novi quidquam faciendum est, Parocho nesciente aut dissentiente.

359. Defuncto Parocho, Vicarius seu Œconomus spiritualis ab Episcopo deputatus parœciam gerat. Nil ipse innovet, nisi de Episcopi consilio: illudque sibi maxime proponat, ut Parocho ab Episcopo deligendo faciliorem viam sternat. In quam rem primo quidem « fideles parochiæ incolas sæpe hortetur, ut omni animi pietate a Deo Rectorem precentur, qui illius Ecclesiæ curationem recte gerere possit » (2). Deinde vero diligentissime caveat a quarumque partium studio, imo de hac ipsa re graviter moneat fideles. Edicimus ergo ut de suggestu Vicarius spiritualis unâ saltem aut, si opus fuerit, pluribus vicibus moneat Parochianos

(1) V. retro iura n. 342: Cfr. Conc. Prov. I, 2, p. 77; et Conc. Prov. IV, 2, p. 414-415; et Conc. Prov. V, 3, p. 671.

(2) Conc. Prov. II, 2, p. 183-184.

de magno crimine, quod est in impedienda atque adversanda Ecclesiæ libertate, in electionibus atque officiorum seu beneficiorum collationibus: itemque moneat de censuris (1) hac in re latis. Quæ omnia denuntiari iubemus iuxta formulam, quam damus in Appendice (2). — (V. App. XIX).

CAPUT VII.

De Seminariis Clericorum.

360. Persuasum habemus nihil in administratione Episcopali esse, quod curam nostram sollicitam et operosam æque postulet quam Seminarium, in quo totam spem salutis et profectus animarum, de quibus Summo Pastori Christo rationem reddituri sumus, positam esse constat (3). Sit igitur potior pars diligentiarum Nostrarum de Seminariis sacris rite ordinandis moderandisque, ut pariter integritate doctrinæ et morum sanctitate floreant (4): eaque ipsa Seminaria veluti cordis Nostri delicias habeamus, et tanquam pupillam oculi custodiamus, nihil plane ad eius utilitatem omittentes, præcipue quod est a Tridentina Synodo constitutum: illud maxime in exemplum habentes, quantis undique curis hic apud nos erigenda et constituenda (5) curaverit Seminaria S. Carolus noster, cleri lumen et Seminariorum Patronus (6).

361. Summa prudentia et vigilantia opus est in novis

(1) Pius IX, *Apostolicæ Sedis*, an. 1869, c. 1, n. 6.

(2) Cfr. litt. Arch. et EE. Prov. Med., 6 ian. 1896, *not.* III, *b*).

(3) Cfr. Instruct. Leonis XIII, ad Hung., *de discipl. eccles.*, 28 maii 1896.

(4) Pius PP. X *E supremi* 4 oct. 1903.

(5) Cfr. C. Pr. I, 2 *De sem.* p. 56; C. Pr. II, 2 d. 25, p. 186; C. Pr. V, 3 *De sem.* p. 632; *Institutiones* in vol. 3, p. 93.

(6) Leo XIII *Alacritas* 18 ian. 1885.

alumnis Seminario adscribendis. Quare videant Episcopi ut ii tantum excipiantur, legitimo seu probato matrimonio nati, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros: quod profecto sperare licebit, quum exhibeantur adolescentes facili ingenio, vitæ integritate, pietatis studio et quadam ad statum Ecclesiasticum propensione per testimonia tum parochi tum etiam aliorum satis commendati (1).

362. Deligantur alumni, quantum fieri poterit, parentibus orti probis ac piis, quorum, vel in ipsa paupertate, christiana nobilitas religionis successione sit venerabilis (2): ditiores alumni suis alantur impendiis: cœteris vero, non tamen prioribus eorum tirocinii annis, nisi aliud ipsa res suadeat e charitatis subsidiis seminarium quantum poterit providebit.

363. Quum adolescentes clerici spes sunt et velut inchoata forma sacerdotum, in iis maxime evigilent cogitationes et curæ Episcopi (3). Primo quidem cogitent de iis eligendis ac costituendis disciplinæ Rectoribus ac Magistris pietatis, qui prudentia, consilio, rerum usu præ cœteris et coram omnibus commendentur (4), qui apte et sedulo valeant præparare ad famulandum non indigne Deo et Ecclesiæ. « Curarum enim hæc prima sunto, ut Christum formemus in iis, qui formando in cœteris Christo, officio muneris destinantur » (5).

364. Litteris ac scientiis tradendis eos viros præficiant Episcopi, in quibus doctrinæ sanitas cum innocentia morum coniuncta sit, ut in re tanti momenti iure optimo confidere

(1) Conc. Trid. 23 *de ref.* 18.

(2) Conc. Ravenn. 1855 in Coll. Lac. t. 6, p. 201.

(3) Leo XIII Enc. *Quod multum* 22 aug. 1886.

(4) Cfr. Enc. ut supra.

(5) Pius X, *E. supremi* 4 oct 1903.

possint (1): viri sint undequaque spectabiles, magno ardentes amore erga Ecclesiam atque Sedem Apostolicam, itemque præditi zelo et sagacia insurgentes contra fidem errores retegendi, tutamque viam ex opposito ostendendi.

365. Pro vitæ ratione in Seminariis moderanda, nihil erit potius quam sapientes Institutiones et regulas servari, quas tradidit S. Carolus. Unicuique igitur huius provinciæ Seminario præscribantur aut perficiantur Regulæ ab optimo illo exemplari depromptæ, quas per annum in frequentiori alumnorum conventu legi iubemus.

366. Omnia et singula pietatis opera atque exercitia, quæ tradita a maioribus sunt, et a S. Carolo sacrorum alumnis commendantur, iubemus omnino retineri. Præcipue autem spiritualis Moderator uberrimos, qui ex oratione mentali fructus existunt, sæpius illis proponat, omnique ratione ad illius amorem inflammare nitatur (2). Curet ut in clericis frequens et quotidiana Communio quam maxime promoveatur (3). Itemque « studeat in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriæ voluntatis abnegationem, veram obedientiam, paternam charitatem inserere. Internascentia opimorum beneficiorum vel divitiarum desideria salutaribus monitionibus extinguat, quoslibet etiam iis de rebus sermones prohibeat: solam denique illis Dei gloriam et animarum salutem procurandam esse doceat et expetendam (4) ».

367. Incrementa doctrinæ, quum sacræ, tum etiam profanæ in seminario curent Episcopi. Quum enim « in tanto ingeniorum cursu plura sunt sapienter et utiliter inventa,

(1) Leo XIII, Enc. ut supra.

(2) Cfr. A. E. M. vol. 3, *Instit. Sem*, *de off. conf.* p. 124.

(3) Cfr. S. C. C. *Decretum de Com. freq.* 20 dec. 1905, n. 7.

(4) A. E. M. ut supra p. 127.

quæ minus decet non habere perspecta: præsertim quum homines impii quidquid incrementi dies affert, tamquam nova tela in veritates divinitus traditas consueverint intorquere; danda opera est, quantum potest, ut sacrorum alumna iuventus, non modo sit ab investigatione naturæ instructior, sed etiam iis artibus apprime erudita, quæ cum sacrarum Litterarum vel auctoritate vel interpretatione cognationem habeant » (1). Ea de re, collatis olim consiliis, clericalium studiorum iam edidimus methodum (2), atque iterum edemus, omnibus quidem communem, singulis tamen diœcesibus paulo attemperandam. — Ex indicto autem nuper Summi Pontificis præcepto clerici interdicuntur ab ullis in Seminario legendis diariis ac periodicis libellis, exceptis iis e periodicis, quos pro recto catholicarum rerum sensu et præstantis doctrinæ laude alumnis utiles Episcopus existimaverit (3). — (V. Append. XX).

358. Philosophiæ christianæ summopere in seminariis incumbendum est: atque id religiosissime ad S. Thomæ Aquinatis mentem et iterata sæpius Apostolica iussa et monita. Omnibus autem in aperto est « fœcundam malorum causam, tum eorum quæ premunt, tum eorum quæ pertimescimus, in eo consistere, quod prava scita e scholis philosophorum profecta, in omnes societatis ordines irrepserint » (4): quum contra S. Thomæ doctrina veridica et catholica (5) semper habita est; atque « ita excepta canonice... ut qui eam tenuerit, nunquam inveniatur a veritatis tramite deviasse; et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus » (6).

(1) Leo XIII Encycl. ad Ep. Italiæ 15 febr. 1882.

(2) Litt. Archiep. et EE. Prov. Med. 6 ian. 1896, *notif. I.*

(3) Pius PP. X Enc. *Pieni l'animo* 23 iul. 1906.

(4) Leo XIII, Encycl. *Æterni Patris* 4 aug. 1879.

(5) Ib. seqq. testim. Urbani V.

(6) Ib. seqq. testim. Innocentii VI.

369. Scientiam fidei ac morum scholasticâ excoli methodo optamus et iubemus, quin tamen theologia positiva prætermittatur. Quum vero sacræ Scripturæ usus in alias fluat res theologicas et omnium anima sit, districte præcipimus ut, reiecta nova illa *falsi nominis arte critica,* qua omnia veteris et novi testamenti documenta, præsertimque origines Ecclesiæ, ad libita cuiusque trahuntur (1), reiectis item ut iam monuimus *novæ* illius *liberæ scientiæ* placitis (2), quæ divinam ipsam librorum veritatem late undique convellunt; alio ne doceatur modo, quam a Patribus tradito, a Vaticano Concilio declarato, et recenti Pii PP. X decreto in Seminariis et ecclesiasticis Academiis præscripto ac præfinito (3).

370. Quicumque sacras aut etiam profanas in seminariis tradunt disciplinas atque artes, ne in docendo multa ore dictent, atque alumnos, ipsis dictantibus, scribere cogant; sed de singulis disciplinis idonei habeantur libri seu textus, quos Episcopi probaverint. Elementa theologiæ moralis atque dogmaticæ, iuris canonici atque biblicæ disciplinæ, ipsa etiam doctrinæ philosophicæ elementa, sermone latino tradantur: quam quidem linguam nedum clericalis decor atque evidens utilitas, sed ipsa Ecclesiæ necessitas a sacerdotibus callendam omnino postulat. Ne tamen vetitum sit ad cumulatiorem errorum refutationem et fidei defensionem, de coævis fallaciis vulgari eloquio sobrie disputare.

371. Illud maxime præ oculis habeant, quotquot sunt in Seminario Præceptores classium inferiorum et superio-

(1) Pius P. X, *Iucunda sane* 12 mart. 1904.

(2) Leo XIII, *Providentissimus Deus,* 19 nov. 1893; Enc. *Depuis le jour,* 8 dec. 1899, etc.; Vide retro n 12.

(3) Pius PP. X, *Quoniam in re biblica*, 27 mart. 1906.

rum, se ex officio suo non tam litteris atque doctrinis erudire pueros, quam *moribus dignos instituere clericos* (1), *atque utiles in vineam Domini operarios præparare*. Quare pro sui muneris opportunitate, spiritum vere ecclesiasticum, fervens studium gloriæ Dei et animarum salutis, amorem erga Ecclesiam in discipulorum animis suaviter insinuent.

372. Seminarii Moderatores et Magistros vehementer in Domino obtestamur, ut serio considerent quale onus ipsis incumbat; ex recta enim alumnorum institutione totius diœcesis bonum, Dei cultus et populorum salus vel maxime pendet. Statutas igitur regulas et studiorum rationem plene religioseque ab omnibus servari curent, et quoniam Sacerdotes debent omnia omnibus fieri, ut omnes Christo lucrifaciant, veræ et christianæ urbanitatis leges sæpius tradantur alumnis, quos exemplo suo Moderatores omnes et Magistri ad illas servandas excitabunt (2).

373. Magistri ac Moderatores Seminariorum subdantur ac sincere obsequantur Rectori suo, et cum eo atque inter se concorditer semper vivant, neve ullo unquam incongruo vitæ exemplo aliis ac præcipue suis alumnis noceant. Caveant a vanis conquestibus et querimoniis, caveant a spiritu inquirendi et malo iudicio percensendi quæ aliorum sunt, maxime Moderatorum confratrum vel ipsius Rectoris. Si quid forte molestum in Seminario fieri contingat, ne id edant atque pervulgent. Si quid male actum vel agendum compererint, cum omni christiana charitate ac prudentia ad Episcopum deferant, qui quoad possit, in Domino prospiciat.

374. Autumnales ferias optamus in illum imminui dierum numerum, qui in Institutionibus S. Caroli præfinitus

(1) Conf Inst. sem. pat a. B. Barbarico ed. part. 4 c. 15.

(2) Cfr. Conc. Plen. Amer. n. 629.

olim est (1). Quod quidem, quum de omnibus, tum etiam de iis præcipue, qui sacris disciplinis incumbunt, intelligi volumus. Quamdiu tamen difficile factu id videatur, quo meliori potest modo, invigilari et custodia iuvari clericos iubemus. Eaque cura traditur Parochis, non quidem perfunctorie, sed sub sanctæ obedientiæ vinculo et oneratâ eorum conscientiâ.

375. Pro clericis militari servitio obnoxiis (de quo sane dolemus) præ oculis habeantur ac serventur sapientes Sanctæ Sedis instructiones (2). Clerico cuique abeunti dabitur libellus eo quidem fine, tum ut habeat ob oculos præcipua recte vivendi monita, tum ut commendetur Ordinariis locorum, in quibus degere contigerit, atque etiam ut scriptas de suis moribus deque susceptis sacramentis testificationes ad suum Episcopum referat (3).

376. Dimittendus est a seminario qui certa vocationis signa non præbeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum ordinem requisitis non videatur instructus. Quod autem alias edicebamus, renovamus nunc et confirmamus etiam ex nuperis S. Sedis declarationibus, nullum sane clericum ab uno quovis seminario dimissum, ab alio quovis Episcopo esse recipiendum: verum ipsi seminariorum aditum esse præclusum (4). — (V. Append. XXI).

377. Dimissi ex aliquo instituto religioso ne in Seminarium admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a Moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de

(1) A. E. M. in vol. 3, p. 107.

(2) *Instructio* S. O. *Suprema* etc., 16 sept. 1875 : Cfr. etiam subsequentes declar. non paucas, exg. C. S. O. 31 aug. 1904; S. C. C. de expostulandis litt. testimonialibus 13 mai 1899, 15 apr. 1597, 26 ian. 1895, 19 sept. 893 etc.

(3) V. retro n. 154.

(4) S. C. C. 22 dec. 1905: v. retro n. 152.

moribus, indole et ingenio dimissorum, itemque constiterit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat (1).

CAPUT VIII.

De vita et honestate Clericorum.

378. In communem tum cleri tum populi utilitatem vergunt, quæ ab ineunte Ecclesia et per sæcula deinceps latæ sunt *de vita et honestate clericorum* leges (2). Atque ipse Pius PP. X monet ad instaurandum Christi regnum, nihil esse tam necessarium quam cleri sanctitatem: vetus est enim adagium: *sicut sacerdos sic populus* (3). Viri itaque Ecclesiastici, qui non modo de angelico quotidie pascuntur convivio, sed præclaræ etiam Divinæ Maiestati *panem sanctum vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ,* Christi gerentes personam, offerunt, præ aliis etiam, congruos gerant Christi mores, et *exemplum fidelium sint in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* (4).

379. Nunquam a virorum Ecclesiasticorum mente illud excidat Apostolorum *Nos orationi et ministerio verbi instantes erimus:* ex quo satis colligitur orationem ministerio esse anteferendam (5): atque ideo S. Bernardus tribus

(1) Ut supra.

(2) Vide D. 33-35; D. 41-44 et seqq.; D. 91-92; C. 12, q. 1; C. 21, q. 4 etc. etc. Et in iure tit. *De vita et honestate clericorum, de cohabit. cler. et mul., de celebr missæ et div. off.* etc. etc : Cfr. etiam Conc. Pr. I *de vita et hon.* p. 63, *de cler. vest.* p. 70; Conc. Pr. III *de hiis quæ partim* etc. p. 249; Conc. Pr. IV *De vita et hon.* p. 428; Conc. Pr. V *quæ ad cler.* p. 657; Conc. Pr. VI *quæ ad cler.* p. 746; Conc. Pr. VII in vol. 4, *de vita* etc. p. 371.

(3) Epist ad Card. Vic. 5 maii 1904.

(4) I. Tim. 4, 12,

(5) Cfr. litt. Archiep. et EE. Pr. Med. litt. 1891, p. 5.

vult populum a sacerdotibus pasci: verbo, exemplo et sanctarum fructu orationum: illudque concludit « maior his est oratio; nam etsi vocis virtus sit opus, et operi tamen et voci gratiam efficaciamque promeretur oratio (1). » Quod ergo « divinum officium, nocturnum pariter et diurnum, districte præcipitur in virtute obedientiæ (2), » additâ quoque violatoribus gravi pœnâ (3), nemo prætermittere audeat; sed qua par est, pietate et gravitate recitetur, munus enim Angelorum est divinas laudes celebrare: qui vero ut eas canant, in Ecclesiam conveniunt, videant ut disciplina chori plena religionis sit: non cursim aut perturbate recitent, sed leniter, distincte ac studiose, atque animi meditatio exteriorem cultum sequatur (4). Quare illi etiam sunt improbandi, qui sacris vestibus induti, dum ministrant sacerdoti ad altare sacra facienti, privatim horas recitant canonicas.

380. Vehementer omnes cohortamur in Domino ut mentali orationi quotidie insistant, quâ nulla magis est idonea præparatio priusquam verbi Dei prædicationem aut sacramentales fidelium confessiones audiendi munus sacerdos aggrediatur (5).

381. Quod iam ab Apostolica Sede pluries est commendatum et in dies amplius urgeri pergit (6), sub gravi nunc præcipimus, ut novensiles sacerdotes quotannis per quinquennium a sua ordinatione; alios autem, nemine excepto,

(1) Ep. 201 ad Bald. abb.; M. t. 182, p. 370.

(2) X 1. III. t. 41, c. 9.

(3) Conc. Lat. V sect. 9 *statuimus*; et Const. Pii V, *Ex proximo*, 20 sept. 1571.

(4) Cfr. Conc. Prov. I, 2, pag. 101; et C. Pr. V. 3, p. 665-66.

(5) Cfr. litt. Arch. et EE. ut supra.

(6) Cfr. litt. Arch. et EE. ut supra p. 6: cfr. Epis. Pii PP. X ad Card. Vic. *Experiendo*, 27 dec. 1904: cfr. Leo XIII *fra le molteplici* 18 dec. 1889: Pius P. IX *qui pluribus* 9 nov. 1846: S. C. EE. et RR. 1 febr. 1710 etc.

tertio *saltem* quoque anno, in aliquam se recolligant ad hoc institutam domum, exercitia spiritualia per hebdomadæ spatium peracturi: atque id quidem in propria, vel, de consensu Episcopi sui, in aliena diœcesi. Diximus *saltem;* vehementer enim hortamur omnes, ut ea exercitia semel in biennio, aut etiam singulis annis obeant.

382. Sacerdotes, ii præsertim qui loco viciniores sunt, unâ simul menstruæ se recipere spirituali recollectioni summopere laudamus et optamus. Singulis hebdomadis, quo puriores ad rem divinam faciendam accedant, curent ut peccata sua confiteantur (1): illud vero meminerint, quod et Synodus Tridentina statuit et omnis ecclesiastica consuetudo declarat, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad SS. Eucharistiam debeat accedere (2).

383. « Habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferant » (3). Omnem fugiant habitus et ornamenti novitatem: tonsura conspicua sit omnibus (4): Talari veste coloris nigri et collari probatæ formæ semper utantur, etiam in itinere. Vestes ac pileos moris novi ac fere laicalis nuper alicubi inductos prorsus interdicimus, et pileos Romani moris omnino iubèmus adhiberi (5).

384. Cuiuscumque ordinis ac dignitatis sint, modesta supellectili utantur. Ne avaritiæ, ne prodigalitatis vitio laborent. Nullo modo, neque ad aliorum sublevandam, præsertim propinquorum paupertatem, aere alieno se gravent, ne iustitia aut sacerdotum fama periclitetur. Quod autem

(1) Conc. Prov. I, *q. pert. ad cel. Miss.*, p. 49.

(2) Conc. Trid. sess. 13, cap. 7 et can. 11.

(3) C. Trid. sess. 22 *de ref.* 1.

(4) Cfr. C. Pr. I, p. 69-70.

(5) Cfr. litt. Arch. et EE. P. Med. 6 ian. 1896: *notif. II. a*).

de Parochis iam statuimus, iterum de aliis sacerdotibus edicimus, ut in canonicis domibus neminem propinquum aut amicum stabili habeant contubernio, nisi licentiam obtinuerint ab Episcopo (1): intollerabile enim est, sacerdotales utcumque domos converti in diversoria propinquorum aut amicorum.

385. Quum clericis canonica lege vetitum sit ad famulandum cohabitantes habere mulieres, « nisi idoneæ personæ sint et fugiant suspiciones » (2), hoc est, nedum pietate, honestate, prudentia præstent, sed etiam quadraginta saltem annorum ætatem attigerint (3): quum vero ea lex a nonnullis non raro parvipendi videatur, in virtute sanctæ obedientiæ omnibus et singulis ecclesiasticis viris edicimus et præcipimus, ut eadem mordicus observetur. Si qua forte vero personalis exceptio indulgenda est, nulla sit, nisi de expressa et scripto data Episcopi licentia: quæ tamen ad annum tantum dari poterit. Debitam autem pro famulatu mercedem, indicto a Diœcesanis constitutionibus tempore omnino solvant.

386. Nulla clericis sit, nisi cum probo et honesto viro consuetudo. Verum nimiæ semper laicorum, quamvis probi videantur, familiaritates vitentur. Omnes autem cum piis quibusque mulieribus familiaritates longe procul fugiantur. Neque clerici ullas unquam mulieres doceant, nisi id permissum fuerit Episcopi facultate scripto data (4).

387. Ab ea omnino abstineant venatione, quæ aliquo modo indecora sit aut productior, aut suo fungendo muneri

(1) Cfr. litt. Arch. et EE. Prov. Med. 16 aug. 1901, *notificaz.* n. 2. Confr. C. Pr. I *de clerical. æd.* p. 71; et C. Pr. VII in v. 4. *De vita et hon.* p. 372: vide retro n. 351.

(2) D. 32, c. 16; et X, I. 3, t. 2.

(3) Cfr. Benedictum XIV *Inst.* 82 et 83, et *De Syn.* 11, 4, 4.

(4) Conc. Pr. II, 2, p. 189.

obsit. A ludis omnibus indecoris abstineant; præcipue publicis, in quibus admirationi seu scandalo fidelibus erunt. Nullo autem pretextu, exercendæ etiam beneficentiæ aut habendorum quorumcumque conventuum, ullibi audeant publica adire theatra, aut ullis, privatis quoque, interesse choreis, sub pœna ab Episcopo decernenda.

388. Interdicitur clericis quominus illis circumeant vehiculis, quibus nomen faciunt *bicicletta, motocicletta* et similibus: id enim indecorum est et noxium disciplinæ (1). Ne quis tabernas vinarias, cauponias aut alias eius generis, præsertim in sua adeat parœcia. Si vero itineris causa aliquo divertendum sit, honesta et decora deligantur hospitia.

389. Quod alias pluries monuimus, iterum iterumque iubemus, ne prava ullo modo diaria vel folia periodica a sacerdotibus acquirantur, aut domi, gratis etiam data, habeantur. Indignum est eadem coemendo fovere vel publice legere: crimen autem est illis scribendis operam dare. Declarantur ephemerides pravæ, non solum quotquot sacrosancta dogmata oppugnant, aut christianam virtutem contemptui habeant, sed etiam quotquot Apostolicæ Sedi atque Episcopis consulto adversantur, seu etiam obtrectant, atque a debito erga religionem et Ecclesiam obsequio utcumque deficiunt (2).

390. Suo vel alieno nomine mercari seu lucrari, sæcularibus quibusvis se miscere negotiis, Clerici vetantur: sub gravibus pœnis in iure latis atque aliis arbitrio Ordinarii imponendis (3). Clericis omnibus speciatim vetamus negotiationem quæ fit per syngraphas publici valoris, aut, quod

(1) Cfr. litt Arch. et EE. Pr. Med. 16 aug. 1901, n. 6; et S. C. EE. et RR. 28 sept. 1898.

(2) Cfr. litt. Archiep. ut supra n. 7; et 6 ian. 1896 *notif. II, c)*; et 4 nov. 1891, p. 5.

(3) Conc. Trid. sess. 22 *de ref.* 1: et X, l. 3, t. 50; et in 6° l. 3, t. 24: Conc. Pr. I *de negot.* p. 73 etc.

peius est, per litteras campsorias (*cambiali per debito o per avallo*), quibus ne liceat ulli clerico quovis prætextu subscribere. Neque solum de vitanda negotiatione monemus, sed illud etiam edicimus, ne Clerici per nundinas vagentur cum stupore et scandalo populi (1). Ne in ipsis quidem catholicis consociationibus, arcarii munere Clerici fungantur, aut illis præsideant, quum rebus tantum œconomicis intendant, nisi de Episcopi licentia (2).

391. Meminerint qui ecclesiastica beneficia obtinent, ea quæ de congrua sibi sacerdotali sustentatione supersunt, in pios usus esse convertenda. Sacrorum enim canonum decretis statutum est: quæ bona fidelium pietas consecravit, ea addicta esse vel illorum necessitatibus sublevandis qui Christi sunt ministri et dispensatores mysteriorum Dei, vel ecclesiis reficiendis, vel pauperibus sustentandis: nefas autem esse in alios quam in sacrum et pium usum, eorum fructus converti (3). Caveant igitur, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant. Res autem Ecclesiæ non distrahant nec dissipent illorum causa: imo, quam maxime potest, omnem humanum erga propinquos carnis affectum deponant. (4). Ne ergo in altiorem statum, quam fuit antea, propinquos suos extollant.

392. Illud etiam, quod fertur Augustini nomine, meminerint diligenter: « fac testamentum, dum sanus es, dum tuus es: in infirmitate positus, blanditiis aut minis ducêris quo tu non vis ». Reprobamus eos, qui hæredi suo, sæculari viro, res aut supellectilem sacram tradunt ac relin-

(1) Cfr litt. Archiep. et Ep. Pr. Med. 6 ian 1896. *Notif.* II. *b)*.

(2) Cfr. ut supra, 16 aug. 1901, n. 8.

(3) Conc Prov. I *q. pertinent ad bon.* p. 116.

(4) Conc. Trid. 25 *de ref.* 1.

quunt, aut forte etiam sacerdotalia scripta, vel missas de gravissimis rebus hinc inde litteras (1). Illud ergo provideat sacerdos quisque, suum testamentum nuncupans, ut aliquis semper de confratribus, quatenus prudenter fieri possit, curator testamenti scribatur (2).

393. Nemo de clero civilia quælibet vel publica vel privata officia assumat aut admittat gerenda absque Episcopi consensu, ut tutoris, curatoris et similia (3): eoque magis absque Apostolicæ Sedis licentia, quum hæc de iure requiratur. Prohibentur omnia quæ indecora sunt, aut obsint sacerdotali officio apte adimplendo: atque ideo nullo prorsus modo, qui ad sanandas vocantur animas, quidpiam ausint de medica arte ad sananda corpora experiri. Ipsa vero ecclesiastica officia, non solum nemo obeunda aggrediatur vel admittat nisi de Episcopi consensu, sed etiam, Episcopo inconsulto, nullo modo deserat aut ab illis se abdicet (4).

394. Quo aptius ecclesiasticæ disciplinæ prospiciatur, nemo sacerdos in diœcesi sit, quin certæ alicui Ecclesiæ adscribatur (5). Curentur ad præscriptum Apostolicæ Sedis excardinationis formæ et leges (6). Curent item Episcopi ut in unaquaque Curia peculiaris instituatur Congregatio, seu Commissio de Cleri disciplina.

(1) Vide retro n. 335.

(2) Cfr. litt. Arch. et EE. P. Med. 10 aug. 1901, n. 9.

(3) Conc. Prov. I, *De negotiis*, p. 73 etc.; Conc. Prov. VII in vol. 4, *De missis*, p. 358. Cfr. X. 1. III. t. 50. etc. etc.

(4) Conc. Prov. VII in vol. 4, *De vita et hon.* p. 372.

(5) Conc. Prov. II, decr. 24, p. 176; Conc. Pr. VII ut supra.

(6) Vide retro n. 151 et 152.

CAPUT IX.

De Studiis et Conventibus Cleri.

395. Vitæ honestati rerum scientiam Clerici adiiciant secundum illud antiquitus traditum: — tam doctrinâ quam vitâ clarere debet ecclesiasticus doctor; nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit. Duo hæc nobis necessaria sunt; alterum propter nos, alterum propter proximum. — In eam rem Pius PP. X. monet: « In sacerdote ad vitæ sanctimoniam debere scientiam adiici, quis negat? *Labia... sacerdotis custodient scientiam:* atque illam severissime Ecclesia requirit in iis, qui sint sacerdotio initiandi. Quorsum id? Quia ab eis divinæ legis notitiam christiana plebs expectat... *Et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est* (1) ».

396. Sacerdotes novensiles, quatuor primis annis ab emenso theologiæ cursu, nova faciant quotannis pericula de singulis, quas didicerint, disciplinis: eo ipso ordine et rerum argumento, quo in Seminario, quadriennio antea, instituti sunt: omissis forte aut etiam immutatis quibusdam, quæ videantur Episcopo. Ab illo onere semel eximatur qui parochialem eo ipso anno adiverit concursum, et in eo probatus fuerit: atque item si quem alium certis de causis censuerit Episcopus. Si quis autem aut Episcopo vocanti renuerit, aut insufficiens specimen dederit; mulctetur onere redeundi tot insequentibus annis, quot defecerit, aut aliâ mulctetur æquâ pro Episcopi iudicio pœnâ (2).

397. Quidquid temporis vacuum habent ecclesiastici, in lege Domini meditentur, et sacrarum litterarum studia

(1) Encycl. *Acerbo nimis*, 25 apr. 1905.

(2) Cfr. litt. Arch. et EE. Pr. Med. ad Ven. Cl. 4 nov. 1891, p. 3.

diligentius colant (1). Compertum enim est, tradi in seminario non exigua theologicarum rerum elementa et documenta: longe tamen abest, ut omnia vel edoceri vel enodari possint. Prout ergo ingenium cuiusque tulerit, aut rerum opportunitas, aut utilior animarum cura, singuli ecclesiastici peculiarem aliquam sibi deligant et excolant theologicam doctrinam; aut erroribus novis refellendis et novis disputationibus enodandis intendant, aut de sacra doctrina quæ magis sunt usui, pro suo delibent sacerdotali ministerio: cautis quæ cavenda monuimus, præcipue in re biblica et philosophica.

398. Universa studia ecclesiastica omnes simul, quoad possunt, excolant ac provehant; quorum quidem præcipua capita hæc semper erunt: — *Sacra Biblia* cum probatis commentariis, quo in ipso scripto fonte verbum Dei possit cognosci; — *Theologia positiva,* ut veritates fidei ex revelationis fontibus et idoneis historiæ testimoniis uberius cognoscantur, adserantur et vindicentur; — *Theologia speculativa,* quæ tamquam a principiis progrediens, a prioribus veritatibus consectarias alias concludit, easque omnes bene perpendendo et inter se comparando, fidem ipsam illustrat ac roborat, eiusque cum ratione concordiam evincit; — *Moralis* quæ tota est ad bonos efformandos mores; — *Ascetica* quæ est ad perfectiorem vitæ rationem curandam atque edocendam.

399. *Iuris Canonici* disciplina arctissimo iungitur nexu cum omni sacra doctrina. Tum vero vitia devitantur, virtutes coluntur, quum debitus tribuitur honor Ecclesiæ legi, neque ignoratur quo sensu sit lata, quo fine, quibus adiunctis. — *Civilis* quoque *Iurisprudentia* sane est attingenda, non solum pro vitæ necessitatibus, sed etiam pro suo exteriori nexu cum re religiosa. — Quoniam vero « hostilia

(1) Cfr. Conc. Prov IV, p. 456.

tela potissimum ab historia peti solent, oportet ut æquis armis congrediatur Ecclesia » (1); quare valde optandum est, ut *Historiæ Ecclesiasticæ* studio sacerdotes impensius incumbant.

400. Illud etiam, Pii PP. X exemplo permoti, æquum ducimus, ut primas partes iis deferamus qui « proxime animarum utilitatibus se dedant, eorum procuratione munerum, quæ sacerdotem deceant divinæ gloriæ studiosum » (2). Hortamur ergo et vehementer incitamus eos qui in cura animarum sunt, ut ad prædicandum verbum Dei, accuratius sacram *eloquentiam* colant, non quidem in vaniloquiis, sed in omni sacra et revelata scientia, *non in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et plenitudine multa* (3).

401. Profanas coli disciplinas, rerum etiam œconomicarum vel, ut nunc aiunt, socialium, optime factum, imo necessarium arbitramur; non tamen æque ab omnibus, sed paulo impensius a delectis ecclesiasticis viris, sana quidem doctrina præditis. — Studia item litterarum nedum pro apta puerorum institutione excolenda sunt, sed eo quoque consilio ut « possit clerus in muneribus officiisque suis cum ea, qua par est, dignitate atque utilitate versari (4) ».

402. Quotiescumque Ecclesiasticos nostros ad civiles Universitates mittere contigerit, Apostolicæ Sedis de ea re monita et leges omnino servanda esse decernimus. Quarum summa potior hæc est: ut nemo e sæculari clero eas frequentet absque expressa licentia Episcopi sui; ut eas frequentandi nulla venia detur alumnis, antequam laudabiliter absolverint integrum tum philosophiæ tum

(1) Leo XIII, *De studiis historicis*, 18 aug. 1883.
(2) Pius PP. X, *E supremi*, 4 oct 1903.
(3) 1 Tess. 1, 5; et PP. Leo XIII, *Providentissimus Deus* 18 nov. 1893.
(4) Leo XIII Epist., *De studiis litt.*, 20 maii 1885.

theologiæ cursum; ut quamdiu Universitatem celebrant, morentur in seminario; ut vacationum tempore sanctis incumbant spiritualibus exercitiis (1).

403. Quod iam pridem monuimus (2), præcipimus districte, ut stato tempore Cleri Congregationes habeantur et in civitate et in diœcesi: Episcopo autem annua relatio exhibeatur, ut dignosci valeat, qua frequentia celebrentur conventus, et quinam fructus exinde ferantur (3).

404. Qui novi inducuntur conventus, vel circuli sub nomine *culturæ ecclesiasticæ,* probantur et commendantur, quum ab Episcopo datis aut approbatis gubernentur regulis, et illis adsistat sacerdos ab Episcopo delegatus, qui rebus prospiciat bene regendis, deque omni re Episcopo referat. Si secus fiat, omnino prohibentur atque improbantur.

405. Alii conventus, seu circuli a laicis hominibus pro studiis et bonis artibus colendis instituti, ne frequententur a clericis, nisi de expressa Episcopi licentia. Omnino autem devitentur consociationes illæ quæ, aut bonos lædunt mores, aut ullo modo indecoræ sunt, ut quum mixtim utrique sexui pateant.

406. « Viri e sæculari clero ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant » (4). Ne ipse quidem Episcopus, cui forte exteræ diœcesis sacerdos librum aut libellum revidendum subiecerit, illum edi permittat, nisi antea Episcopum scriptoris exquisiverit (5).

(1) S. C. EE. et RR. 21 iulii 1896.

(2) V. retro n 336.

(3) Cfr. litt. Archiep et EE. Med. 4 nov. 1891, p. 3.

(4) Leo XIII, Const. *Officiorum et mun.* n. 42, die 25 ian. 1897: Archiep. et EE. Pr. M. 4 nov. 1891, p. 3.

(5) Archiep. et EE. Pr. ex ineditis 1901.

CAPUT X.

De Bonis Ecclesiasticis.

407. Catholicæ doctrinæ prorsus adversantur, qui Ecclesiæ Dei ea denegant iura (1), quæ cuique tribuuntur homini et quibusvis humanis societatibus: idest ius sibi acquirendi et comparandi temporalia bona, et libere in suos conferendi honestos usus, et ea pacifice possidendi. Clamat traditio tota christiana, ecclesiastica bona « res Dei esse, pecuniam Christi, vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonium pauperum » (2): eaque violare sacrilegium esse, de quo semper cautum, gravibus sub pœnis atque censuris (3).

408. Manifestum omnibus esse debet, supremam et perfectam ecclesiastica bona administrandi facultatem apud Romanum esse Pontificem. Episcoporum autem erit pro amplissima sua in singulis diœcesibus potestate, bonorum ecclesiasticorum procurationem gerere et vigilare. Quotquot ergo in diœcesi bonorum Ecclesiæ administratores sunt, nisi canonica probatur exceptio, Episcopi legibus subiiciuntur, atque illi de omni re administrata rationem reddere tenentur (4); quod quidem semel saltem quotannis fieri decernimus.

(1) Cfr. Pius PP. IX, Encycl. *Quanta cura*, 8 dec. 1864: Syllab. n. 19, 26, 27 etc.: Bulla Martini V et Decret. Conc. Const. contra Wiklef, n. 10, 16, 18, 32, 36 etc.: vide retro n. 293-95.

(2) Conc. Trid sess. 25 de ref. 1: X l. 3, t. 5, c. 16; C. 12, q. 2, c. 1 et 6; C. 16, q. 1, c. 59.

(3) Pius P. IX *Apostolicæ Sedis*, 18 oct. 1869, I § 11, 12, IV § 3: Bullæ Cœnæ: Conc. Trid. sess. 22 *de ref.* 11: Conc. Lat. V, sess. 9 et 10: C. 12, q. 2, c. 5 et 6 etc etc.

(4) Conc. Trid. 7 *de ref.* 15; et sess. 22, ref. 8, 9: Clem. l. 3, t. 11, c. 2; C. 10, q. 2, c. 2 seqq.; C. 12, q. 1, c. 23 seqq.

409. Quotquot ecclesiastica bona legitimo aliquo titulo possident atque administrant, sedulam de illis curam gerant. Omnia et singula administrent ad normam iuris, tum universæ Ecclesiæ, tum in singulis diœcesibus constituti, tum etiam iuxta modum demandatæ potestatis, præsertim quum gerenda erunt collegiorum bona. Qui beneficia possident, beneficialium suorum bonorum ordinariam habent administrationem: alii autem administratores a iure non exempti, ab Episcopo deputentur aut probentur et ab Episcopo possint amoveri.

410. Potiora fidelis administratoris officia hæc erunt: — Conficere inventarium bonorum omnium tam mobilium quam immobilium, quæ sunt administranda. — Item recognoscere, et in archivo apte ordinare et custodire documenta omnia quæ in administrando necessitati vel utilitati sunt: hoc est publicas omnes contractuum tabulas eorumque præcipua commentaria ac monita. — Item in ordinem digerere et, quo evidentiori poterit modo, scriptis libris dilucidas exhibere rationes de pecunia data et accepta (1).

411. Fidelis administrator in eo etiam erit, ut non modo Ecclesiæ bona tueatur et custodiat, sed quantum potest, augeat et in meliorem statum adducat. Iura dubia caute et sapienter defendantur: iura oblivione aut ignaviâ antea deperdita recuperari curentur. Ne tamen quis de ullo iure aut re ecclesiastica apud civiles iudices contendat sine expressa Episcopi licentia. Nullæ fiant supellectilis pretiosæ et sacrarum imaginum pictarum aut sculptarum cessiones et venditiones sine Episcopi consensu.

412. Nullæ item fiant alienationes rerum maiorum sine Apostolicæ Sedis venia (2), minorum autem rerum sine

(1) Conc. Prov. I *quæ pert. ad bon. et iur. eccl* p. 112, et alia loca quæ sunt in summario.

(2) Vide in iure *de rebus eccl. non alien.* et const. *Apostolicæ Sed.* IV, n. 3.

consensu Episcopi (1). Vetita bonorum Ecclesiæ alienatio censetur fieri non solum quum ius proprietatis in alios transmittitur, sed etiam quum in alios trasfertur quodlibet utile dominium, aut quum res Ecclesiæ periculo amissionis exponitur. Unde prohibentur non solum donationes, venditiones, permutationes bonorum sive mobilium sive immobilium, concessiones cuiuslibet novæ servitutis aut iuris, sed etiam oppignorationes, hypothecæ, conductiones et locationes ultra triennium (2). Speciali autem modo vetantur locari bona ecclesiastica in præiudicium successorum (3).

413. Illud præcipue de ecclesiasticis quibusque bonis, tum quæ ipsius Ecclesiæ sunt, tum quæ in eius tutelam pro piâ aliquâ causâ commissa sunt, accurate hodiedum monendum est: — nomina seu reditus ex omnibus publicis versuris, sive sint ex mutuata reipublicæ vel civitatibus pecunia, sine sint ex publicis societatibus atque operibus industriis aut mercatoriis *(valori publici, valori industriali)*, actiones, obligationes et similia, ferenti etiam cuique attributa *(titoli al portatore)*, nullo modo posse abalienari vel in alia commutari, absque Apostolicæ Sedis venia; quum etiam annui reditus inter immobilia a iure censeantur (4). Excipitur casus urgentis necessitatis, in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege, ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis. Qui secus fecerit, in pœnas incurret a Constitut. *Apostolicæ Sedis* et Extravag. *Ambitiosæ* latas: hoc est in excommunicationem latæ sententiæ (5).

(1) C. 12, q. 2, c. 53 *terrulas* etc.: S. C. C. 21 iul. 1827.

(2) X 1. III t 13, c. 5; et Extr. comm. 1. III. t. 4, *Ambitiosæ*.

(3) Conc. Trid. 25 *de ref.* c. 11.

(4) Clement. l V, t. 11, § *quumque*.

(5) S. C. C, 17 ian. 1906.

414. Primitiæ et decimæ, de quibus graviter cautum est a Concilio Tridentino (1), diligenter serventur, vel commutentur aut redimantur ex competenti Ecclesiastica auctoritate: quæ autem deperdita sunt, ad monitum et præscriptum Apostolicæ Sedis sedulo ac prudenter vindicentur. Vitanda sunt in iuribus Ecclesiæ revocandis iurgia atque odia et scandala (2); si oriantur difficultates, ad Episcopum recurrendum est.

415. Iura stolæ, quæ ab Ecclesia « piæ consuetudines » declarantur (3), religiose custodiantur: ita tamen ut etiam avaritiæ species fugiatur, et criminosæ simoniæ suspicio arceatur. Nullo enim modo, privato arbitrio ullæ taxæ sunt exigendæ: neque pauperibus sacra quælibet deneganda. Præfiniant ergo Episcopi, quæ taxæ solvi possint et debeant; iustum enim est, ut qui altari servit, de altari vivat (4).

416. Nullæ novæ collectæ fiant sine Episcopi præscripto aut licentia: neque sine illa in parochialibus aut aliis quibusque Ecclesiis vel sacellis, capsæ ullæ exponantur. Omnes autem eleemosynæ atque oblationes in intentionem offerentium et ad præscriptum Episcopi impendantur. Accurate autem scribantur oblationum reditus atque erogationes, et de iis quærenti Episcopo rationes ostendantur.

417. Præcipimus ut Parochus, pro iureiurando in actu collatæ Parœciæ præstito, intra annum ab adepta parochialis beneficii possessione, inventarium conficiat omnium beneficii et Ecclesiæ suæ iurium et bonorum, et tradat Episcopo. Idem ad certam formulam, sibi antea ab Episcopo exhibendam, conscribat indicem legatorum, quæ vel

(1) Conc. Trid. 25 *de ref.* 12.

(2) V. retro n. 295.

(3) X, l. 5, t. 3, c. 42.

(4) 1. Cor. 9. 13.

suo inhærent beneficio, vel sunt in Ecclesiæ patrimonio, vel ab aliis redeunt piis quibusque obventionibus. Idem in sacristia, *scripta palam* ponat *publica* onera missarum et aliarum in parochiali Ecclesia functionum.

418. Nullum dubium quin Episcoporum vigilantiæ atque regimini ipsæ piæ hæreditates et privata conscientiæ onera subiici debeant: quum ex Tridentina lege Episcopi « tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in casibus a iure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, sint executores;... ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant et exequantur » (1).

419. Episcopi constituant in sua diœcesi *Commissionem,* seu Consilium vigilantiæ, cuius officium erit, bona immobilia præcipue tueri, pactas locationes perpendere et vigilare, de publicis tabulis et syngraphis opportuna dare consilia, interrogationibus respondere, exhibitas rationes excutere, et alia similia.

420. Loca pia, hospitalia, orphanotrophia, montes pietatis, atque alia pia instituta, ab Ecclesia condita vel certe in eius tutelam olim recepta (2), dolendum est ab ipsius vigilantia nunc esse subducta, ibique vetari complura episcopalium iurium exercitia. Vehementer tamen hortamur et obsecramus in Domino eorum curatores, ut pia onera, si qua sunt, inviolate adimpleantur: sincere ibi pietas foveatur, ut æquum est: festi dies rite serventur: bonos mores et christianam doctrinam pueri doceantur. Nemini vero, præsertim de clericis, eorum locorum administrationem suscipere liceat, nisi præhabita Apostolicæ Sedis facultate (3).

(1) Sess. 22 *ref.* 8: Confr. X, l. 3, t. 26, c. 17 *tua* c. 19 *Ioannes.*

(2) Conc. Trid. 22 *de ref.* 8 et 9: Cfr. in iure *De Religionis domibus* præsertim Clem. *Contingit.*

(3) S. Pœnit., 19 sept. 1895, et die 24 dec. 1888.

CAPUT XI.

De Regularibus.

421. « Nemo certe ignorat Religiosas familias, vel a prima institutione innumeris claruisse viris: qui spectaculum facti mundo, Angelis et hominibus, nil aliud in deliciis habuere; quam omni cura in divinarum rerum meditatione dies noctesque hærere; mortificationem Iesu in suo corpore circumferre; catholicam fidem a solis ortu ad occasum propagare;... rudes barbarosque populos ab errorum tenebris ad evangelicæ veritatis lucem traducere; litteras, disciplinas, artes tueri atque ab interitu vindicare; teneras iuvenum mentes et cerea corda ad pietatem et honestatem mature fingere... Neque id satis: namque nullum est charitatis genus, quod cum propriæ etiam vitæ discrimine ipsi non exercuerint » (1). Religiosas itaque perimi ac disiici familias, arbitramur esse « non solum Ecclesiæ luctum, sed etiam calamitatem non levem, liberis civibus iniuriam, publicæ tranquillitati discrimen » (2).

422. De religiosis domibus huius nostræ Ecclesiasticæ Provinciæ, magnas Deo agimus gratias, quod ex illis greges nostri divites facti sint in omni verbo et scientia (3) et virtutum exemplo. Pergant qui apostolicam voverunt referre vitam, gravitate morum et operum præstantiâ honorificare ministerium suum (4). Pergant non solum observatione mandatorum, sed etiam consiliorum professione, propius quem delegerunt sequi Christum pauperem, nudum

(1) Pius P. IX Encycl ad ord. reg. *Ubi primum,* 17 iun. 1847.

(2) Leo XIII *Perlectæ,* 22 oct. 1880.

(3) Cfr. 1 Cor. 1, 5.

(4) Cfr. Rom. 11, 13.

et crucifixum. Qui enim Christo similiores sunt, et quibus vivere Christus est, quod ait Pius PP. X, hos maxime decet eius fungi sacerdotio, « non una sane potestatis communicatione sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem præferant » (1).

423. Concessa Regularibus privilegia et exemptionem libenter agnoscimus: quum præsertim eo consilio Romani Pontifices illam tribuerint, « quo melius esset incremento et profectioni religiosæ suæ conversationis consultum » (2); et percepta exinde utilitas « longâ sæculorum experientiâ et ipso hæreticorum et incredulorum odio sit comprobata » (3). Meminerint tamen eam exemptionem sic esse temperatam, « ut sarta tecta sit diœcesana disciplina; adeoque ut clerus regularis in multis subesse debeat episcopali potestati, sive ordinariæ sive delegatæ » (4).

424. Grave illud Apostolicæ Sedis iussum Regularibus revocamus: vetari sibi accessus et collocutiones ad monasteria Monialium quæ clausuram habeant, absque Episcopi licentia (5). Illud etiam Regulares meminerint, non licere sibi sacerdotem quemquam de sæculari clero ad celebrandum Missæ sacrificium in propriis Ecclesiis admittere, nisi antea noverint facultatem eos habere, tum ab Episcopo suo, tum ab Episcopo loci (6).

425. Religiosi omnes qui ad ecclesiasticos ordines promoveri petunt, ab eo antea examinandi sunt Episcopo a quo sunt ordinandi (7). — Si quæ vero parochiæ a Regu-

(1) Encycl. *E supremi*, 4 oct. 1903.

(2) Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices*, 3 maii 1881.

(3) Pius PP. VI *Quod aliquantulum* (Acta pro Gallia) 10 mart. 1791.

(4) Leo XIII ut supra.

(5) Bened. XIV, *Gravissimo animi dolore*, 31 oct. 1749.

(6) V. retro n. 201.

(7) Conc. Trid. sess. 23, c. 7, 12, 14, 15. Pius PP. X, *Motu proprio*, 19 mart. 1906.

laribus teneantur, Apostolicæ de ea re leges et decreta serventur, præcipue Constitutio Benedicti XIV de iurisdictione et visitatione Episcoporum (1).

426. Quotquot tam de clero sæculari quam de regulari vocati estis in militiam et castra Domini, uno ore honorificate Deum et Patrem D. N. Iesu Christi; ac perfecti in eodem sensu atque sententia, estote solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. — A vobis etiam atque etiam efflagitamus, ut arctissimæ charitatis fœdere, summaque animarum consensione, nihil antiquius habeatis, quam ut in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, consociatis studiis, vires omnes intendatis, atque æmulemini semper charismata meliora (2).

CAPUT XII.

De Sacrarum Virginum Familiis.

427. De virginibus Deo sacris maximam curam gerant Episcopi: tum quæ solemnia profitentes vota, strictiori clausuræ subiiciuntur et sanctæ contemplationi incumbunt; tum quæ simplicia tantum nuncupantes vota, sese multiplicibus christianæ misericordiæ operibus devovere contendunt. Omnes autem Moniales et Sorores pro pastorali nostra sollecitudine cum Ambrosio monemus ut meminerint se Ei nupsisse, cuius labia *myrrham* (3), hoc est crucem distillant, neque pascit quiescentes in nocte, sed in divino lumine meridiano.

(1) Const. *Firmandis*, 5 nov. 1744.

(2) Pius P. IX ut supra, 17 iun. 1847.

(3) Cant. 5, 13: et S. Ambr. *Inst. Virg.* c. 15, et *Exhor. Virg.* c. 9; M. t. 16, p. 327 et 353.

428. Quoniam sacræ virgines « non solum quæ christianis omnibus sunt præscripta, sed etiam suæ regulæ leges et instituta servare debent; operæ pretium erit suæ professionis officium in memoriam quam sæpissime revocare (1) ». Ideo in virtute sanctæ obœdientiæ, in iis domibus, quæ iuri Nostro subduntur, præcipimus ut statis temporibus, constitutiones et regulæ palam legantur: itemque legantur, quæ peculiares de disciplina religiosa ab Episcopis huius Provinciæ ad eas missæ sunt litteræ (2).

429. Ad recens Apostolicæ Sedis præscriptum, quæ Moniales solemnia vota profitentur, prius emittant simplicia tantum vota; atque id eâ ætate, quæ a Sacro Concilio Tridentino et a monasterii cuiusque regulis pro solemni professione olim erat præfinita. Deinde post triennium, ad solemnium votorum professionem poterunt admitti. Interea omnes quæ vota simplicia emiserint, ne permaneant in novitiatu; sed cum aliis plane professis vivant, et pari conditione sint in obligationibus et iuribus (3).

430. Summâ curâ eligi debet, quæ cuique monasterio aut sacrarum Virginum Instituto Superiorissa vel Præfecta est præponenda. Serventur in ea re Sacrosancti Tridentini leges et Instituti cuiusque constitutiones. Episcopus omne suffragium vigilet. Singulæ vocales Dei gloriam et communem utilitatem sibi tantummodo proponentes, ad officia eas eligent, quas ad id munus magis idoneas iudicaverint (4).

431. Delecta Superiorissa aut Præfecta, tamquam communis omnium mater, omnium saluti et corporis et animi

(1) Conc. Prov. I. 3, *de propria reg.* p. 150.

(2) Archiep. et EE. Prov. Med. *Alle Rev. Religiose* ecc. 2 febr. 1893 et 5 nov. 1900.

(3) Litt. Encycl. *Perpensis* S. C. EE. et RR. 3 maii 1902: cfr. etiam 13 ian. 1903.

(4) Conc. Pr. I. 3, p. 128.

diligentissime consulat: easque admoneat ut ad perfectionem virtutum contendant; siquidem nisi ad summum illum gradum pro viribus pervenire conentur, minus sane efficiunt quam debent (1). Omnes aliæ quæ in officio sunt, ad sacrarum legum observationem non minus invitent exemplo, quam auctoritate compellant (2).

432. Magnum virginalis disciplinæ munimentum est clausura: quæ integra et *totalis* in omnibus solemnium votorum monasteriis esse debet, quo tutius sanctimoniales Deo vacare possint. Gravissime et, ut scriptum est, « sub interminatione maledictionis æternæ (3) » de sacra clausura Episcopi conscientia oneratur. Curet ergo Episcopus ut ab omnibus, quorum interest, agnoscantur et severissime leges ecclesiasticæ teneantur de ea re, deque monasteria vel introeuntibus vel exeuntibus sine gravi causa et sui ipsius licentia. Curet item ut alternis saltem annis Monialium claustra visitentur.

433. Clausuram *partialem,* in aliis quoque domibus sacrarum virginum votorum simplicium, Episcopi aut statuant si forte desit, aut custodiant, si iam pridem sit. Partialem dicimus, quam vocant *passivam:* ita ut pars aliqua religiosæ domus præfiniatur, in quam ingredi extranei ne audeant. Partialem deinde aliam, quam vocant *activam:* ita ut nulla sacra virgo, nec sine gravi causa, nec sine aliqua socia, e domo audeat excedere. Monentur autem, quod semper monuisse iuverit, ut raros alios et ad brevia tantum colloquia domi suæ excipiant.

434. Anathemati subiiciuntur, qui aliquam virginem seu aliam quamcumque mulierem, invitam quomodocumque coegerint ad suscipiendum cuiusque Religionis habitum vel

(1) Ut supra p. 129.

(2) Ib. p. 151.

(3) Conc. Trid. Sess. 25, *de reg.* c. 5.

ad emittendam professionem; aut forte etiam volentem quomodolibet impediverint ab habitu suscipiendo et a professione emittenda (1). Parochi et confessarii de hac re publice et privatim moneant: quas autem cognoverint seria voluntate vitam religiosam appetere, iis in Domino, quantum possunt, auxilientur.

435. Quæ ad religionis postulationem atque novitiatum pertinent, maximi semper existimari debent. In qua re familia quævis religiosa statuta sua mordicus servet: at illud quod mandavimus, nullo modo prætereat, ut ipsæ postulantes ab ipsis novitiis ad præscriptum tempus seorsim custodiantur; eo quidem consilio ut explorentur penitus, si forte (quod facile his nostris diebus evenire contingit) in religionem et Ecclesiam e sæculari ac mundana conversatione præiudicatas hauserint opiniones (2).

436. Novitiarum magistra ea erit eligenda, quæ præ cœteris spirituales calleat res, et aliis præstet iuniores puellas bene informando. Pro novitiatu locus ab ea parte domi segregatus sit, in qua professæ degunt; nisi forte etiam novitiæ in alia seorsim collocentur domo, ubi præfinitum tempus perseverent (3). Ad præscriptum Concilii Tridentini Episcopus sacrarum virginum exploret voluntatem, tum ante habitus susceptionem, tum ante professionem (4). Dos autem congrua pro omnibus postulantibus omnino exigatur, nisi forte loci aut personarum adiuncta recursum ad Sanctam Sedem suadeant pro dispensatione. Semel constituta atque honesto, tuto ac frugifero investimento stabilita dos religiosæ familiæ fructificat. Ex integro tamen semper servanda est, itemque, fructibus demptis, iis

(1) Conc. Trid. ut supra c. 18: confr. C. 32, q. 2. c. 16 *hoc sanctum.*
(2) Cfr. litt. Arch. et EE. P. Med. ad S. V. 4 nov. 1900.
(3) Clemens VIII, *Cum ad Reg.* 19 mart. 1603 et pluries.
(4) Conc. Trid. 25 *De Reg.* 17.

restituenda quæ sponte ab instituto recesserint vel ab eo dimittentur (1).

437. Apostolica decreta de ordinariis tertio quoque anno confessariis immutandis, et de extraordinariis confessariis deputandis Episcopi pro sacris sibi suditis virginibus teneant diligenter (2). Illud etiam curent ut inviolate serventur leges de libertate ac frequentia accedendi ad SS. Eucharistiæ mensam, atque etiam de conscientiæ manifestatione coram superioribus. Duo de ea re edita decreta (3) in communi recitari, semel saltem in anno, omnino iubemus. Omnes autem sacrarum virginum confessarios monemus ut accurate et pie munere suo defungantur: ne tamen ullo modo se immisceant externo domuum regimini, neque productioribus colloquiis in ipsis domibus utantur. — (V. Append. XXII).

438. Quod alias iussimus sacris virginibus iuri Nostro subditis, iterum nunc iubemus, ut omnes spiritualibus quotannis vacent exercitiis. Menstruæ item in unaquaque religiosa domo spirituales habeantur recollectiones: bis, aut saltem semel in mense curetur haberi per probatum sacerdotem sermo aut pia exhortatio, quo alacrius Religiosæ perfectionis viam decurrant (4).

439. De sororibus infirmis, quantam possunt, curam adhibeant: neque eo tantum consilio ut releventur in corpore, sed etiam, quod multo maius est, ut opportunis et frequentioribus religionis subsidiis adiuventur ac reficiantur in spiritu.

(1) S. Cong. EE. et RR. passim: Cfr. Conc. Plen. Amer. n. 328.

(2) Conc. Trid. ut sup. c. 10: Bened. XIV, *Pastoralis curæ*, 5 aug. 1748; Leo XIII, *Conditæ*, 8 dec. 1900.

(3) Dec. *Quemadmodum* S. C. EE. et Reg. 17 dec. 1890; et Dec. S. C. C. *Sacra Tridentini* 20 dec 1905.

(4) Litt. Archiep. et EE. Prov. M. 4 nov. 1900.

440. Quæ puellas educandas habent, ante omnia curent ut alumnas suas eo diligentius atque præstantius christianam doctrinam edoceant, quo in dies magis in laicis scholis parvipendi aut negligi videatur. Semel ergo aut pluries in hebdomada alumnas edocendo, idoneum sacerdotem accersant, qui concionem etiam spiritualem ipsis alumnis habeat. Atque item in novitiatibus exquisitior curanda erit christianæ doctrinæ institutio: de tradita autem christiana doctrina, in unaquaque religiosa schola aut novitiatu, fiant quotannis examina coram viro ab Episcopo deputato.

441. Nulla ephemeris, nulli periodici libelli, quantumvis videantur pii, in ullam sacrarum virginum domum recipiantur, nisi de præhabito Episcopi consensu: necesse etiam erit ipsos antea revideri et probari libros, qui pietati inserviunt. Libri autem scholastici eo accuratius omnes revidendi et probandi sunt, quo vitiosiores in dies eduntur. Iubemus ergo ut quotannis Episcopali Curiæ tradatur index novorum omnium librorum, qui aut profanis ac scholasticis aut sacris etiam rebus utcumque usui erunt in unaquaque domo.

442. Munera quælibet quibus quandoque vel ab alumnis, vel ab ipsis consororibus collegiorum et domorum Superiorissæ honorificari ducuntur, onomasticâ præsertim et genetliaticâ die, nullo modo permittenda esse arbitramur.

443. Scenici ludi, si forte recreandis atque erudiendis animis permitti videantur; vetamus tamen quominus ad spectandum viri acervatim advocentur aut non vocati tollerentur. In ipsis ludis scenicis edendis atque viris quandoque, parentibus præsertim, ad illos advocandis, magna cautio et prudens delectus habeatur.

444. Si quæ forte domus erunt, in quibus pie vivendo consocientur mulieres, quamvis nec solemnia, nec simplicia profiteantur vota, etiam de illis meritam curam Episcopus

geret, ut in illis christiana vita floreat, quæ pietate et charitate potissimum roboretur.

445. Vetamus omnino quominus Parochi aut alii quicumque sacerdotes noctu in suis domibus recipiant sacras virgines pro quolibet instituto aut opere pio eleemosynas quæritantes. Iidem sororibus quæritantibus nullam tribuant facultatem a fidelibus suæ parœciæ stipem ullam emendicandi, nisi cognoverint scripto datam ab Episcopo loci, ubi pervenerint, quæritandi licentiam. Episcopi autem in ea concedenda facultate, Apostolica teneant monita: et ipsis quæritantibus « leges et conditiones imponere poterunt, quas pro locorum, temporum et personarum adiunctis, magis opportunas in Domino iudicaverint » (1).

446. Illud etiam vetamus ne quisquam de Clero, in monasteriis monialium aut aliis quibusque sacrarum virginum atque etiam mulierum quarumcumque domibus, (quovis censeantur sacro aut profano nomine) collegiis, conservatoriis, nosocomiis, gerontocomiis, orphanotrophiis aut aliis, officium aut munus ullum gerendum assumat, sive in scholis docendo, sive domesticam rem, gratis quoque, administrando, sive sacerdotale ullum ministerium exercendo, nisi antea Episcopi sui licentiam seu potius designationem obtinuerit.

447. Diligenter Episcopi, statis a iure temporibus, quotquot sibi subdita sunt sanctimonialium monasteria et sacrarum virginum domus, adeant et visitent, atque investigent ipsarum omnium vitæ rationem et spiritum, regularum observantiam, cultum virtutum, pietatis ardorem, studium perfectionis, animorum concordiam, mutuam dilectionem: inquirant de actis et agendis. Ipsæ quidem sanctimoniales et sacræ virgines Episcopo subditæ quotannis

(1) Decretum S. C. EE. et RR. *singulari* 27 mart. 1896: et Encycl. *Conditæ* 8 dec. 1900: Cfr. Litt. Archiep. et EE. Prov. Med. 6 ian. 1896 *Notif.* VI.

illi exhibere tenentur, dilucido ordine, rationes dati et accepti: aliæ autem exemptæ rationes exhibeant de legatis Missarum. Omnes vero meminerint, absque Episcopi consensu omnino vetari quominus erigantur ullæ novæ sacrarum virginum domus (1): atque etiam absque Apostolicæ Sedis facultate nullam novam fieri posse religiosæ familiæ erectionem (2), neque ea bona, quæ pertinent ad quamlibet religiosam domum, alienari posse vel permutari (3). — (V. Append. XXIII).

(1) Enc. *Conditæ* ut supra, atque alia non pauca SS. CC. decreta.

(2) Pius PP. X motu proprio *Dei providentis*, 16 iul. 1906.

(3) v. retro n. 412-13.

TITULUS QUINTUS
DE POPULI MORIBUS.

CAPUT I.

De vita christiana generatim.

448. Quæ de populi moribus supersunt monenda, ea iterum atque iterum monita ad Clerum censeantur in bonum populi. Neque enim Clerus a populo segregandus est, qui pro populo constituitur. Singulari autem studio atque constantia a cuncto Clero his asperis temporibus nostris enitendum est, ut revelata Iesu Christi fides incorrupta servetur et maneat ac floreat præstans virtus ac vita christiana, et per « greges fidelium tam multis in periculis insidiisque versantes... varia provehantur subsidia quæ ipsis esse usui possint: de divinis rebus conciones et cathecheses ad homines, ætates, locos, bene appositas; pias laicorum non in uno genere sodalitates, quas probet laudetque Ecclesia; inviolatam festorum custodiam et religionem; ea quoque vel instituta vel opera, unde fidelibus, iuventuti in primis, cautiones suppetant a pravitate et corruptela, et unde sacramentorum saluberrima consuetudo increbrescat; denique libros, diaria, similia in vulgus lata, quæ ad fidei defensionem faciant morumque disciplinam » (1). In his pro suo munere sacerdotes omnes animum et operam ponant; præeant doctrina et exemplo, ut christianus populus eorum sit spes, gaudium ac corona gloriæ ante Dominum Nostrum Iesum Christum in adventu Eius (2).

(1) Leo XIII, Ep. *In ipso supremi Pontificatus*, 3 mar. 1891.

(2) Cfr. I Thess. 2, 19.

449. His autem, quæ propius christianos attingunt mores et Clero nostro primum ac præcipue commendamus, ea socialis actio iungatur oportet, quam quidem necessariam esse his nostris diebus Apostolica Sedes pluries edixit. Si vero alias unquam, certe quidem hoc tempore, magna ex parte nititur in populo salus civitatum. Prodeant igitur in populum sacerdotes, ut eum e proximo dignoscant, ac singulis necessitatibus opportunas suppetias ferant. Beneficam in populo actionem christianam promoveant, religione tamen auspice atque comite, ne dum curatur ut proletarii meliorem adipiscantur fortunam, animorum bona non caduca negligantur. Non enim illi tam sæpe inopia et laboribus, quam insidiis et periculis circumveniuntur undique, omnigenis præsertim socialistarum pollicitationibus et fraudibus illecti ad fidem avitam deserendam (1).

450. Quoniam non pauci insanâ quâdam hodiedum abrepti novitate (2), evanescentes in cogitationibus suis, in religiosa re aliorum duces fieri contendunt, quum eos haud miserit Dominus, et visibilis Ecclesiæ nobiscum viventis auctoritatem despiciunt; iterum atque iterum gravissimum illud recolere oportet: arcam salutis unam esse Ecclesiam, extra quam si quis egressus fuerit, absque dubio in æternum peribit (3).

451. Ne corde tantum credatur, quum ore etiam confessio fieri debeat ad salutem (4). Oportet profecto non solum privatim, sed etiam publice Deum colere atque integram

(1) Cfr. Leo PP. XIII, Epist. *Nostra erga fratres* 25 nov. 1898; Encycl. *Rerum novarum*, 1891; *Graves de comuni*, 1901; etc. etc.

(2) Pius PP. X Enc. *Pieni l'animo*, 20 iul. 1906.

(3) Cfr. Enc. Pii IX *Singulari quadam*, 9 dec. 1854: v. etiam S. Hier. Ep. 15 ad Damasum Papam, M. t. 22, p. 355.

(4) Rom. 10, 10.

inviolatamque catholicam religionem servare; apertissime enim illud Christus edixit: « qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est (1) ». — Oportet non erubescere Evangelium, sed gloriari de Cruce D. N. Iesu Christi, eiusque legem et Ecclesiæ præcepta fideliter exequi ac revereri.

452. Sæpe sæpius sacerdotes in fidelium memoriam revocent, atque ii bene considerent, præstita in baptismate promissa. De quibus diserte Ambrosius « Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis: renuntiasti diabolo et operibus eius, mundo et luxuriæ ac voluptatibus. Tenetur tua vox non in tumulo mortuorum sed in libro viventium » (2). Qui ergo abrenuntiarunt mundo ut gratiæ Christi vivant, meminerint se cum Christo crucifixos esse mundo, sibique mundum esse crucifixum (3): qui operibus diaboli abrenuntiarunt, quasi a facie colubri fugiant peccata atque ipsa pericula peccandi.

453. Animarum Pastores, primo quidem in seipsis, deinde etiam in populo, quum verbo tum exemplo, excitent iugiter ac tueantur caritatem, quæ centrum est, anima, regina omnium virtutum et sine qua aut nullæ omnino aut fructu vacuæ sunt aliæ virtutes. Integra autem prædicetur caritas, non ex parte tantum, ut assolent qui de mundo sunt; ea scilicet prædicetur, quæ cum Deo nos coniungit efficitque ut vitam a Deo animæ hauriant, cum Deo agant et ad Deum referant; et ea item proximorum prædicetur caritas, quæ quum a Deo sit, de infinita eius bonitate participat, eiusque in se expressam gerit imaginem:

(1) Matth. 10, 32-33.
(2) *De mysteriis* c. 2, M. 16, p. 390.
(3) Gal. 6, 14.

unde pronum est videre quales quantosque alios concordiæ, benevolentiæ, mutuæ pietatis, patientiæ, fortitudinis fructus fidelibus afferat (1). Commendetur beneficentia, quæ caritatis est comes; et quod caritatis plenissimum est, ut iniurias quas accepimus, æquo animo condonemus (2).

454. « Tria præcipue videntur teterrima in communis boni perniciem; ea sunt, *modestæ vitæ et actuosæ fastidium; horror patiendi; futurorum, quæ speramus, oblivio* » (3); ac propterea totis viribus in eo adlaborent Parochi, Concionatores et Confessarii, ut suum fideles diligant statum, neque modestam et actuosam vitam despiciant, præclarissimo exemplo Familiæ Nazarethanæ roborati. Connitantur item fidelibus suadere, quod *facere et pati fortia christianum est;* præit enim ipsemet Christus Iesus, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta (4).

455. Aliud humano consortio infestissimum est, rebellio in quamlibet auctoritatem, divinam atque humanam, domesticam ac civilem. Ne cessent animarum pastores clamare fortiter quod Apostolus clamabat: « non est potestas nisi a Deo: quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt » (5). Sanctum sit igitur publicæ potestatis nomen, in qua divinæ quædam maiestatis species et imago dignoscitur. Quare in iis, quæ æternæ legi Dei, religioni et Ecclesiæ iuribus, aperte non obsunt, Principibus et potestatibus, non propter metum,

(1) Cfr. Enc. Leonis XIII, *Sapientiæ christianæ* 10 ian. 1890.

(2) Catech. Rom. Part. III, c. 6, n. 19.

(3) Enc. Leonis XIII, *Lætitiæ sanctæ* 8 sept. 1893.

(4) Hebr. 12, 2.

(5) Rom. 13, 1.

sed propter conscientiam officii, omnino obtemperandum est (1).

456. Hæc docet Ecclesia; et tamen vetus fuit et recens est criminatio, christianam religionem publico patriæ bono adversari (2): neque ullos posse dari aut fingi Iesu Christi et cœlestis civitatis amicos et cultores, itidemque huius patriæ terrestris opportunos et beneficos amatores. Quæ quidem summa est religionis calumnia atque ignoratio: mirifice autem refellit Augustinus: « Qui doctrinam Christi dicunt adversam esse reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit: dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores; quales esse præcepit doctrina christiana. Et audeant eam dicere adversam reipublicæ? Imo vero non dubitent eam confiteri magnam esse salutem reipublicæ, si obtemperetur » (3).

457. Eamdem criminationem nostris etiam his diebus christifideles convellere pergant, ostendantque eo ipso quod præcipua charitate Ecclesiam prosequuntur, cui vitam animæ debemus perpetuo mansuram, civitatem quoque, seu patriam, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, fortiter nos diligere ac tueri (4). — Omnes quidem meminerint, periclitante religione aut republica, nemini licere esse otioso. Catholicorum erit periculum omni industria

(1) Cfr. Leo XIII, *Sapientiæ christianæ,* 10 ian. 1890.

(2) Aug. *Enarr. in ps.* 118, serm. 31, M. 37, p. 1591: Chrysost. in ep. ad Rom. ser. 23, Hom. 23, M. ed. lat. t. 9, p. 613.

(3) Ep. ad Marcell. clas. 3, 138, M. 33, p. 532: Confr. Leonis XIII, Encycl. *Immortale Dei* 1 nov. 1885.

(4) Cfr. Leo XIII, *Sapientiæ christianæ,* 10 ian. 1890.

cavere; atque ideo, partium studiis depositis, pro incolumitate religionis et patriæ operari strenue, ac utriusque utilitatibus in publica re gerenda diligenter prospicere (1).

CAPUT II.

De christiana filiorum educatione.

458. Vetat Augustinus filiorum dilectionem parentibus commendari: non enim decet hominibus commendari, quod naturâ apparet suâ, nec miramur in belluis (2). Illud potius urgendum est, ut *congruo* amore filii diligantur: hoc est, non corpore quo sunt perituri, sed spiritu potius quo æterno vivent. Paterna enim christiana dilectio potius quam naturæ bona et terrestris huius habitationis commoda, prospicit filiis quæ supernaturalis sunt ordinis, ut cives Sanctorum sint et domestici Dei. Moneantur itaque parentes, bonam educationem pretiosissimum omnium esse thesaurum, quem filiis relinquere possunt; per eam enim cætera bona illis comparabunt: opes, virtutem, honestam vitam præsentem atque æternam, quum ab educatione pendeat et tota vita præsens et ipsa animæ salus atque æterna beatitudo. Qui vero bonam educationem negligentes, prolem ditare et ad honores provehere satagunt, eidem in suum exitium arma parant.

459. Persuasum in animo sibi teneant fideles, nullam nisi in Christo laudabilem reperiri posse bene vivendi atque bene filios educandi rationem: neque sinceram inveniri posse sapientiam atque integros mores. Oportet ergo ut in fide et doctrina Christi apta quæratur puerorum institutio, et in Christo enixe probati sint, qui alios curant educandos.

(1) Cfr. Pius X litt. ad Ep. Matriti 20 febr. 1906.
(2) Serm I, fer. 4 post Dom. sept.

Eo magis oportet ut divinis institutionibus et præceptis parentes adhæreant, quo in dies amplius undique iactantur atque adstruuntur liberiora ac turpiora sine Deo vel contra Deum pueris educandis artificia.

460. Gravi suo muneri defungendo parentes a Deo postulent auxilia. Videant ut puerulis suis propere rerum cœlestium tradant notitiam, christianæ vitæ officia eos accurate edoceant, atque in tenellis cordibus vitiorum infundant odium, virtutum amorem. Pietas in Deum cum ætate crescat, itemque frequentatio sacramentorum: amoveantur omnes vitiorum illecebræ, optimorum hominum cœtus et exempla proponantur; neque ullo tempore aut prætextu, domi forisque, debita custodia et morum vigilantia intermittatur vel relaxetur. Sed et aliud gravissimum munus parentes adimpleant, ut scilicet bene vivendi normam, exemplo præcipue, filiis ostendant. Summam enim habent vim parentum exempla; atque adeo bonis moribus familia florebit, si parentes ipsi christiana exequantur officia, quæ filiis tradiderint. — Ne quis contemnat eos, quorum angeli semper vident faciem Patris qui in cœlis est (1). Magna merces patribus est filiorum virtus, sed de manibus patrum requiret Deus filiorum sanguinem (2).

461. Corripere filios in disciplina Domini (3) paternæ dilectionis instans munus est: quod qui negligit, suum odit filium (4); « quis enim filius, quem non corripit pater? » (5). Quum igitur necessaria sit reprehensio et castigatio, ne quid filiis per indulgentiam dissolute remittant parentes;

(1) Math. 18, 10.

(2) Ezech. 3, 18: 33, 8: Psal. 9, 13 etc.: Cfr. etiam Conc. Prov. III, p. 271 et seq.; Conc. Pr. V, p. 704 seq.

(3) Eph. 6, 4.

(4) Prov. 13, 24.

(5) Hebr. 12, 7.

sæpe enim filii nimia parentum lenitate et facilitate depravantur. Verum ne quid acerbius in filios aut loquantur aut statuant, neve ad indignationem eos provocent. Quare illud præcipiatur parentibus ut nimiam severitatem effugiant, malintque filios corrigere, quam ulcisci (1).

462. De recta filiorum educatione non raro tenentur parentes a probatis viris, præcipue sacerdotibus, consilia postulare, eaque sequi. Parochi, concionatores et confessarii parentes moneant de gravissimo christianæ educationis officio: quod, quum maioris difficultatis in dies evadat, consentaneum est ut consociatis viribus ab omnibus pergat ampliori curæ et studio haberi. Multa quidem optima in id auxilia christianam charitatem attulisse novimus: alia etiam plura allaturam esse in Domino confidimus.

463. Opera catholicæ iuventuti adiuvandæ et christianæ educationi fovendæ, hæc præ cœteris nunc placet recensere: — *Consociationes* seu *circulos catholicæ iuventutis,* quibus probati iuvenes, ii præsertim qui studiis incumbunt, congregantur sub vigilantia præstantis alicuius sacerdotis, qui partim quidem in spiritua'ibus, partim etiam in aliqua honesta atque utili excolenda disciplina adiumento sit; — *Oratoria,* seu locos et conventus adolescentibus utiles ad Doctrinam christianam ediscendam, ad quælibet pietatis officia exercenda, itemque ad honestam animorum recreationem. Ea summopere commendamus, quæ festis diebus religiose peragendis patent: valde autem lætabimur si qua aliis quoque diebus pateant, pueris utcumque iuvandis, quum a scholis feriantur; — *Patronatus et providentiæ opera;* quibus quidem curæ est adolescentes apud honestas officinas atque familias collocare, itemque pie vigilare et in rebus spiritualibus sollicite auxiliari, festis præsertim

(1) Cfr. Catech. Rom., p. III, c. 5, n. 21.

diebus : hæc autem opera promoveri amplius peroptamus ; — *Circulos gymnasticis exercendis ludis ;* quibus quidem animi relevantur, corpora solidantur et viribus augentur: neque nos aptam corporis exercitationem vitio vertimus, dummodo christianæ pietati non obsit, sed illi sapienter adiungatur ; — *Asyla* puerulis curandis, quæ si idonea desit cura parentum, naturæ magis consona, non parvam pro temporum et locorum adiunctis, quum apte regantur, pariunt utilitatem. Cavendum tamen est ne in iis prima ætas vanitati et deliciis indulgere assuescat; ne reverentiam et subiectionem parentibus incipiat detrectare, neve impatiens fiat molestiarum, quæ nec infantibus desunt. Vigilandum igitur, quantum potest, ut christiane educentur pueruli, ut ipsis prima elementa fidei accurate tradantur, et crebro obedientia erga parentes et superiores inculcetur, ne domestica officia et iura videantur relaxari (1).

464. Sed, heu ! dolendum est latius in dies nefariorum hominum et impudentium sectarum sævire consilia, ut longe aliam puerorum adstruant educationem. — « Disciplina morum, quæ massonum familiæ probatur unice, et qua informari adolescentem ætatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant, et *solutam* ac *liberam ;* scilicet in qua opinio nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur, ex iis, qui partim iam apparent, pœnitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius cœpit, demotâ loco institutione christianâ, ibi celeriter deperire probi integrique mores, opinionum tetra portenta convalescere: plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplo-

(1) Cfr. Conv. Epp. Prov. Med. an. 1849, Collectio Lac. t. 6, p. 708.

rant: iidemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur » (1).

CAPUT III.

De Scholis et Collegiis Puerorum.

465. « Qui civitates ab institutis christianis divellere volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo scelere nec eos cogitatio deterret, id nequaquam fieri sine summa parentum iniuria posse: naturâ enim parentes habent ius suum instituendi quos procrearint, hoc adiuncto officio, ut ipsa educatio et puerilis doctrina conveniat cum fine, cuius gratia sobolem susceperunt. Igitur necessarium parentibus est eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam; omninoque pervincant, ut sua in potestate sit educere liberos more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis. Quum de fingenda probe adolescentia agitur; nulla potest opera suscipi, nec labor tantus, quin etiam sint suscipienda maiora » (2).

466. Ut fert perpetua Ecclesiæ consuetudo atque lex; « instituendæ pueritiæ atque adolescentiæ munus committatur viris, non scientia solum, sed fide ac moribus vitâque

(1) Leo XIII, Enc. *Humanum genus*. 20 apr, 1884: Cfr. alias litt. ad Episcopos Italiæ 8 dec. 1892: cfr. etiam Ep. *Custodi* etc. eadem die: Cfr. Litt. encyclicas *Spesse volte* 5 aug. 1898: Cfr. alia similia ad Ep. et populum Italiæ 15 febr. 1882; et 15 oct. 1890; nec non 25 maii 1891: Et pro urbe Roma; epist. ad Card. Vic. *In mezzo* 26 iun. 1878; et *Nel giugno scorso* 25 mart. 1879; et *Già fin degli esordii,* 19 aug. 1900: Cfr. item Allocut 30 iun. 1889. Cfr. etiam Litt. Archiep. et EE. Prov. Med. ad Ven. Cler. 4 nov. 1891, p. 3 e 4.

(2) Leo PP. XIII Encycl. *Sapientiæ: De præcip. civium off.* 10 ian. 1890.

probatis » (1). Eorum ergo « vitæ morumque ratio et puerorum institutio aliquando observetur » (2). Id præ cœteris inspiciant tum Parochi de parochianis, tum etiam parentes de sorte filiorum, ut debent, solliciti.

467. Elementa fidei, quibus nomen est *catechismus*, prima omnium res est scitu dignior et necessaria. Eâ catechismi institutione sublatâ, adolescit prima ætas sine ulla cognitione rerum maximarum, quæ solæ alere studia virtutum et rationi contrarios regere appetitus in hominibus possunt. Sunt autem notiones de Deo Creatore, remuneratore et vindice; — de præmiis pœnisque alterius vitæ expectandis; — de præsidiis cœlestibus per Iesum Christum allatis ad officia vitæ christianæ adimplenda. — His non cognitis malesana omnino futura est animorum cultura: insueti ad verecundiam Dei adolescentes nullam ferre poterunt honeste vivendi disciplinam, suisque cupiditatibus nihil unquam negare ausi, facile ad miscendas civitates pertrahuntur (3).

468. Duo ergo unâ eâdemque curâ restant urgenda. Primum quidem ut in scholis christianam doctrinam pueri doceantur: deinde vero, atque id istantius, ut ab idoneis doceantur rerum sacrarum magistris. Cuius generis habendi sunt aut ipsi sacerdotes aut laici viri ab Episcopo pro ea re probati: quod quidem nativum est et inviolandum ius Ecclesiæ (4).

469. Maxime obsistendum est pervulgato impræsentia-

(1) Conc. Prov. III *q. ad fidei*, p. 238.

(2) Ib.; Cfr. etiam Conc. Prov. I, p. *de ludi m.* p. 31. Conc. Prov. V, *q. ad præd. v. d.* p. 526 etc : Conc. Lat. V. sess. 9; X, l. 5, t. 5, *de magistris*, etc.

(3) Cfr. Leo XIII, *Nobilissima Gallorum gens*, 8 febr. 1884.

(4) Vide *Lettera pastorale dell'Episcopato Lombardo*, ecc., 4 nov. 1891, p. 30-34: Cfr. Epist. *In mezzo* ad Çard. Vic. Leo XIII, 26 iun. 1878: et Conc. Lat. V. ut supra.

rum vitio negligendi fidem eamque obtegendi silentio. Nisi ergo, sua religione moti, ipsi municipiorum rectores de edocenda doctrina christiana providerint; curæ erit Parochis ut parochiani eam postulent rite in scholis tradendam, atque interim rem omnem ad Episcopum deferant. Ubi vero iniquitate temporum aut hominum arbitrio idonea eruditio christiana in scholis negatur; quemadmodum antea dictum est (1), supplendum erit in Ecclesia.

470. Si quid forte, in elementaribus præsertim puerorum scholis, præcipi aut doceri unquam contigerit contra catholicam fidem aut bonos mores; celerent omnes de ea publica illata sibi iniuria privatim et publice conqueri et ad civiles etiam magistratus iuste conclamare.

471. *Mixtas*, quas aiunt scholas, semper est detestata atque apertius in dies detestari ac damnare pergit sancta Mater Ecclesia (2). Quum enim congregari contingunt adolescentuli ac magistri diversarum quarumcumque religionum atque etiam variarum opinionum catholicam fidem adversantium, nemo non videt periculum imminere aut perversionis aut perpetui iurgii ac dissidii. — Eæ quoque reprobandæ sunt scholæ, in quibus simul glomerentur utriusque sexus adolescentes, præsertim provectioris ætatis: periclitatur enim morum honestas; atque ideo publicis postulationibus catholici properent conclamare, si quid indecens huiusmodi in suis oppidis aut urbibus parari sibi prospiciant (3).

(1) V. retro n. 43 et *Lettera ecc.* ut supra.

(2) Cfr. Instr. S. Off. de scholis Helv. 26 mart. 1866, de scholis Am. 24 nov. 1875: vide retro n. 464 nota. Vide etiam Leo XIII Ep. ad Card. Vic. *Nel giugno* 25 mart 1879: et Encycl. *Nobilissima* ad Gall. 8 feb. 1884; *Spectata fides* ad Angl. 27 nov. 1885; *Quod multum* ad Hung. 22 aug. 1886; *Officio sanctissimo* ad Bav. 22 dec. 1887; *Quæ coniunctim* ad Am. 23 maii 1892 etc.

(3) Vide *Lettera Ep. Lomb.* ut supra.

472. Scholæ *laicæ* seu *neutræ,* a *mixtis* non admodum diversæ, a fidelibus gravi omnino suspicioni, ut minus dicamus, habendæ sunt. Iactitant earum fautores incumbere se scientiæ tantum tradendæ, eamque opus esse a fide segragari; nolle se de opinionibus sacris alienas a scholis haberi disputationes, suam cuique opinioni se tribuere ac tueri libertatem et observantiam. Verum talia iactando catholicis familiis ingens fraus fit; et late plerumque via sternitur fallaciis indifferentismi, latitudinarismi, scepticismi religiosi et ipsius atheismi aut naturalismi. Quare nihil peius de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri possunt parentes, quam si filios in extremam hanc tamque periculosam aleam immittant: eos ergo properent ab iis scholis amovere. Si vero eæ sint circumstantiæ ut huiusmodi scholarum frequentatio tolerari possit, in id ne consentiant parentes, nisi cum opportunis cautelis, et ex prudentium consilio. — Dolendum sane est, piam matrem Ecclesiam ætate hac nostra prohiberi quominus scholas vigilet, quas sui frequentant filii, ibique utilia ad fidei morumque incolumitatem suadeat et in animarum salutem disponat (1).

473. Ephebæa, seu frequentiora nunc instituta puerorum collegia, alacrius sibi obtendere videntur duplicem finem assequendum: ut pueros erudiant, atque ut eos enixius ad bonos mores componant. Maxime tamen cavenda sunt si eorum scholæ *laicales* habentur, seu *neutræ;* graviori enim redeunt adolescentium exitio. Quæ ergo collegia fidei documenta negligunt aut contemnunt, longe procul fugiantur: quæ vero a vigilantia Ecclesiæ sunt soluta, congruo semper habeantur timori et suspicioni. Neque enim parentibus fas est ullis unquam magistris aut præcepto-

(1) Cfr. de his omnibus Ep. Pii PP. IX ad Archiep. Frib. 14 iul. 1864: cfr. in Syllabo damnatas prop. n. 45-48, 8-14 et 57.

ribus, nisi fide et moribus probatis, filios suos educandos tradere.

474. Primum in familia curanda profecto est christiana puerorum institutio, neque ii ab ea sunt amovendi, nisi congrua de causa et propter maius bonum. His autem diebus nostris, auctis mirum in modum usu et copia utilium rerum ediscendarum, ingruentibus undique contra bonos mores periculis, quo magis impediuntur parentes ut pueros suos bene vigilent ac bene edoceant, eo vividius catholica probata collegia commendantur: in quibus et sacerdotum et religiosorum hominum ac sacrarum Virginum sedulus labor et fervida charitas magnam merentur grati animi significationem.

475. Plura quidem in hac nostra provincia novimus et lætamur frequentari collegia et puerorum scholas, magno etiam piorum hominum labore atque impendio vel olim conditas vel nuper inchoatas. Ea catholica ephebea, urbe et ruri, humilioribus et altioribus edocendis artibus et disciplinis, pro nostris necessitatibus, multiplicari auguramur, eisque favere nobilissimum ducimus charitatis opus.

476. Ne ergo unquam excidant a memoria quæ peramanter f. r. Leo XIII in hac re monebat: « Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam sint suscipienda maiora. In quo sane digni omnium admiratione sunt catholici ex variis gentibus complures, qui suas erudiendis pueris scholas, magno sumptu, maiore constantia paravere. Æmulari salutare exemplum, ubicumque postulare videantur tempora, decet » (1). Summopere igitur obsecramus ut quam frequentissimæ scholæ catholicæ, seu parochiales, quoad fieri potest, instituantur; item scholæ, quæ audiunt *serali*, in operariorum utilitatem; atque item scholæ religionis, in instructionem præsertim studiosæ iuventutis.

(1) Cfr. Enc. *Sapientiæ christianæ,* 10 ian. 1890.

CAPUT IV.

De conditione opificum.

477. Cura opificum, his nostris præsertim temporibus, præclarum opus censendum est: et præ aliis dignum quod congruis adhibitis cautionibus sub Episcopo a Clero assumatur. De ingravescente opificum conditione, Pius PP. IX primo monuit (1). Urgere rem perrexit Leo XIII, auctis ubique locorum malis atque periculis et hominum per tenebras grassantium fraudibus ac dolis. Multa edixit, atque illud præ cœteris ecclesiasticos alloquens viros: « Prodire in populum... Nobis visum est affirmare. Sæpius autem hanc amantem populi providentiam collaudavimus, propriamque esse diximus utriusque ordinis clericorum:.... qui tamen in eius officiis explendis caute admodum prudenterque faciant ad similitudinem hominum sanctorum. Franciscus ille pauper et humilis, ille calamitosorum pater Vincentius a Paulo, alii in omni Ecclesiæ memoria complures, assiduas curas in populum sic temperare consueverunt, ut.... contentione pari, suum ipsi animum ad perfectionem virtutis excolerent (2) ».

478. Studeant ergo « non modo sacrorum administri, sed etiam quotquot sunt popularis causæ amatores.... hæc præcipue in plebis anima inculcare. A seditione et a seditiosis usquequaque caveant: aliena cuiusvis iura habeant inviolata: iustam dominis observantiam atque operam volentes exhibeant: domesticæ vitæ ne fastidiant consuetudinem mul-

(1) Vide Syllab. § 4, et Encycl. *Nostis* 8 decemb. 1849: cfr. *Motu proprio per la ricostituzione delle Università e Corporazioni di Arti e Mestieri a Roma,* 15 maggio 1852: v. in Indice damnat. oper. Franc. Huet.

(2) Encycl. *Graves de com.* 18 ian. 1901.

tis modis frugiferam: religionem colant ab eaque in asperitatibus vitæ certum petant solatium » (1). Enitantur quidem societates omnes atque opificum catholica sodalitia, ut singuli de societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur. Perspicuum vero est ad perfectionem pietatis et morum, tamquam ad causam præcipuam spectari oportere, quæ nota non deerit, ut ab ethnico distinguatur homo christianus. Ad Dei igitur cultum excitetur opifex, atque adeo ad religionem dierum festorum et ad christianam instructionem; vereri discat Ecclesiam, eius obtemperare præceptis et sacramenta frequentare (2).

479. Sæpe operariis revocetur, ipsis ex condicto non licere communem ab opere cessationem, nisi gravi et iusta de causa, post maturam deliberationem et inutiles conatus ad controversiam pacifice dirimendam, qualibet omnino seclusa vi aut minatione, sive ad deterrendos alios ab opere, sive ad damnum heris inferendum.

480. Domini invicem, quod ad se attinet, probe noverint et considerent, opifices mancipiorum loco non habendos. Illud vere esse turpe, abuti hominibus pro rebus ad quæstum. Oportere in proletariis haberi rationem religionis et bonorum animi. Quare dominorum esse partes, efficere ut idoneo temporis spatio opifex pietati vacet: non hominem dare obvium illecebris peccandi: neque abducere a cura domestica et parcimoniæ studio. Item non plus imponere operis quam vires queant; unicuique iusta præbere (3). « Ubi vero necessitati et decori satis est datum: officium est gratificari pauperibus de eo quod superest... Non iustitiæ officia ista (eleemosynæ) sunt; sed charitatis christianæ, quam profecto, lege (humana) agendo, petere ius non est. Sed

(1) Encycl. *Graves* ut supra.

(2) Cfr. Encycl. *Rerum novarum* 15 maii 1891.

(3) Ibidem.

iudiciis hominum antecedit iudicium Dei, qui multis modis suadet consuetudinem largiendi (1) ».

481. Aspero dominorum et proletariorum dissidio sanando sola efficax est catholica doctrina, quæ summa est iustitia et summa charitas christiana. Ne tamen in re tam gravi aliquis lugendus error obrepat, quemadmodum iussum est, populares omnes associationes pergant propositas semper sibi præ oculis tenere atque identidem legere missas a SS. D. N. Pio PP. X *fundamentales normas popularis actionis christianæ* (2).

CAPUT V.

De pravis moribus cavendis.

482. Omni quidem hominum ætate, hac autem præsertim nostra, iteranda videntur perspecta illa de hoc mundo Augustini verba: « Fecerunt civitates duas amores duo. Terrenam amor sui usque ad contemptum Dei: cœlestem amor Dei usque ad contemptum sui. Illa in se ipsa, hæc in Domino gloriatur (3).... Videte nomina civitatum, Babylonis et Hierusalem: Babylon confusio interpretatur, Hierusalem visio pacis: istam toleretis, ad illam suspiretis » (4).

483. Blasphemia est infernalis quædam dementia, eo quidem detestabilior, quo in dies audacior. Illi reprimendo sceleri Deumque pro illatis iniuriis propitiando, curent Episcopi ut in singulis Parœciis pia ineantur consortia et fœdera. In festo autem SS. Iesu Nominis solemnior expiatio fiat, deque ea re sermo ad populum habeatur.

(1) Ibidem.
(2) Motu proprio *Fin dalla prima* 18 dec. 1903.
(3) *De civ. Dei,* l. 14, c. 28, M. 41, p. 436.
(4) *In psal.* 74, M. 36, 773.

484. Eos maxime improbamus scenicos ludos, qui impie ac licenter apparati, vitiorum illecebræ sunt, et perniciosa incitamenta peccandi. Improbamus item argumenta artium ex iis quas vocant *verismi* legibus proterve quæsita, exquisita subtiliter artificia vitæ mollis, atque alia denique omnia conquisita voluptatum blandimenta (1), imagines, scripta, cantilenas, actiones mimicas quæ ad luxuriam provocant. Ab iis omnibus deterreantur fideles, ac crebro moneantur ut ab inhonestis abstineant et periculosis spectaculis, theatris et choreis, in quibus et fides et christiani mores sæpe sæpius detrimentum patiuntur.

485. Fornicationem atque alia immunda omnia peccandi genera vetat Apostolus in nobis nominari: quam quidem maximam diaboli mercaturam S. Bonaventura iure vocat. Omnia immunda vitia nunc temporis debacchantia detestamur et abominamur: præcipue vero, quæ bono societatis ac familiæ, et matrimonii honestati adversantur. Ea quidem crimina humanas leges plerumque aut latent aut effugiunt et laicâ morali doctrinâ non raro excusantur, nisi forte etiam laudentur. De his præsertim iam ingemuit S. Hieronymus: « sterilitatem præbibunt et necdum sati hominis homicidium faciunt » (2).

486. Luxuriæ latam sternit viam *ebrietas* quam damnat sana ratio, damnat religio, et tristes damnant sequelæ: egestas, vitiata proles, præmatura senectus, mors et infelix æternitas, monente Apostolo: « Nolite errare..... neque ebriosi regnum Dei possidebunt » (3). Ne cessent Parochi et concionatores contra pessimum hoc vitium clamare: impense foveant nobiles omnes labores virorum bonæ voluntatis pro eo extirpando, cœtus illos præsertim quæ *so-*

(1) Leo XIII *Humanum genus* 20 apr. 1884.

(2) Epist. ad *Eustoch.* 22, 13, M. t. 22, p. 401.

(3) I Cor. 6, 10.

cietates temperantiæ audiunt. Eas præcipua commendatione dignas existimavit Leo PP. XIII, qui illud addidit: « Maxime vero valere debet in hoc zelus sacerdotum, quorum uti est verbo vitæ, plebem instruere ac bonis moribus fingere; ita eos potissimum oportet sua virtute cœteros anteire » (1).

487. Non sine multo animi angore illud videre cogimur, amplius in dies homines præcipuorum religionis officiorum adeo oblivisci, ut hoc unum solemne habeant, divitias inhiare, easque præter modum cumulare et diffluere vitæ commodis atque luxu. Dimanant inde *fraudes* et *latrocinia,* aliaque contra iustitiam crimina; et speciatim *usura,* qua multi quidem fœdantur etiam ex illis, qui honorabiles et honesti cives existimari volunt. Moneatur graviter christiana gens horum criminum remissionem impossibilem esse, nisi, præter pœnitentiam animi, accedat restitutio. Nemo autem excusari potest eo quod huius generis iniustitiæ haud raræ sunt apud homines; sunt enim crimina in lege Christi, quâ lege vitio fidelibus tribuitur ipsa rerum habendarum inquietudo, præcipue vero duritia cordis erga inopes: pro iis enim Christus iudex minatur: *esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi et non dedistis mihi potum; hospes eram et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me* (2).

488. Prava duelli consuetudo magnum affert argumentum tum flagitiosi humani moris, tum miseræ atque ineptæ humanæ legis. Neque enim raro comperiuntur latæ ab hominibus pœnæ in utramque partem, sive quis abnuat, sive committat ea singularia certamina: hoc est eandem rem, uno tempore, turpem atque honestam diiudicare. Quæ vero ab humanis legibus graviores pœnæ contra dimicantes statuuntur, eluduntur plerumque, silentibus iis quorum est

(1) Ep. *Eximia pietatis* ad Ep. S. Pauli de Minnesota, 27 mar. 1887.

(2) Matth. 25, 42.

providere. Meminerint catholici latam excommunicationis pœnam nedum in eos qui ea certamina ineunt, sed etiam in eos qui non prohibent vel de industria spectant (1). Horreant, ut par est, illud scelus: neque enim fas est ulcisci, « nec vani falsique honoris idolo humanas litari victimas impune feret Deus » (2).

489. Horrendum *homicidii* crimen, et multo magis *abortus* gravissime Deum offendit, societatis bono adversatur et homini maximam iniuriam in temporalibus infert, neque raro irreparabilem animarum ruinam. — Abominabile item flagitium est *suicidium*, atque illud intolerabile est quod publicis aliquando extollantur honoribus, qui voluntariam sibi consciscunt mortem. Nulla animi magnitudo, verum potius summa insipientia est et summa Creatoris iniuria, quod quis metu pœnarum aut dedecoris, semetipsum manifesto et immediate æternæ damnationis periculo exponat, cognatis et notis diram præbeat afflictionem, proximo maxime perniciosum exemplum præbeat, propriumque nomen et memoriam fœdissima infamiæ nota deturpet (3).

CAPUT VI.

De piis Consodalitatibus et Actione catholica.

490. Iamdiu a sæculis et ab ipsa quadantenus ineunte Ecclesia providentissime piarum sodalitatum inolevit usus; his autem temporibus magnum inde paratur munimen adversus religionis hostes. Fideles enim quum sacramentorum

(1) Pius IX, *Apost. Sed.* c. II, n. 3.

(2) Bened. XIV, *Detestabilem,* 10 nov. 1752: Cfr. etiam Leo XIII, *Pastoralis* 12 sept. 1891.

(3) Cfr. Conc. Plen. Amer. n. 760.

communione et virtutum exercitio inter se uniuntur, multo fortiores sunt in legitimo et sancto certamine; et per mutua charitatis officia, fratrum habitantium in unum iucunditate relevantur, et in semitas Domini ambulant expeditiores. Monuit autem Christus se ibi futurum, ubi aliqui fuerint in suo nomine congregati (1). Iubet Apostolus ut per omnia veritatem facientes, crescamus in illo qui est Caput nostrum, ex quo totum compactum corpus augmentum facit in charitate, in ædificationem sui (2). Quantum ergo possumus, id commendamus, ut frequentissimæ, in pueris præsertim, hæ sodalitates instituantur ac semel institutæ diligenter excolantur.

491. Nemo sine Episcopi auctoritate, nisi aliter ex iuris dispositione statutum fuerit, piam ullam sodalitatem aut confratriam in Ecclesia vel sæculari vel regulari erigere aut inducere audeat; in earum autem erectionem præscriptæ a S. Sede conditiones serventur (3). Episcopi erit confraternitatum statuta examinare et pro ratione temporum atque locorum probare, privilegia, indulgentias, spirituales gratias recognoscere: neque alia fidelium sodalitas ab Episcopi moderatione, correctione, visitatione unquam erit eximenda, nisi forte peculiaria faveant indulta. Videat Episcopus ut unaquæque sodalitas sua statuta custodiat. Sodales autem, qui ab instituto desciverint, ad præscriptum ipsius statuti a sodalium albo expungantur, salvo iure recursus ad Ordinarium. Nisi aliter Episcopus decreverit, confratriæ quæ communi constitutæ sunt iure, a Parocho regantur: qui

(1) Matth. 18, 20.

(2) Eph. 4, 15 et seqq.

(3) Cfr. Clemens VIII, Const. *quæcumque,* 7 dec. 1604: V. etiam decret. S. C R. 10 dec. 1703 et S. C. Indulg., 22 aug. 1842, nec non 25 aug. 1897 — Speciatim pro SS. Rosario vide constit. PP. Leonis XIII *Ubi primum,* 2 oct. 1898.

omnibus præsit comitiis et quotannis accepti et dati rationes inspiciat. Quoniam vero in hac nostra Provincia nihil bonorum seu mobilium seu immobilium piæ sodalitates possident, ab annuis præscriptis tributis persolvendis nemo se eximat qui eisdem adscribi cupit aut in eis permanere.

492. Præter ea quæ iam commendavimus pia opera et sodalitia de *Propagatione fidei,* de *S. Infantia,* de *SS. Sacramento,* de *Doctrina Christiana,* de *S. Nazarethana familia,* curent Episcopi, ut alia idonea in singulis constituantur parœciis. Ex his præ cœteris probamus et commendamus pias Uniones *Filiarum Mariæ* et *S. Aloysii Gonzagæ* pro utriusque sexus adolescentulis bene instituendis; — societates *Matrum christianarum;* — consodalitatem a *SS. Rosario,* et si quæ aliæ pro locis acceptiores populo videantur.

493. Muliebri sexui maxime commendamus piam admodum Virginum S. Ursulæ sodalitatem, quæ iam inde ab ortu suo, ut testatur Concilium Prov. IV, « uberrimos, adiutrice Dei gratia, et populis et familiis attulit fructus, non modo ad retinendum, sed ad excitandum vehementius fœmineo sexu innocentis vitæ, christianæ pietatis et charitatis studium (1) ». Illud autem, quum Nostrum, tum Leonis XIII nunc temporis iteramus votum, ut numquam « a primæva regula deflectant, quam ipsa Sancta Angela tradidit, illique piæ Unioni veluti testamento reliquit (2) »: eam autem regulam nuperrime novimus in pristinum statum a Hieronymo Verzeri Brixiensi nuper Episcopo restitutam. Illi ergo piæ Unioni, eiusque rebus agendis Episcopi prospiciant.

494. *Tertium* S. Francisci *Ordinem* aliosque Tertios Regularium Familiarum Ordines opportune hic commen-

(1) Conc. Prov. IV in fine p. 493.

(2) Leo XIII, Breve *Romanorum P.*, 12 iul. 1901.

dandum iudicamus: ex illis enim nobilissimum ducitur piarum sodalitatum exemplar et Christianorum morum tutamen, dummodo præscriptæ leges serventur (1). Tertium eundem S. Francisci Ordinem peraptum multitudini f. r. Leo XIII edixit et commendavit, aliosque item Tertios Ordines S. R. Ecclesia fidelibus commendat uberrimis augens indulgentiis.

495. Per urbes et frequentiora oppida maxime probamus *Conferentias S. Vincentii a Paulo,* quæ societas exemplo insignis, de populo inferioris ordinis tam præclare meruit et meret; tota enim in hoc est ut egentibus et calamitosis suppetias præbeat, idque sagacitate modestiâque mirabili: quæ quo minus videri vult, eo est ad charitatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior. Valde lætamur egregium hoc opus in nostras Diœceses late diffusum: latius diffundi peroptamus, adeo tamen ut eiusdem sodales S. Vincentii exempla sequuti, studeant et in pauperes adsiduas curas impendere, et seipsos ad christianas virtutes exercere.

496. *Catholicam* quod aiunt *actionem*, hoc est summam rerum agendarum, quæ proxime quidem humanam attinent vivendi rationem et civilis societatis leges, maxime tamen conferunt ad salutem animarum, hisce temporibus aptissimam Romani Pontifices, Pius IX, Leo XIII et Pius X impensissime foverunt. Nomen quidem novum videri potest, non autem res nova; agitur enim de quodam bene ordinato agmine, quod e laicorum cœtu efformatur in Ecclesiæ subsidium, in Pastorum levamen, ad tuendum Christi re-

(1) Leo XIII, Enc. *Auspicato,* 17 sept. 1882 et Const. *Misericors,* de lege franciscali, 30 maii 1883: Cfr. etiam Leo X, *Inter cætera* 20 ian. 1521, Nicolaus IV *Supra montem* 18 aug. 1289. — Non tamen conceditur tertiis pluribus simul Ordinibus ascribi: v. Decr. S. C. Indulg. et SS. RR. 31 ian. 1893.

gnum adversus Christi osores conclamantes: — *nolumus hunc regnare super nos* (1). — SS. D. N. Pius PP. X optat vehementer ut egregium institutum in urbibus agrisque late inferatur ac floreat, eamque postulat actionem, quæ primo tota sit in divinis legibus atque Ecclesiæ præceptis sancte integreque servandis, in religione libere aperteque profitenda, in omnibus demum charitatis operibus exercendis (2). Quod itaque fovit et laude prosequitur supremus Pastor, et Nos amplectimur, et Clero ac fidelibus nostris una animi consensione commendamus. Actio, quæ nunc audit *catholica*, in diversis suis et probatis formis, et in pluribus, quibus constat, sodalitiis late propagetur, virescat ubique, non solum in spirituale bonum, sed etiam ad civile ipsum consortium instaurandum.

497. Quod tamen gravi eoque publico conquestu D. N. Pius X adactus est condolere, nos quoque condoluimus et condolemus; iuniores quosdam, — e nostris quidem paucos sane, — ita fuisse deceptos, ut novam quandam christianam actionem prosecuti sint, quæ quidem tum a doctrina, tum a recta Ecclesiæ disciplina abhorrere compertum est: præsertim quum, adductis quibusdam verborum captiunculis, nonnulli protestati sint obedituros se Iudici Infallibili, non autem docentibus et regentibus Episcopis et Romano Pontifici (3). Dum igitur vehementer hortamur ut Sanctæ Sedis directiones sedulo sectentur, illud revocamus Iesu Christi ad Apostolos: *qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit;* atque illud: *qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit* (4).

(1) Luc. 19, 14.

(2) Pius PP. X *E supremi Apostolatus*, 4 oct. 1903.

(3) Pius PP. X Ep ad Arch. Bonon. *La lettera circolare* ecc. 1 mart. 1905: vide quoque Enc. *Il fermo proposito* 11 iun. 1905.

(4) Ibidem, atque deinde instantius in Enc. *Pieni l'animo,* 28 iul. 1906.

498. Monitiones igitur et præceptiones S. D. N. Pii X, subsequentibus deinde ordinationibus et constitutionibus novis pro omni præsenti *catholica actione* obfirmatas, curent Episcopi ubique in usum et in prosperum rerum eventum adducere. Opportune deligant præstantes viros, qui omnibus præsint agendis rebus in singulis diœcesis finibus: videant ut consociati vel consociandi omnes probatis commendentur christianis moribus et debito erga Apostolicam Sedem obsequio: condi atque excitari curent comitatus parochiales et laudandas omne genus, populares præsertim opificum societates, quibus ipsi opifices sibi invicem iuvamen et amicitiam præstare possint et utili parsimoniæ studere; quin tamen nobilior negligatur earum finis, religiosa exequi officia et in virtutem christianam in dies amplius proficere. Parum enim esset opificum sortem temporalem meliorem reddere, nisi prius perfectior evadat eorum moralis et religiosa conditio (1).

499. Quotquot religionis et patriæ bono procurando student, iungantur unâ simul idoneâ *catholicâ actione* prælia Domini depræliari. Acriter illi obluctandum est, quam falso *civilitatem* appellant, quæque adversaria Dei est et Crucis Christi. Subveniendum est ingruentibus undique huius vitæ malis, non ea iactatione, quæ omnes velit hominum dolores atque ægritudines a mundo avellere; sed eâ fide, qua docemur oportere nos cum Christo compati ut cum illo conglorificemur; itemque oportere nos confratribus nostris solamini esse, ut Christo per hoc ipsum gratificantes, ipsis nobis saluti simus. Ut autem id assequi possimus, assidua in Deum pietas fovenda est; studium orationis adaugendum, ac virtutes excolendæ et enutriendæ: quas Apostolus, fructus Spiritus Sancti nominat et recenset, quæque sunt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longa-

(1) Cfr. Enc. *Graves de communi,* 18 ian. 1901.

nimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Atque ita, ut quotidie precamur, adveniet regnum Christi, primum quidem in cordibus nostris, deinde vero in omnium cordibus ac domibus, in vita publica atque privata, domestica et politica, in scholis atque officinis, in singulis artibus atque doctrinis, in singulis operibus atque consiliis; ut Dei beneplacitum adimpleatur, quod proposuit, *instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt* (1). — (V. Append. XXIV).

CAPUT ULTIMUM.

De Constitutionibus et Decretis Provincialis huius Synodi.

500. Quas ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem hactenus condidimus constitutiones et decreta, nemini liceat ignorare, sed qua par est assensione animi, studeant omnes opere perficere, exemplo invicem commendare. Decernimus ea omnia integram vim, firmumque robur habitura duos post menses ex quo primum die in valvis Metropolitanæ Ecclesiæ et aliarum singularum Diœceseon Cathedralium decretum promulgationis expositum fuerit. Illud etiam edicimus et præcipimus, ut eo ipso tempore in singulis nostris Archiepiscopali atque Episcopalibus Curiis, huius Concilii exemplaria ad legendum quibuslibet volentibus exhibeantur.

501. Amplius edicimus et præcipimus ut præfata decreta unusquisque Episcopus in proxima quoque diœcesana Synodo ad præscriptum Sacrorum Canonum et Con-

(1) Cfr. Encycl. *Il fermo proposito* ut supra.

cilii Tridentini promulgari curet (1). Quo vero stabilius, quæ nuper sunt præcepta, hæreant in animis omnium, illud etiam iubemus ut singulæ Cathedrales, Collegiatæ et Parochiales (2) Ecclesiæ exemplar harum Constitutionum in Archivo collocatum perpetuo asservent (3). Idem fieri iubemus a singulis clericorum Seminariis, a singulis Vicariis foraneis atque Abbatibus aliqua iurisdictione præditis.

502. Quo etiam alacrius in dies decretorum executio urgeatur, ipsi primum Episcopi latam legem memoriter teneant, deinde vero non raro ab ecclesiasticis viris pervolvendam curent et in memoriam repetendam. Pars aliqua legatur identidem in Congregationibus casuum tum urbi, tum in aliis diœcesis locis: aliqua itidem legatur pars in Collationibus Canonicorum.

503. Omnia et singula, vel nunc primum imperata et iussa, vel nunc pressius ad veteres leges instaurata, ita servanda esse decernimus, ut arctiores et laudabiliores singularum Ecclesiarum constitutiones et consuetudines salvæ semper in omnibus permaneant. Quæ vero in anteactis Mediolanensibus provincialibus Conciliis censuræ olim latæ sunt, sive a iure sive ab homine, nisi forte in præsenti hac nostra provinciali Synodo perstare adhuc monitum fuerit (4), eas omnes auctoritate Nostra aboleri volumus atque abolitas esse decernimus ac declaramus.

504. Magno denique animi gaudio, maxima « qua debemus humilitate et obedientia, Sanctæ Sedis Apostolicæ, omnium Ecclesiarum matris et magistræ, iudicio atque auctoritati omnia et singula quæcumque in hac provinciali

(1) Cfr. Conc. Pr. VI in fine, p. 776.

(2) Cfr. Conc. Pr. I, p. 155; II, p. 202; III, p. 282; IV, p. 496; V. p. 712; VI, p. 776.

(3) Ut supra.

(4) Vide retro n. 113.

Synodo sancita, decreta, actaque sunt, semper emendanda et corrigenda subiicimus (1) ».

† Nos ANDREAS C. S. R. E. tit. S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis FERRARI, Dei et Apostolicæ Sedis gratia *Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis* de consilio et assensu Reverendissimorum Coepiscoporum Nostrorum decrevimus et subscripsimus.

† Ego FRANCISCUS *Episcopus Papiensis* interfui et consentiens subscripsi.

† Ego HIEREMIAS *Episcopus Cremon.* interfui et consentiens subscripsi.

† Ego IACOBUS MARIA *Episcop. Brixien.* interfui et consentiens subscripsi.

† Ego IOAN. BAPT. *Episc. Lauden.* interfui et consentiens subscripsi.

† Ego HERNESTUS *Episc. Cremen.* interfui et consentiens subscripsi.

† Ego PAULUS CAROLUS *Episc. Mantuan.* interfui et consentiens subscripsi.

† Ego ALPHONSUS *Episc. Comensis* interfui et consensentiens subscripsi.

† Ego IACOBUS MARIA *Episcopus Bergomensis* interfui et assentiens subscripsi.

† Ego IOANNES DE DEO *Episc. Famaug. auxil. Mediol.* ab unanimi voto Patrum accepto suffragio assensi et subscripsi.

Infrascriptus Cancellarius Synodalis attestatur ac fidem facit exemplar hoc conforme esse originali exemplari quod depositum est in Archiv. Archiepiscopali Mediolanensi.

Mediolani, die 21 Septembris 1906.

Can. ANGELUS NASONI.

(1) Conc. Prov. II, 203.

SUMMO PONTIFICI

PIO PP. X

LITTERÆ SYNODICÆ

Beatissime Pater,

Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione, spirituali, in cœlestibus, in Christo (1).

Liceat hac sanctæ exultationis voce ad thronum Beatitatis Tuæ nos nunc provolare ac prosterni, quippe, quod non pauci Decessores nostri concupierunt, ac plus semel vehementi studio maturare frustra contenderunt, illud feliciter nobis tandem aliquando obvenisse gaudemus.

Consedentes siquidem per hos dies, non sine magna solemnitate ob sacrorum rituum splendorem ac frequentem sacerdotum et fidelium circumfluentium multitudinem, in totius huius provinciæ Episcoporum comitiis, gravissimum sane Pastoralis officii munus, Provinciale Concilium, quod a tercentis fere annis, temporum iniquitate, celebrari nequiverat, nos, Deo opitulante, summa consiliorum consensione, ac unanimi adstantium plausu, modo suscepimus atque absolvimus.

Sanctitatem Tuam profecto non latebat id consilii nos iam pridem cœpisse, cui aggrediendo Te quoque olim adfuturum sperasse testari dignatus es, et cui demum exequendo, mox quum manum apposuimus, Tu ipsemet et bonus auspex et efficax Apostolica Benedictione adiutor libenter

(1) Eph. 1. 3.

accessisti. Quod tamen ita mox fore compertum erat, gestimus Beatitudini Tuæ officiosis hisce litteris perfectum iam fuisse illico nunciare, *ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo* (2).

Vehementer enim nostri cuiusque animus angitur reputans paternum cor Sanctitatis Tuæ intimo in præsentiarum cruciari dolore, tum ob iniecta dilectæ Christi sponsæ Ecclesiæ, in proxima natione, arctiora ac sæva vincula, tum ob non temere obortum metum ne quorumdam iuniorum animus, freni impatiens, vel apud nos, ad suave Ecclesiæ matris jugum veluti excutiendum ac proiiciendum forte adducatur et proruat. Huic nos Optatissimi Patris angori mens fuit ac spes arridet solamen nostris his litteris afferre posse. Illud insuper Beatitati Tuæ audisse placebit, quod hæc civitas, quæ singulari ingenuarum humanarumque artium cultu ac pene omnigeno civili progressu, hoc anno vertente, quam maxime gloriatur ac iure merito quodammodo se iactat; eadem, *ne filii huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua* esse iudicentur, præclara etiam quadam catholicæ fidei et religionis manifestatione ac triumpho ita exornari visa est.

Libuit etiam per has litteras præcipua illa Sanctitatis Tuæ oculis brevissimo quodam conspectu proponere quæ in Dei gloriam et ecclesiasticæ disciplinæ præsidium statuere decrevimus; ex quo gaudium rursus pientissimo animo Tuo augeri plane confidimus. Nihil enim nobis antiquius fuit, in constitutionibus condendis, quam ut Te ducem ac magistrum prope sequeremur, iis iubendis vel commendandis quæ potissimum Beatitudo Tua per hos annos consulenda et præscribenda suscepit, ea mente ut omnia in Christo instaurentur.

(2) 2 Cor. 1. 4.

Porro in primis ad ea cavenda quæ hac nostra ætate maxime noxia esse una Tecum deflemus, recensuimus errores hæreses et opiniones pravas, quæ nunc latius serpere deprehenduntur, easque Sanctæ Sedis auctoritate iam confossas aut reprobatas, ipsimet toto pectore reiecimus, atque omnimo vetuimus, quominus in diœcesibus nostris palam vel clam, scripto aut verbis, doceantur, defendantur aut ullo modo teneantur. Insanam illam præsertim novitatum libidinem, qua aliqui illecti novam quamdam vitæ christianæ ordinationem coniectare, novas Ecclesiæ vias arripiendas denunciare, nova vota animæ modernæ adspiranda suadere, somniando conantur, confiximus ac profligandam curavimus.

Illum quoque effrenem, imo verius rebellem spiritum, quo nonnulli ita abripiuntur, ut arbitrentur se posse tuto pede Episcopis ac ipsi Romano Pontifici in religiosis quidem negotiis, ut aiunt, obedire; in ceteris vero, ac præsertim in publica civili actione ab eorum directione et potestate effugere ac veluti præcavere, condemnavimus ac depellendum prorsus a fidelium pectoribus graviter monuimus.

Ut autem bono etiam promovendo prospiceremus, quum unicuique nostrum, Te monente, Optime Pater, penitus persuasum sit gravissima *huius ætatis errata ex ignoratione divinarum rerum esse repetenda,* nihil potius urgendum decrevimus quam ut christianæ catechesi longe lateque tradendæ sedula cura navetur: christianæ doctrinæ opus esse actionem catholicam omnium præstantissimam palam prædicavimus, neque sine ea ullam catholicam actionem esse celebrandram ediximus. Ad saluberrimum præterea sacræ Eucharistiæ frequenter, imo quotidie, sumendæ usum etiam atque etiam christianam plebem hortati sumus atque omni studio impulimus. Denique quod Ipse in mentem Vicarii Tui pro alma urbe regenda paulo ante revocasti, vetus illud adagium: *qualis sacerdos sic populus,* animo alte de-

fixum habentes, iis normis quas nuper Italiæ Præsulibus imperare dignatus es, propius insistentes, non pauca ad cleri sanctitatem inde a Seminarî septis provehendam disponere ac iubere sategimus.

Profecto ad hæc omnia accuratius, quantum collatis consiliis fieri potuit, concinnanda, vehementer nos movebat Actuum quoque huius Ecclesiæ Mediolanensis superioribus sæculis digestorum insignis gloria ac merita communis laus: quam ut saltem non nimis a longe attingere ac quodammodo imitari, ob Sanctæ fidei exaltationem et plebium nobis commissarum salutem, minus ægre valeamus, Paterna Sanctitatis Tuæ Benedictio impetret, et misericors Deus, Sanctis Ambrosio et Carolo cœlitus protegentibus, large concedat.

Nunc maxima qua debemus humilitate et submissione, ut ipsis Prædecessorum nostrorum verbis utamur, *Sanctæ Sedis Apostolicæ, omnium Ecclesiarum matris et magistræ judicio atque auctoritati omnia et singula quæcumque in hac provinciali Synodo sancita, decreta actaque sunt, semper emendanda ac corrigenda subiicimus.* Ac simul perfectum voluntatum nostrarum obsequium et summam venerationem, qua Te, Pater Beatissime, prosequimur ac complectimur, ad Sanctissimos Pedes reverenter osculandos provoluti, depromimus ac declaramus. Tuisque nedum iussis, sed ipsissimis etiam consiliis et votis, nos et nobiscum cunctos sacerdotes nostros pie semper parituros esse profitemur ac spondemus. Hisce animorum sensibus ac propositis robur et firmamentum addat Apostolica Benedictio, quam super universos quoque nobis concreditos greges cupientibus animis efflagitamus.

Datum Mediolani 6 Sept., 1906.

Obsequentissimi Humillimi filii
etc. etc.

Dilecto filio Nostro ANDREÆ S. R. E. Presb. Card. FERRARI Archiepiscopo ceterisque Episcopis provinciæ Mediolanensis

PIUS PP. X.

Provinciale Antistitum Mediolanense Concilium nuper fuisse persolutum ex litteris officii plenis, quas tu conlegæque tui communiter dedistis, libenter accepimus. Cum iam pridem ab exordiis Deum enixe precati simus ut quod cœperatis opus, quam erat utile, tam etiam esset auspicatum, nunc fastigio rebus imposito, iucundissime lætamur vobis quod ex animi vestri sententia atque unanimi adstantium plausu et consensione omnia inita consilia processerint. Mercedem amplissimam, quæ apostolicos labores pro divina gloria æternaque animarum salute obitos manet ac merito consequitur, Deus iustus iudex vobis large persolvat ac simul quæ in communi concilio deliberastis, ea in diœcesium vestrarum utilitatem secundo faventeque numine Ipse vertat. Interea, effusæ benevolentiæ Nostræ pignus, Tibi, dilecte Fili Noster, ceterisque Venerabilibus Fratribus, Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die XVII Septembris MCMVI, Pontificatus Nostri anno quarto.

ACTA

INSTRUMENTUM

CONCILII PROVINCIALIS MEDIOLANENSIS VIII

Pateat cunctis præsentia acta inspecturis quod E.mus et R.mus in Christo Pater et D.nus Andreas C. Ferrari S. R. E. Cardinalis tituli S. Anastasiæ et ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Mediolanensis, cum statuisset comprovinciales Episcopos aliosque, qui de iure vel legitima consuetudine, congregare ad Synodum Provincialem in obsequium ordinationis ea super re latæ a Sacrosancto Concilio Tridentino, die instante ad conveniendum, nimirum in vesperis diei 29 augusti curr. anni millesimi nongentesimi sexti, edictum convocationis ad primam publicam seu generalem Congregationem per Cancellarium Archiepiscopalem publicari mandavit ad valvas Ecclesiæ Metropolitanæ, item ad album Curiæ Arch.palis et ad ianuam aulæ ad dictam publicam Congregationem destinatæ; ac insuper iussit sub vesperis initium Concilii annunciari per solemnem campanarum sonitum omnium Ecclesiarum, quæ Mediolani et in diœcesi sunt.

Pateat insuper quod tota ea actio synodalis, distributa in tribus Congregationibus publicis fuit, et totidem solemnibus Sessionibus, ac quod ea, quæ in eis dicta gestave sunt, fideliter exposita reperiuntur in sequentibus a me infrascripto Secretario Concilii redactis cum adsistentia atque adiumento notariorum synodalium in fine subscriptorum ad perpetuam rei fidem faciendam.

Prima Congregatio Publica.

In nomine Domini. Amen.

Anno a salutifera Redemptione millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus autem Pii P. X f. r. anno quarto, die 30 augusti, feria V, E.mus et R.mus Mediolanensis Metropolita, qui supra, ad solemnem campanarum sonitum omnium ecclesiarum quæ Mediolani sunt, præeuntibus clericis in minoribus, atque associante R.mo Capitulo Metropolitano, roccheto et mozzetta induto, simul cum R.mis Episcopis comprovincialibus Francisco Ciceri Ticinensi, Hieremia Bonomelli Cremonensi, Iacopo Corna-Pellegrini Brixiensi, Ioanne Bapt. Rota Laudensi, Hernesto Fontana Cremensi, Paulo C. Origo Mantuano, Alphonso Archi Comensi, Jacobo de comitibus Radini-Tedeschi Bergomensi, ac insuper Ioanne Mauri Ep. tit. Famaugustano atque Auxiliari Archiepiscopi Mediolanensis, necnon Paschali Morganti Ravennatensi Archiepiscopo (qui ad tempus Mediolani degebat, et de gratia Rmorum Patrum fuerat invitatus), omnibus roccheto, mantelletta et mozzetta indutis; sequentibus aliis qui vocati sive de iure sive de gratia ad Provincialem conventum fuerant, consonantibus campanis Ecclesiæ Metropolitanæ, accessit ad ipsam Ecclesiam Metropolitanam, in qua simul cum aliis adoravit SS. Sacramentum in altari maiori et oravit in subterranea crypta coram sacris Reliquiis Beatissimi Patris Caroli Borromæi. Exinde, eodem ordine servato, præcedente E.mo et R.mo Metropolitano, venerunt omnes ad aulam pro publicis Congregationibus designatam, quæ est aula in parte meridionali palatii Archiepiscopalis, quæ communiter inservit congregando Clero urbano pro casibus conscientiæ.

Primo E.mus Metropolitanus clara voce dixit orationem *Adsumus, Sancte Spiritus;* qua oratione recitata, consederunt omnes in locis suis, E.mus Metropolita quidem in throno sub umbello, alii vero R.mi Patres in sellis ante thronum E.mi in duplici æquali linea dispositis, servato ordine præcedentiæ prouti supra est indicatus.

Deinde E.mus Metropolitanus legit sermonem latinum de Concilio aperiendo ac postea breves litteras telegrammatice Romano Pontefici expediendas cum obtestatione filialis obsequii omnium congregatorum atque ad postulandam Apostolicam benedictionem (**Alleg. A**).

Quibus lectis, de mandato eiusdem E.mi Metropolitani Secretarius Concilii nunciavit nomina omnium Officialium Concilii, de consensu R.morum Patrum iam antea in privata Congregatione disposita (**B**); ac postea alta voce edixit: « R.mi et R.di D.ni, exeant omnes præter Episcopos et Officiales Concilii ».

Tunc R.mi Promotores instituerunt pro inchoatione Concilii. De mandato E.mi Metropolitani rogata sunt vota RR. Patrum; et vota sunt relata per Secretarium ad E.mum Metropolitanum, qui illi tradidit decretum de inchoatione Concilii legendum.

Quo lecto, per ostiarios ad id deputatos apertæ sunt fores; hisque apertis, per Secretarium conceptis verbis latinis vocati sunt generice omnes qui vellent audiri: « R.di Domini, si quis vestrum est, qui ad hanc Sanctam Synodum aliquid referre velit, datur ei libera dicendi facultas »; sed nemo comparuit.

Tunc speciatim vocati sunt latinis verbis a Secretario Procuratores Capitulorum Cathedralium iuxta ordinem præcedentiæ R.morum Episcoporum provincialium (duo viri pro singulis Capitulis), qui ingredientes aulam, adducti sunt per R.mum Archidiaconum Ecclesiæ Metropolitanæ ad E.mum Archiepiscopum, eique exhibuerunt suas procuratorias litteras.

Secundo vocatum est Capitulum Metropolitanum, ac Prælati aliqui regulares et sæculares invitati.

Tertio vocati sunt qui habebant ut eligerentur in Testes synodales;

Quarto Theologi et Canonistæ;

Quinto ii omnes qui de gratia fuerant per E.mum Metropolitanum ad Synodum invitati, sive ex Clero sæculari Mediolanensi, sive ex Ordinibus et Congregationibus religiosis Mediolani degentibus. Horum omnium series ordinata exhibetur in allegato (**C**).

Iterum Secretarius generice vocavit omnes qui vellent audiri, verbis ut supra conceptis; at nemo comparuit.

Per eundem Secretarium iussi sunt omnes de aula exire præter Episcopos, Officiales Synodi, Procuratores Capitulorum aliosque omnes invitatos et vocatos, clausæque sunt fores.

Quo facto R.mi Promotores institerunt pro legendis decretis *de modo vivendi, de præiudicio non afferendo, de non discedendo.*

Rogatis votis R.morum Patrum, de mandato E.mi Metropolitani per alterum ex lectoribus synodalibus proposita sunt decreta ut supra commemorata; quæ decreta, prouti fuerunt enunciata, placuerunt omnibus R.mis Patribus.

Rursus Promotores institerunt pro deputandis Iudicibus querelarum et pro promulgandis diebus Congregationum publicarum.

De his quoque, post rogatam R.morum Patrum sententiam, decreta lecta sunt per Secretarium, cum placito eorumdem Patrum.

Tunc de mandato E.mi Metropolitani Secretarius interrogat singillatim R.mos Patres, utrum eis placeat R.mum Episcopum Famaugustanum et Auxiliarem Archiepiscopi Mediolanensis sedere in Concilio cum suffragio decisivo (**D**); et omnes quidem R.mi Patres usque ad unum in eam rem gratiose et unanimiter consenserunt.

His absolutis, R.mus Pater Brixiensis de sede sua legit sermonem, edisserens in genere de obiecto decretorum conciliarium.

Quo sermone audito, R.mi Promotores institerunt de proponendis et discutiendis decretis, si qua sint roganda in Concilio.

Post cognitam R.morum Patrum sententiam, E.mus mandat legi aliqua ex iam dispositis ac concinnatis decretis, quæ nimirum numerantur in titulo I decretorum sub quatuor capitibus.

Nemo ex præsentibus interrogavit de mutando, corrigendo aut addendo.

Cum vero, post lectionem decretorum, Secretarius Concilii rogaret, de mandato E.mi Metropolitani, sententiam Patrum his conceptis verbis: « R.mi Patres, decreta modo lecta placentne vobis, ita ut publicari queant in solemnibus Sessionibus »; Rmus

Pater Laudensis facultatem sibi reservavit nonnullas emendationes de consensu aliorum R.morum Patrum inducendi. Cumque in sententiam R.mi Episcopi Laudensis devenissent tum ipse E.mus Metropolitanus tum ceteri R.mi Patres, suspensum fuit suffragium approbativum decretorum, suo tempore rogandum post privatam R.morum Patrum Congregationem.

Promotores tunc institerunt pro professione fidei a R.mis Patribus in proxima Sessione emittenda in obsequium Tridentinæ sanctionis.

Ex habita Patrum sententia, de mandato E.mi Metropolitani Secretarius legit decretum de professione fidei emittenda, atque enunciat E.mum Metropolitanum fidem professurum iuxta consuetam formulam Pii IV cum additamentis Pii IX, reliquos vero Patres iuxta formulam breviorem in Conciliis anterioribus ad id usitatam.

Hæc autem placuerunt omnibus R.mis Patribus.

Postremo Secretarius admonet primam solemnem Sessionem conciliarem, ex decreto R.morum Patrum, habendam fore in Ecclesia Metropolitana proxima die prima septembris, hora octava ante meridiem.

His peractis, cum esset hora meridiana cum quadrante, E.mus Metropolitanus ac R.mi Patres finem publicæ Congregationis fecerunt, et ordinatim cum ceteris reversi sunt ad domum Archiepiscopalem et dehinc ad sua.

Can. Angelus Nasoni
Secretarius Concilii.

Prima Sessio Solemnis.

In nomine Domini. Amen.

Anno a salutifera Redemptione millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus autem Pii P. X anno quarto, die prima septembris, sabbato, qui dies aperiendæ Synodo fuerat indictus, hora octava.

E.mus ac R.mus Cardinalis Andreas Carolus Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis, comitantibus Episcopis provincialibus

(excepto R.mo Cremonensi, valetudinis causa domi detento), necnon R.mo Paschali Morganti Archiepiscopo Ravennatensi atque aliis ad Synodum vocatis seu invitatis cum insignibus choralibus, a Palatio suo descendit per viam subterraneam ad Ecclesiam Metropolitanam, ad sonitum campanarum et organorum; ibique unusquisque constitit in loco sibi designato, R.mi autem Patres in illa parte chori quæ secus thronum Archiepiscopalem consuevit destinari Episcopis qui sacris adsistunt functionibus. E.mus accessit ad faldistorium, deinde ad thronum dum canebatur hora Nona; qua finita, celebravit Missam solemnem *de Spiritu Sancto,* in qua schola cantorum Metropolitana ad sonitum organi aliquos motectos cecinit.

Post Missam, deposita planeta, ipse atque ceteri Episcopi præsentes, necnon Abbates atque Archipresbyter Parochus S. Ioannis Bapt. Modœtiæ, induerunt pluviale rubei coloris; E.mus Metropolita et Episcopi quidem cum mitra auriphrigiata, reliqui cum mitra linea alba.

Tum E.mus Metropolita rursus accessit ad altare, ubi inchoavit antiph. *Exaudi nos Domine,* quam prosecuti sunt cantores de beneficiatis Metropolitanæ simul cum psalmo 68 *Salva me Deus.*

Legit deinde E.mus orationem *Adsumus* atque subsequenter orationem *Omnipotens* etc. ut in Pontificali Romano.

Genuflexis omnibus, cantores chori inchoarunt *Litanias Sanctorum;* et his finitis E.mus cecinit orationem *Da, quæsumus* etc., et ad thronum ascendit.

Tum Archidiaconus Ecclesiæ Metropolitanæ accessit ad lectorile pro cantu Evangelii; ac postea præsentibus intonuit: *Cuius cura non est, recedat.*

Statim E.mus Metropolita inchoavit hymnum *Veni Creator,* quem cantores prosecuti sunt alternis vocibus cum Clero synodali; interea populus, non citra difficultatem, dimittitur per ostiarios, et fores Ecclesiæ clauduntur.

Ad locum suum sessionalem Episcopi ceterique omnes sese contulerunt, qui quidem sic erat dispositus, ut in parte mediana chori senatorii, prout dicitur, versus altare in medio sederet in

faldistorio sine baldachino E.mus Metropolita; Episcopi vero in specialibus sellis ornatis per duas lineas facies contra faciem ordinati ante E.mi faldistorium constiterant.

Omnibus consedentibus, E.mus Metropolitanus legit brevem sermonem latino eloquio exaratum.

Tum Secretario mandavit, quatenus promulgaret notulam *de officialibus et ministris Concilii.*

Qua lecta, Promotores pluviali induti, institerunt coram Metropolitano pro evulgatione decreti de Concilio inchoando. E.mus, audito voto R.morum Patrum comprovincialium per rogationem a Secretario factam, mandavit legi decretum *de Concilio aperiendo,* quod lectum est statim per Secretarium e suggestu (**E**).

Iterum Promotores institerunt de vocandis omnibus qui ex iure vel consuetudine interesse debent Concilio Provinciali.

Secretarius, dispensata per E.mum Metropolitanum vocatione R.morum Patrum, vocavit singillatim Procuratores Capitulorum Cathedralium Provinciæ, qui omnes adsunt; ceteros vero tantum summarie; admonuit tamen vocationem fieri posse in continuatione Sessionis.

Tertio R.mi Promotores postulationem fecerunt de consecrando Concilio Prov. VIII Mediolanensi B. V. Immaculatæ.

Audita Patrum sententia, Metropolita mandat Secretario legi specialem formulam precatoriam, qua Ipse aliique Patres Concilium sacrant Deiparæ Virgini Immaculatæ

Quarto Promotores institerunt pro evulgatione decretorum *de modo vivendi, de præiudicio non afferendo, de non discedendo,* necnon *de iudicibus querelarum,* atque etiam *de diebus Congregationum publicarum,* in quibus omnes possent audiri.

Rogato et relato R.morum Patrum suffragio, ea decreta sunt per Secretarium proposita (**F G H**).

Præterea R.mi Promotores institerunt pro fidei professione emittenda a Patribus Concilii ad tramitem Tridentinæ sanctionis.

De consensu R.morum Patrum, E.mus Metropolita mandavit ut legeretur de ea re decretum (**I**), ac deinde omnibus stantibus, deposita mitra et flexis genibus, altare versus, manu dextera Evangelium tangens, legit formulam professionis fidei longiorem,

ut in usu est. Quo facto sedit cum mitra, et R.mi Patres provinciales, (excepto Cremonensi, qui non aderat), accedentes secundum præcedentiæ suæ ordinem ad E.mum Metropolitanum, præsentibus, tamquam testibus, duobus Concilii notariis, videlicet sacerdotibus Angelo Casati et Aloysio Moneghini, fidem professi sunt, tacto textu Evangelii, iuxta formulam breviorem (**K**). Quo facto, Promotores institerunt contra absentes. Et de consensu R.morum Patrum, Secretarius, habito mandato ab E.mo Metropolitano, legit decretum *contra absentes a Concilio* (**L**); et quia aberat, ut dictum est, R.mus Pater Cremonensis, Episcopus Papiensis seu Ticinensis spopondit se cum cœteris iudicibus excusationum inquisiturum fore ac relaturum de causis absentiæ eiusdem.

R.mi Promotores post hæc institerunt pro promulgatione decretorum iam in anteriori publica Congregatione propositorum.

Secretarius rogat E.mum Metropolitanum, quatenus declarare dignetur ante promulgationem decretorum, utrum ea iam sint a R.mis Patribus definitive concordata atque utrum ex reservatione facta in anteriori publica Congregatione a R.mo Patre Laudensi, ab aliis Patribus acceptata, in ea decreta, post propositionem in Congregatione publica peractam, substantiales mutationes inductæ fuerint, necne.

Postquam autem tum E.mus Metropolita tum Patres respondissent se decreta modo legenda approbasse, in eaque nullam inductam fuisse substantialem mutationem, Archidiaconus Ecclesiæ Metropolitanæ accessit ad E.mum, ab eoque accepit fasciculum decretorum. Qui in suggestum ascendens, legit *præfatiunculam* in decreta (**M**); ac deinde tradidit lectori fasciculum decretorum ad legendum.

Lector evulgavit decreta omnia quæ sunt in cap. I et II, tit. I — de Fide.

Et cum iam hora meridiana adventaret, R.mi Promotores steterunt coram R.mis Patribus ac petierunt, quatenus intermitteretur Sessio, reassumenda horis pomeridianis.

Idque cum placuisset E.mo Metropolitano ac R.mis Patribus,

Secretarius omnes monuit de prorogatione Sessionis in vesperis ab hora decima quinta.

E.mus Metropolitanus manu benedicit Synodo, et depositis sacris paramentis, ordinatim viri synodales omnes ad Palatium Archiepiscopale se contulerunt, ac deinde ad sua se receperunt.

Continuatio primæ Sessionis.

Hora decima quinta, seu tertia post meridiem, iterum E.mus Metropolitanus simul cum R.mis Patribus omnibus, comitantibus vocatis et invitatis ad Concilium, descendit de Palatio Archiepiscopali ad Ecclesiam Metropolitanam, in qua assumptis mitris cum pluvialibus, omnes in proprio loco consederunt.

Recitata ab E.mo Metropolita oratione *Adsumus,* ab eomet tradita est Secretario evulganda declaratio absentiæ R.mi Patris Cremonensis a R.mis Iudicibus querelarum exarata et ab E.mo Metropolitano acceptata (**N**).

Tum fit vocatio generalis, præter tamen Episcopos, cum in ea re E.mus Metropolitanus dispensasset. Ex testibus synodalibus aberant R.mi Pozzi Ioseph, Aloysius Fè, et Andrea Cappellazzi; ex theologis et canonistis: Stucchi Arturus, Montanelli Iacobus, Rossi Anastasius, Ballerini Ioseph; ex invitatis pro gratia: Nazari Alexius, Mossolini Cæsar, Borroni Paulus; e regularibus Georgius Fell (qui se excusavit), Saluzzo Laurentius, Antomietti Benedictus, Panizzardi Camillus.

Promotores inst📋iterunt pro lectione litterarum Apostolicarum *Pieni l'animo* die 27 iulii c. a. datarum, in ea parte quæ respicit prædicationem verbi Dei et doctrinam christianam; necnon pro promulgatione decretorum Concilii.

Rogata sententia Patrum, E.mus mandavit legi præindicatas litteras Apostolicas, et continuari lectionem decretorum.

Quod statim factum est per lectores conciliares, et lectio absolvitur ad finem tituli I.

Qua lectione conclusa, E.mus Metropolitanus mandavit Secretario promulgari indulgentias favore Concilii concessas per

litteras Apostolicas in forma Brevis, sub die 9 iulii c. a. Romæ datas. Idque Secretarius illico peregit.

Promotores institerunt pro die dicenda ad alteram solemnem Sessionem. Et de assensu Patrum, E.mus Metropolitanus per Secretarium edixit proximam Sessionem habendam esse die quarta septembris, hora octava in Basilica Metropolitana.

Demum Promotores institerunt pro rogito, quibus annuit Secretarius, rogatis tamquam testibus idoneis Rmis Caietano Pozzi et Cæsare Viola Canonicis ad honorem Ecclesiæ Metropolitanæ, qui integræ Sessioni adfuerant.

Et ad iis omnibus fidem faciendam Secretarius præsenti instrumento in forma confecto, se subscripsit simul cum duobus rogatis testibus, prouti sequitur.

Can. ANGELUS NASONI, *Secretarius Concilii.*
Can. CAIETANUS POZZI, *Testis rogatus.*
Can. CÆSAR VIOLA, *Testis rogatus.*

Secunda Congregatio Publica.

In nomine Domini. Amen.

Anno a salutifera Redemptione millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus autem Pii P. X, anno quarto, die 3 septembris, feria II, hora nona. E.mus et R.mus Metropolitanus cum R.mis Patribus comprovincialibus de loco habitationis suæ accessit ad locum pro publicis Congregationibus designatum; ceteris vocatis et invitatis ad sedes suas stantibus.

Congregatio præsens fuit indicta per affixionem tabellæ tum ad ianuam aulæ ad eam destinatæ, tum ad album Curiæ Archiepiscopalis, tum ad valvas Basilicæ Metropolitanæ.

Recitata oratione *Adsumus* ab E.mo, statim vocati sunt per Secretarium omnes qui audiri vellent, sicuti in priori Congregatione publica.

Nemine comparente, fores clausæ sunt; et tum Secretarius appellavit omnes vocatos et invitatos.

Postea Secretarius legit de mandato E.mi Metropolitani lit-

teras responsionales a Romano Pontifice telegrammatice missas (**O**).

Promotores petierunt continuari propositionem et discussionem decretorum conciliarium.

Rogata sunt vota Patrum, et responderunt: *Placet.*

Lectores turnatim legerunt decreta iam disposita sub titulo II: *de Sacramentis, de Sacramentalibus,* et *de Indulgentiis;* et priora duo capita tit. III, qui inscriptus est *De Cultu Divino.*

In num. 130 alter ex Procuratoribus Capituli Metropolitani Mediolanensis advertit nimium quid esse si, præsertim in parœciis populo frequentioribus, prohibeatur asservantia Sacri Olei in domibus canonicis, suo apto modo.

In n. 160 alter e Procuratoribus Capituli Brixiensis declaravit sibi rigorem aliquem sapere vetitum generale, ne filii familiæ ad matrimonium admittantur citra consultum Episcopi, quum parentes iniuste dissentiunt.

In n. 163 idem Procurator Capituli Mediolanensis, qui supra, exposuit in praxi eam legem applicari non posse, quæ est de matrimonio non iungendis his qui ignorant christianæ doctrinæ rudimenta.

In n. 168 alter e Procuratoribus Capituli Cremonensis petiit, quatenus inter media ad dignoscendam status libertatem, enumerentur proclamationes canonicæ.

A pluribus hoc in loco postulatum fuit: *a*) ut processus status liberi matrimonialis in concinniori eaque faciliori forma redigi possint; *b*) ut facultas recipiendi attestationes aut etiam deferendi iuramentum suppletorium pro status libertate ad matrimonium, omnibus parochis indulgeatur.

E.mus Metropolita, rogata Patrum sententia, respondit super his omnibus esse decernendum ac, quatenus videatur, providendum in proximis Congregationibus privatis.

Et cum Promotores horæ tarditatem accusassent, ac simul petiissent Congregationem prorogari ad horas pomeridianas, E.mus Metropolitanus, audito voto Patrum, utrique rei assensus est, et mandavit conformiter esse faciendum, ac Congregationem continuari ab hora decima quinta cum dimidia. Deinde

ad aulas suæ habitationis cum R.mis Patribus se recessit. Erat autem hora meridiana.

Continuatio secundæ Congregationis Publicæ.

Hora decima quinta cum dimidia R.mi Patres cum E.mo Metropolitano ad aulam Congregationis iterum se contulerunt, aliis iam adstantibus.

Recitata oratione *Adsumus,* statim facta est per Secretarium vocatio eorum qui utcumque audiri vellent; at nemo comparuit.

Audita, post petitionem Promotorum, sententia Patrum, E.mus Metropolitanus mandavit fieri lectionem decretorum conciliarium.

Id statim factum est a lectoribus per turnum; et proposita sunt decreta quæ recensentur in tit. III a cap. tertio usque ad finem, et ea quæ continentur tribus prioribus capitibus tit. IV.

In n. 282 alter e Procuratoribus Capituli Cremonensis petiit declarari funera eorum quorum cadavera deferuntur per vias ferreas, spectare ad parochum proprium, et in eius defectu ad Capitulum Cathedrale. Quæ animadversio statim acceptata est unanimi consensu a R.mis Patribus.

Et cum hora esset decima septima cum quadrante, E.mus Metropolitanus mandavit Congregationem ad finem adduci.

Tum Secretarius, de mandato eiusdem E.mi Metropolitani, rogavit sententiam Patrum, quatenus decreta in hac publica Congregatione proposita promulgari queant in solemni sessione sequenti die celebranda.

Cui rogationi Patres unanimiter responderunt: *Placet.* De eaque re E.mus Metropolitanus conformiter disposuit.

E.mus Metropolitanus benedixit præsentibus, et quo ordine accesserant, recesserunt omnes ad ædes Archiepiscopales, deinde ad sua quisque.

Can. ANGELUS NASONI
Secretarius Concilii.

Secunda Sessio Solemnis.

In nomine Domini. Amen.

Anno a salutifera Redemptione millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus autem Pii P. X anno quarto, die IV septembris, feria tertia, hora octava.

E.mus ac R.mus Cardinalis Andreas C. Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis, simul cum R.mis Episcopis provincialibus, excepto tamen Cremonensi qui etiam tum valetudine laborabat, et cum ceteris vocatis et invitatis sive de iure sive de gratia, descendit per viam consuetam ad basilicam Metropolitanam, in qua receptus est ad pulsationem campanarum et ad sonitum organorum.

Omnia peracta sunt ut in prima sessione.

Missam cum insigniis pontificalibus legit R.mus Pater Bergomensis, et inter eam schola cantorum Metropolitana dulces motectos consonuit.

Missa absoluta, E.mus inchoavit ant. *Propitius esto,* quam prosecuti sunt cantores chori; secutus alternatim a choro et universo clero cantus psalmi *Deus venerunt gentes.* Post antiphonam repetitam, E.mus Metropolitanus legit orationes *Nostrorum tibi, Mentibus nostris* et *Deus qui nos iustitiam,* prouti in Pontificali Romano.

Ab Archidiacono cantatum est Evangelium, ordine ut in prima Sessione, ipseque postea clamavit: *Cuius cura non est recedat.*

Deinde de suggestu synodali R.mus Pater Cremensis legit concionem ad Concilium de necessitate conservandæ fidei.

E.mus Metropolitanus inchoavit hymnum *Veni Creator.* Quo perfecto, sederunt omnes in locis suis, Episcopi et prælati cum mitris.

Per Secretarium, de mandato E.mi Metropolitani, facta est vocatio Procuratorum Capitulorum, universalis facienda si forte Sessio proroganda esset.

Tum Promotores accedentes institerunt pro promulgandis decretis in publica Congregatione iam propositis et discussis.

E.mus Metropolitanus, audito voto Patrum, iussit de suggestu legi ab Archidiacono *Præfatiunculam* in lectionem decretorum. Lector ascendit deinceps suggestum et alta voce legit decreta.

Promulgata autem sunt decreta prouti congeruntur in decem capitibus tituli II et in duobus prioribus capitulis Tituli III.

Et cum hora meridiana iam propinqua esset, Promotores petierunt suspendi promulgationem decretorum, reassumendam horis vespertinis, in continuatione Sessionis, si hæc placeret R.mis Patribus.

Quorum habito consensu, E.mus Metropolita mandavit suspendi Sessionem, eamque prorogari ab hora decima quinta.

Deinde E.mus Metropolitanus benedicit Concilio nihil dicens, atque depositis paramentis, una cum R.mis Episcopis provincialibus, cœteris associantibus, ad ædes suas se recepit.

Continuatio secundæ Sessionis Solemnis.

Hora indicta convenerunt omnes in Basilica Metropolitana ad continuandam Sessionem.

Post assumpta paramenta sacra et recitatam ab E.mo Metropolitano consuetam orationem, sederunt omnes in locis suis.

Vocati sunt postea a Secretario omnes qui de iure vel de gratia interesse debebant, dispensata per E.mum Metropolitanum vocatione Episcoporum provincialium, qui omnes aderant.

Aberant autem ex testibus synodalibus: R.mi Ioseph Pozzi (ægritudine et senectute domi detentus), Andreas Cappellazzi, valetudinis causa; ex theol. et canon.: Ioannes Pionni item valetudinis causa; ex invitatis pro gratia: Philippus Roncari, Alexius Nazari, Rodulphus Dossi, Paulus Borroni, Mossolini Cæsar, Barzaghi Iosue; hic postremus se excusavit, nimirum propterea quod curæ animarum officiis distineretur; ex regularibus: P. Fulgentius Del Piano, Stella Henricus, Laurentius

Saluzzo, Aloysius Oggioni, Antomietti Benedictus, Camillus Panizzardi.

Facta appellatione, Promotores instíterunt pro professione fidei facienda a R.mo Patre Cremonensi, qui absens fuerat in præcedenti Sessione. E.mus autem Metropolitanus, audito voto Patrum, decrevit professionem emitti privatim coram se et testibus in sacello Archiepiscopali.

Post novam Promotorum instantiam, et rogato placito R.morum Patrum, lectores prosecuti sunt promulgationem decretorum Conciliarium; ita ut ea omnia sint lecta quæ in anteriori publica Congregatione proposita fuerant ac discussa.

Lectione absoluta, Promotores instíterunt pro indictione tertiæ Sessionis solemnis.

E.mus Metropolitanus vult audire R.mos Patres de Sessione tertia indicenda pro die sexta septembris, hora octava cum dimidia, ac insuper pro celebratione Missæ solemnis pro defunctis Episcopis provincialibus die septima septembris in Basilica Metropolitana. Qui cum respondissent *placet,* statim per Secretarium indictiones tum pro Sessione tertia tum pro Missa defunctorum sunt enunciatæ.

Promotores instíterunt pro rogito, quem faciendum se curaturum spopondit Secretarius, accitis tamquam testibus idoneis R.mis Antonio Quaglia et Caietano Pozzi, Canonicis ad honorem Basilicæ Metropolitanæ, qui toti Sessioni præsentes fuerant. Tandem E.mus Metropolitanus benedixit solemniter et, exutis paramentis, omnes se receperunt ad Palatium Archiepiscopale et exinde ad propria.

Ac pro horum omnium fide, equidem infrascriptus Secretrarius Concilii præsens instrumentum confeci in forma, ac me subscripsi simul cum duobus testibus iam designatis prouti sequitur:

Can. Angelus Nasoni, *Secretarius Concilii.*
Can. Antonius Quaglia, *Testis rogatus.*
Can. Caietanus Pozzi, *Testis rogatus.*

Tertia Congregatio Publica.

Hæc tertia Congregatio, sicut et aliæ, indicta fuit per affixionem tabellæ a Secretario Concilii subsignatæ in locis consuetis.

Hora octava cum dimidia, ceteris iam præsentibus ac stantibus, E.mus Metropolitanus atque alii R.mi Patres Concilii ingressi sunt aulam publicis Congregationibus destinatam.

Recitata oratione *Adsumus,* Secretarius verba protulit de libera omnibus data facultate referendi.

Tunc alter ex testibus synodalibus Bergomensibus humiliter petiit fieri per R.mos Patres postulationem ad S. Sedem, quatenus dignetur indulgere mulieres religiosas, quæ consuescunt quotidianæ comunioni, posse SS. Eucharistia interdum refici etiam non ieiunæ si ægrotaverint.

Insuper lecta est per Secretarium petitio quædam procuratorum omnium Capitulorum Cathedralium huius Provinciæ, qua supplicabatur, ut omnibus diœcesibus Provinciæ indulgerentur largitates quædam pro abstinentia recenter diœcesi Bergomensi applicatæ.

Et cum alii non essent qui audiri vellent, Secretarius ostiariis mandavit fieri extra omnes præter vocatos et invitatos ac fores claudi. Quod statim peractum est.

Promotores petierunt tunc continuari propositionem et discussionem decretorum, si quæ alia proponenda et discutienda essent. Audita Patrum sententia, E.mus Metropolitanus mandavit continuari propositionem et discussionem decretorum.

Proposita autem sunt decreta omnia quæ sunt a c. 4 usque ad finem tit. IV.

In n. 323 alter e Procuratoribus Capituli Brixiensis postulavit declarari exemptionem a choro propter animarum curam extendi omnibus qui sunt choro adscripti, dummodo constet de Episcopi consensu et ceteroquin chorale servitium non deficiat.

In n. 367 nonnulli e Procuratoribus Capitulorum observarunt textus seu libros scholasticos latina lingua conscriptos op-

portunos atque utiles quidem esse; verum docentium explicationem vulgari eloquio esse discipulis tradendam, præsertim quoad ecclesiasticam historiam et scientiam biblicam.

Item alter e testibus synodalibus diœcesis Bergomensis petiit fieri revisionem et redactionem in meliorem formam rationis studiorum nunc vigentis pro huius Provinciæ Seminariis.

Rursus alter e testibus synodalibus Cremonensibus ostendit in Seminariis opus esse impendendum etiam studio legum civilium de re ecclesiastica; ex earum enim ignorantia detrimenta plura patiuntur et Clerus et bona ecclesiastica.

In n. 418 alter e testibus synodalibus Bergomensibus asseruit necessitatem instantem providendi conservationi bonorum immobilium ecclesiasticorum, quæ iure tantum ecclesiastico ad Ecclesiam pertinent.

In n. 445 alter e Procuratoribus Capituli Papiensis petiit decerni mulieribus religiosis licentiam quæritandi aut circumeundi quocumque sub prætextu esse denegandam, nisi antea constiterit de locis in quibus eæmet noctem transigere statuerint.

Alter e testibus synodalibus Bergomensis diœcesis exposuit mulieres religiosas in quibusdam recentibus Institutis nimium propere ad opera charitatis seu ad alia, e domibus preparatoriis dimitti, unde fit ut nullo ferme religioso spiritu excultæ sint, et interdum sibi et aliis quoque spiritualiter noceant.

Cum vero deventum esset ad finem tituli IV, E.mus Metropolitanus lectionem suspendi iussit et rogari sententiam Patrum de perlectis et propositis decretis, salvis paucis emendationibus in privata Congregatione approbandis. R.mi Patres per Secretarium rogati responderunt: *Placent.*

Tunc promotores instantiam ediderunt pro deputandis testibus synodalibus. Et rogata sententia Patrum, E.mus Metropolitanus edixit de testibus synodalibus esse pertractandum in proxima privata Congregatione; nomina autem eorum publicanda fore in Sessione solemni crastina die habenda.

Rursus Promotores instituerunt pro solemnioribus festivitatibus in tota Provincia celebrandis anno 1910, recurrente tertio

centenario anno a Canonizatione S. Caroli Borromæi. Audita Patrum sententia, E.mus annuit petitioni et mandavit fieri decretum in Sessione solemni promulgandum.

Promotores præterea instantiam fecerunt pro specialibus festivitatibus celebrandis anno 1908, quum Romanus Pontifex Pius P. X quinquagesimum a suscepto sacerdotio annum attinget. Et audita sententia Patrum, E.mus annuit pariter petitioni et mandavit de ea re provideri in Sessioni solemni.

Demum Promotores petiverunt mitti a R.mis Patribus litteras conciliares ad Episcopos Galliarum qui in præsenti pro Ecclesiæ dimicant libertate. Assensi sunt E.mus Metropolitanus et R.mi Patres.

Cum vero iam hora rueret meridiana, ad instantiam Promotorum, et rogata Patrum sententia, E.mus Metropolitanus congregationem suspendit, eamque prorogavit ad horam decimam quintam seu tertiam post meridiem. Deinde ad aulas suæ habitationis una cum R.mis Patribus ordinate recessit.

Continuatio Tertiæ Congregationis Publicæ.

Hora statuta E.mus et R.mi Patres Concilii denuo accesserunt ad aulam publicis Congregationibus destinatam, ceteris iam adstantibus.

Recitata ab E.mo Metropolitano oratione *Adsumus,* data est per Secretarium libera dicendi facultas omnibus præsentibus. Tum alter e Canonistis diœcesis Papiensis quæsivit declarari a R.mis Patribus, utrum *Consilium vigilantiæ* quoad bona ecclesiastica, de quo in n. 419 decretorum eo mane perlectorum habeat votum decisivum vel tantum consultivum. Responderunt unanimiter R.mi Patres eiusdem votum esse solummodo consultivum.

Alter autem e Procuratoribus Capituli Mediolanensis institit verbis assiduis quoad necessitatem commutandi chartas publici valoris seu syngraphas seu titulos, quæ pertinent ad ecclesiastica instituta, cum id vergit in evidentem horum utilitatem.

R.mi Patres unanimiter responderunt rem esse iuxta regulas canonicas ad S. Sedem referendam in casibus singulis.

Quibus declaratis, facta est per Secretarium, de mandato E.mi Metropolitani, vocatio omnium qui adesse utcumque debent.

Et ad petitionem Promotorum, E.mus Metropolitanus, relato prius suffragio Patrum, iussit continuari et ad finem adduci lectionem decretorum conciliarium.

Quod statim factum est per lectores, adeo ut sint proposita decreta omnia quæ recensentur sub titulo V.

Nulla autem quæstio et discussio mota est. Et cum decreta, prouti fuerunt lecta et proposita, placuissent R.mis Patribus, E.mus mandavit ea cum antecedentibus promulgari in proxima Sessione solemni.

Cum vero ea omnia fuissent absoluta et conclusa, quæ erant in publicis Congregationibus finienda, E.mus Metropolitanus benedixit præsentibus et more solito cum R.mis Patribus ad propria est reversus. Erat autem hora quasi decima septima cum dimidia.

Tertia Sessio Solemnis.

In nomine Domini. Amen.

Anno a salutifera Redemptione millesimo nongentesimo sexto, Pontificatus autem Pii P. X anno quarto, die vero 6 septembris, feria quinta, hora octava.

E.mus et R.mus Cardinalis Andreas C. Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis, R.mi Patres qui supra, ceterique viri conciliares convenerunt ad Ecclesiam Metropolitanam. Quoad Missam et preces initio Sessionis, omnia peracta sunt ut in antecedenti Sessione, ad formam Pontificalis Romani. Missam celebravit R.mus Pater Mantuanus, et schola cantorum aliquos suavibus vocibus motectos modulata est. Sermo non est habitus post cantum hymni *Veni Creator.*

De mandato E.mi Metropolitani Secretarius fecit vocatio-

nem eorum omnium qui interesse debent, dispensata appellatione R.morum Patrum qui omnes aderant. Paucissimi aberant et quidem ætate aut infirmitate debilitati.

Iterum de mandato E.mi Metropolitani Secretarius annunciat R.mum Patrem Cremonensem, fidem coram E.mo professum esse ad tramitem Concilii Tridentini (**P**).

Tunc Promotores instituerunt pro facienda promulgatione decretorum hesterna die in publica congregatione propositorum, antea autem pro legenda aliqua parte litterarum Apostolicarum *Pieni l'animo* die 28 iulii c. a. datarum, quæ est de cleri informatione.

Quæ pars litterarum Apostolicarum cum per Secretarium lecta esset, E.mus Metropolitanus, rogata Patrum sententia, mandavit legi per Archidiaconum *Præfatiunculam* in decreta, et postea ipsa decreta promulgari.

Et fuerunt promulgata decreta omnia quæ sunt in titulo IV a cap. 4 usque ad finem. Cumque hora meridiana immineret, post instantiam Promotorum E.mus Metropolitanus, audito prius voto Patrum, iussit Sessionem suspendi atque eam continuari pro fine Concilii ab hora decima quinta in vesperis. Et depositis paramentis, ordine servato processerunt omnes ad ædes Archiepiscopales.

Continuatio tertiæ Sessionis Solemnis.

Hora decima quinta rursus accesserunt omnes ad Basilicam Metropolitanam; ac resumptis paramentis, recitata est per E.mum Metropolitanum oratio *Adsumus,* ceteris stantibus in locis suis sessionalibus.

Huic Sessioni, honoris causa et de gratia R.morum Patrum, interfuerunt etiam R.mi Paschalis Morganti Archiepiscopus Ravennatensis et Carolus Castelli Archiepiscopus electus Firmanus.

Primo Promotores petiverunt perduci ad finem promulgationem decretorum, ac prius legi excerpta aliqua ex iam citatis litteris Apostolicis, quæ sunt *de actione catholica.*

Et ita quidem factum est de mandato E.mi Metropolitani.

Et absoluta lectione omnium decretorum, ad eorum evulgationem, rogati sunt Patres de proprio suffragio quoad definitivam decretorum approbationem.

Qui responderunt omnes *Placent,* et E.mus Metropolitanus ad relationem Secretarii exclamavit: *Deo gratias!*

Tunc E.mus Metropolitanus iussit publicari per Archidiaconum approbationem a R.mis Patribus datam omnium decretorum conciliarium (**Q**).

E.mus tradidit Secretario legendum decretum de testibus synodalibus Concilii Provincialis Mediolanensis VIII; quod statim lectum est a Secretario cum nominibus eorum qui ad id muneris sunt deputati (**R**).

Hi autem accesserunt omnes, præter unum Mediolanensem Iosephum Pozzi qui debilitatus domi iacebat, ad E.mum Metropolitanum, et adstantibus duobus notariis Concilii, sacerdotibus Calchi-Novati Petro et Aloysio Moneghini, altero ex his præmonente, tactis SS. Dei Evangeliis, iuraverunt se esse fideliter adimpleturos officium sibi commissum (**S**).

Deinde Secretarius, acceptis foliis ab E.mo Metropolitano, legit decretum pro solemnitatibus centenariis anno 1910 occurrentibus Canonizationis S. Caroli Borromei (**T**), item pro festivitatibus iubilaribus Summi Pontificis Pii P. X (**V**), insuper et litteras synodales tum ad eundem Romanum Pontificem, tum ad Episcopos Galliarum remittendas (**Z**).

Quibus peractis, E.mus Metropolitanus conscendit ad ambonem, ibique recitavit concionem ad Synodum.

Sermone absoluto, descendit de ambone, et sedit in loco suo sessionali ad continuandam Sessionem tertiam et postremam.

Promotores institerunt pro subscriptione decretorum. Et de mandato E.mi Metropolitani Secretarius legit decretum de subscribendo (**AA**).

Tunc E.mus et R.mi Patres accesserunt ad altare maius in cornu Evangelii, in quo unum exemplar decretorum erat collocatum; ibique propria manu apposuerunt suam subscriptionem pro approbatione, præsentibus Secretario et duobus Concilii notariis, sacerdotibus Calchi-Novati Petro et Merisi Antonio.

Iterum Promotores institerunt pro fine Concilii. Et de iussu E.mi Metropolitani, Secretarius legit de suggestu decretum de fine Concilii (**BB**).

Demum Promotores institerunt pro rogito. Quibus annuit expressis verbis Secretarius, accitis tamquam testibus idoneis et rogatis R.mis Antonio Quaglia et Caietano Pozzi, Canonicis ad honorem Basilicæ Metropolitanæ, qui integræ adstiterant Sessioni.

Et cantata ad altare oratione *Nulla est Domine,* etc., E.mus Metropolitanus intonuit hymnum *Te Deum,* quem alternis choris prosecuti sunt cantores et clerus conciliaris.

Interea R.mi Patres Episcopi comprovinciales osculum pacis Metropolitano dederunt.

Tandem E.mus Metropolitanus solemniter benedixit Concilio, et clamante Archidiacono *Recedamus cum pace,* depositis paramentis, omnes abierunt in Deo. Erat autem quasi hora decima octava seu sexta post meridiem.

Testor autem equidem Secretarius infrascriptus et fidem facio actionem Concilii Provincialis Mediolanensis VIII in omnibus et quoad omnia evenisse prouti in præcedentibus narratum et descriptum est.

Super quibus omnibus et singulis ego Secretarius Concilii præsens instrumentum confeci, illudque munivi mea subsignatione ac sigillo Curiæ Archiepiscopalis, mecum subscribentibus tum Concilii notariis, necnon testibus ut supra rogatis.

(L. S.) Can. Angelus Nasoni, *Eccl. Metrop. Mediol. Ordin. Theol. et Secretarius Concilii.*

Sac. Petrus Calchi Novati, Doct. S. Th. et I. C., *Notarius.*

Sac. Angelus Casati, Doct. Philos. et S. Th., *Notarius.*

Sac. Antonius Merisi, Doct. S. Th., *Notarius.*

Sac. Aloysius Moneghini, *Notarius.*

Can. Antonius Quaglia, *Testis rogatus.*

Can. Caietanus Pozzi, *Testis rogatus.*

ALLEGATA

Alleg. **A**

LITTERÆ TELEGRAMMATICÆ.

Sua Santità Roma.

Episcopato Lombardo inaugurando Concliio Provinciale, memore *ubi Petrus ibi Ecclesia,* al successore di Pietro, Maestro infallibile, Duce snpremo, fonte tutela d'ogni ecclesiastico potere, rinnova omaggio filiale devozione, fermo proposito perfetta obbedienza. Confortateci Padre santo coll'Apostolica benedizione. — *Cardinale Arcivescovo.*

Alleg. **B**

DECRETUM DE MINISTRIS ET OFFICIALIBUS.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Ferrari, Theol. Fac. Parmensis doctor Collegialis, Mediolanensis theologicæ Pontificiæ Facultatis Magnus Cancellarius, Dei et Apostolicæ Sedis gratia S. Mediolanensis Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus.

Cum, ut rite, celeriter et perfectiori, quo fieri potest, modo, ea omnia procedant quæ in Synodo Provinciali VIII agi gerive debent, nonnulli requirantur ministri et officiales, ideo de consensu RR. Coepiscoporum, auctoritate Metropolitana eligimus, nominamus, ac deputamus subsignatos RR. viros ad diversa munia huius Synodi Provincialis Mediolanensis, quorum nomina sequuntur,

Promotores :

R.mus DD. Franciscus Balconi, Doctor collegialis Pont. Facultatis Theologicæ Mediolanen., Ecclesiæ Metrop. Can. Archipresbyter, Iudex et Examinator Synodalis.

R.mus DD. Carolus Castelletti, Diœcesis Bergomensis, Protonot. Ap. ad instar et in ea civitate Præp. S. Alexandri in Columna.

Secretarii:

R.mus DD. Angelus Nasoni, Doctor collegialis Pont. Facultatis Th. Mediolanen. Phil. S. Theol. et U. I. Doctor, Can. Theologus Ecclesiæ Metrop. et in Curia Arch. Advocatus generalis.

R.mus DD. Felix Bertani, S. Theol. Doctor et Can. ad hon. Ecclesiæ Metrop.

Notarii:

R. Sac. Petrus Calchi-Novati, S. Theol. et I. C. Doctor. e conlegio Pont. Facultatis Theol., Cancellarius Arch.

R. Sac. Angelus Casati, Phil. et S. Theol. Doctor, Procancellarius Archiepiscopalis.

R. Sac. Antonius Merisi, S. Theol. Doctor, Promotor Legat. in Curia Archiepiscopali.

R. Sac. Aloysius Moneghini, Secretarius S. Visit. Pastoralis.

Lectores:

RR. Can. Aloysius Mambretti, Can. Ferdinandus Pogliani, Can. Ascanius Andreoni e Capit. Min. Ecclesiæ Metrop.

R. Sac. Cæsar Galli, Procurio Ecclesiæ Præp. S. Caroli Mediolani.

Sacr. Cœrem. Moderatores:

Ad. R. Can. Fortunatus Zocchi, Præfectus Cap. Min. Metrop. et eiusdem Metrop. Sacrarum Cœr. Magister.

R. Sac. Alexander Bussola, Sacr. Cœrem. in Ecclesia Metropolitana vices Magistri gerens.

Ostiarii:

R. Demetrius Ghezzi, Præf. Ostiariorum Metropolitanæ.

R. Ioannes Salomoni.

Cursores:

Aloysius Borromeo, senior.

Aloysius Borromeo, iunior.

Ne vero singulorum causæ, rerum graviorem quæ a Nobis in hoc Provinciali Concilio agi gerive debent cursum impedire aut retardare possint, RR. Episcopos Ticinensem et Laudensem, videlicet R.mum DD. Franciscum Ciceri et R.mum DD. Ioannem Bapt. Rota, et R.mos Vicarios in spiritualibus gene-

rales Mediolani et Novocomi, RR. nempe Ioannem Rossi et Andream Bosatta, et R.mum D. Ioan. Valdemeri Archipresb. Eccl. Cath. Cremensis, huic muneri præficimus, ut absentium excusationes, quæ ad Nos missæ sunt, tum eorum item petitiones cognoscant, qui Synodo non dimissa, neque absoluta, se abeundi causam iustam aliquam habere existimaverint: eaque omnia et singula ad Nos referant:

Datum Mediolani, die 30 augusti a. 1906. — † *Andreas Carolus Card. Archiep.*

Alleg. **C**

ELENCHUS EORUM QUI DE IURE, AUT DE CONSUETUDINE AUT DE GRATIA VIII MEDIOL. SYNODO PROV. INTERESSE DEBENT.

1.°

Procuratores Cap. Cathedralium in Provincia, nimirum:

R.mi DD. Carolus Gorla, ex Capit. huius Metrop.
DD. Carolus Brera, ex Capit. huius Metrop.
DD. Ioseph Boni, ex Capit. Diœc. Pap.
DD. Ferdinandus Rodolfi, Diœc. Pap.
DD. Antonius Padovani, Diœc. Cremon.
DD. Celsus Calza, Diœc. Cremon.
DD. Ioannes Marcoli, Diœc. Brix.
DD. Iacintus Gaggia, Diœc. Brix.
DD. Ioannes Savarè, Diœc. Laud.
DD. Ioannes Garbagnani, Diœc. Laud.
DD. Paulus Benelli, Diœc. Crem.
DD. Vincentius Alghisi, Diœc. Crem.
DD. Cæsar Procaccini, Diœc. Mant.
DD. Aloysius Bravo, Diœc. Mant.
DD. Cherubim Pizzala, Diœc. Novoc.
DD. Angelus Introzzi, Diœc. Novoc.
DD. Angelus Giorgi, Diœc. Berg.
DD. Victorius Masoni, Diœc. Berg.

2.°

Reverendissimum Capitulum Metropolitanum.

3.°

Reverendissimus P. Iacobus Christoforus Gauthiez, Abbas O. S. B. apud conventum loci dicti Aquæ frigidæ.
Reverend.mus P. Maurus Parodi, Abb. Oliv. O. S. B. Serenii.
DD. Ieronimus Comi, Abbas Infulatus S. Ambrosii Mediol.
DD. Paulus Rossi, Archip. Modœtiæ.
DD. Antonius Ceriani, Prot. Ap. Præf. Bibl. Ambros.
DD. Carolus Locatelli, Prot. Ap. Præp. S. Stefani.
DD. Hermenegildus Pogliani, Prot. Ap. tit. Præp. S. Victoris.

4.°

Qui habent ut sint testes synodales:

D. Iosephus Pozzi, Præp. Basilicæ Ap. in urbe, Mediol.
D. Dominicus Pogliani, Præp. Cisani ad Nemus, Mediol.
DD. Franciscus Portalupi, ex Diœc. Pap.
DD. Carolus Fichi, ex Diœc. Pap.
DD. Augustinus Desirelli, ex Diœc. Cremon.
DD. Cæsar Donini, ex Diœc. Cremon.
DD. Aloysius Fè, ex Diœc. Brix.
DD. Dominicus Faustinelli, ex Diœc. Brix.
DD. Aloysius Grammatica, ex Diœc. Brix.
DD. Æmilius Bongiorni, ex Diœc. Brix.
DD. Franciscus Torresani, ex Diœc. Laud.
DD. Ioannes Comizzoli, ex Diœc. Laud.
DD. Andreas Cappellazzi, ex Diœc. Crem.
DD. Augustinus Caldara, ex Diœc. Crem.
DD. Alexander Mori, ex Diœc. Mant.
DD. Eugenius Martini, ex Diœc. Mant.
DD. Stephanus Piccinelli, ex Diœc. Novoc.
DD. Nicodemes Bersotti, ex Diœc. Novoc.
DD. Franciscus Benedetti, ex Diœc. Berg.
DD. Georgius Gusmini, ex Diœc. Berg.

5.°

Theologi et canonistæ:

D. Dalmatius Minoretti, ex Diœc. Med.
D. Ioseph Nogara, ex Diœc. Med.

D. Antonius Fumagalli, ex Diœc. Med.
D. Arthurus Stucchi, ex Diœc. Med.
D. Franciscus Calchi-Novati, ex Diœc. Med.
D. Iacobus Montanelli, ex Diœc. Med.
D. Ioannes Pionni, ex Diœc. Pap.
D. Anastasius Rossi, ex Diœc. Pap.
D. Ioseph Ballerini, ex Diœc. Pap.
D. Umbertus Maruti, ex Diœc. Cremon.
D. Tranquillus Quarneri, ex Diœc. Cremon.
D. Ioannes Marcoli, ex Diœc. Brix.
D. Iacintus Gaggia, ex Diœc. Brix.
D. Victorius Grossi, ex Diœc Laud.
D. Cæsar Manzoni, ex Diœc. Laud.
D. Ioannes Bapt. Valdemeri, ex Diœc. Crem.
D. Cæsar Rossi, ex Diœc. Crem.
D. Ioannes Rossi, ex Diœc. Crem.
D. Bettinus Bettoni, ex Diœc. Crem.
D. Ioseph Ghidini, ex Diœc. Mant.
D. Antigonus Covelli, ex Diœc. Mant.
D. Aloysius Fecchio, ex Diœc. Novoc.
D. Thomas Verga, ex Diœc. Novoc.
D. Iosue Signori, ex Diœc. Berg.
D. Samuel Remondini, ex Diœc. Berg.
D. Ioseph Pezzoli, ex Diœc. Berg.

6.°

Cœteri qui de gratia sub titulo quocumque fuerunt invitati:

DD. Alexander De Giorgi, Rector. Semin. Theol. Mediol.
DD. Philippus Roncari, Director Sem. exterarum Missionum.
D. Rodulphus Dossi, Præp. S. Francisci a Paulo, Mediol.
D. Ioseph Cappelletti, Præp. S. Gothardi, Mediol.
DD. Alexius Nazari, Præp. Trevilii.
D. Petrus Sommariva, Præp. Gallarati.
D. Ioseph Giacchetti, Præp. Aplani.
D. Iosue Barzaghi, Præp. Varisi.
D. Paulus Borroni, Præp. Busti Arsitii.

D. Stephanus Balconi, Præp. Abbiati Crassi.
D. Ioseph Biancardi, Præp. Legioduni.
D. Cæsar Mossolini, Præp. Decimi.
D. Lucianus Cattorini, Præp. Lauriaci prope Herbam.
D. Rochus Agrati, Præp. Segrati.

7.°

Ex Sodalitatibus Religiosis:

Rev. P. Hiacyntus Leca, ex ordine Prædicat. S. Domin.
Rev. P. Ludovicus Antonelli, ex ordine Fratrum Minor. S. Francisci.
Rev. P. Camillus de Albino, ex ordine Capulatorum.
Rev. P. Fulgentius Del Piano, ex ordine Carmelitarum Discal.
Rev. P. Camillus Minoretti, ex ordine, vulgo, Fate-bene-fratelli.
Rev. P. Petrus Vigorelli, Præp. Prov. Clericorum Reg. S. Pauli.
Rev. P. Henricus Stella, e Congreg. Somaschæ.
Rev. P. Georgius Fell. e Societ. Jesu.
Rev. P. Mansuetus Endrizzi, e Congreg. Ministrorum Inf. a S. Camillo.
Rev. Laurentius Saluzzo, e Congreg. S. Francisci Salesii.
Rev. Ioseph Antoniolli, e Congr. vulgo Stimmatini.
Rev. P. Aloysius Oggioni, e Congreg. Filiorum Mariæ Immac.
Rev. P. Benedictus Antomietti, e Congreg. ab Immaculata Concept.
Rev. P. Camillus Panizzardi, e Congreg. S. Ioseph.

Alleg. **D**

Placetne Vobis, R.mi Patres quemadmodum postulat Eminentissimus Metropolitanus, Rev.mum DD. Ioannem Mauri Episcopum Famaugustanum et Auxiliarem eiusdem E.mi Metropolitani hic præsentem, ex gratia vestra suffragii decisivi facultate donari in hoc Concilio Provinciali VIII, cum iure subscribendi?

Ad hanc interrogationem per me infrascriptum Secretarium,

de mandato E.mi Patribus omnibus propositam, responsum fuit ab omnibus R.mis Patribus præsentibus: *affirmative.*

Mediolani, die 30 augusti 1906. — *Can. Angelus Nasoni, Secretarius Concilii.*

Alleg. **E**

DECRETUM DE INITIO CONCILII PROVINCIALIS.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Ad Dei Omnipotentis, Beatæque Mariæ semper Virginis, SS. Ambrosii et Caroli Confessorum, et Beatorum Martyrum Protasii et Gervasii Patronorum Nostrorum laudem decernimus de consilio et consensu RR. DD. Coepiscoporum Nostrorum, hoc ipso die, qui est XXX augusti 1906, adiutrice divina misericordia, initium fieri, atque adeo iam factum esse, Concilii Provincialis Mediolanensis octavi, quod die III iunii 1906 solemnitatis scilicet Pentecostes, decreto edito, Nostra Metropolitana auctoritate indiximus, denunciavimus et promulgavimus.

Datum Mediolani, die XXX augusti a. MCMVI. — † *Andreas Carolus, Card. Archiepiscopus.*

Alleg. **F**

TRIPLEX DECRETUM DE MODO VIVENDI, DE PRÆIUDICIO NON AFFERENDO, DE NON DISCEDENDO.

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

1.°

Multiplex et grave admodum, magnisque curis implicitum munus, cum in omnibus aliis muneris atque officii Archiepiscopalis rationibus, tum vere etiam in hac Provincialis Concilii actione, Nobis impositum esse agnoscimus, experiundoque sentimus.

Ideo in hac rerum conciliarium tractatione et consultatione, quæ in deliberationibus gravissimis sumitur, non viribus Nostris, quæ exiguæ sane sunt, confisi; sed Dei unius, cuius ministri sumus, ope atque auxilio freti, toto animo, totaque mente

supplices, illud ab eo deprecamur, ut Nos regat, foveat, et dirigat mentem animumque Nostrum, ad ea quæcumque Provinciæ recte, salutariterque gerendæ rationibus opportuna, quæcumque optima sunt, et plane salutaria.

Obsecramus ergo Rev.mos Episcopos fratres Nostros qui hoc loco adsunt, per Dominum Nostrum Iesum Christum, et per charitatem Spiritus Sancti, ut cum omnes pietatis opes, omnesque Episcopalium virtutum facultates, quarum ubertate circumfluunt, in commune ad spiritualia Provinciæ commoda perpetuo conferant; tum vero præcipue salutaribus consiliis, sanctissimisque precibus, conciliarem hanc actionem, quam Spiritu Sancto auctore hodierno die aggressi sumus, adiuvare studeant; orantes pro optimo huius Concilii octavi Provincialis successu; ut Provincia hæc hisce synodalibus suffulta adiumentis et disciplinis, atque sanctissimis monitis excitata, clarissimisque sancte agendi exemplis incensa, ardentiori studio in die exardescat progrediendi in via Domini.

Et quoniam nihil fere sæpius divinis litteris commendatum est, quam clericalis ordinis hominum vita integritas, innocentia, fides, religio, pietas, virtutumque omnia ornamenta, quibus domus Dei potissimum excolitur; ideo illos monemus, et per viscera misericordiæ Dei Nostri obtestamur, ut cum ipsi omni tempore laicis hominibus omnium virtutum splendore prælucere debeant; tum maxime cum concilia habentur, ita se gerant in verbo, in conversatione et caritate, quemadmodum Apostolus monet: ut cum eos posuerit Deus in acquisitionem salutis, atque in ædificationem, offici sui memores, ambulent digne Deo, sancteque vivant, sicut eos decet, qui vocati sunt in sortem Domini; omnesque ipsi, tum sacerdotes, sanctissimo Missæ sacrificio castissimisque precibus, tum clerici, frequentiori orationis studio, Conciliares Nostras actiones adiuvare studeant; illud pie Deum orantes, ut divinæ gratiæ suæ lumen præferat mentibus nostris, cum ad consilia optima suscipienda, tum ad sancienda salutaria decreta, tum ad exequenda salutariter instituta.

Omnes præterea ac singulos urbis Mediolani cives et incolas Nobis in Christo carissimos vehementer hortamur et monemus

in Domino, ut cum perpetuo, tum in primis hoc tempore Concilii Provincialis, vehementius ad christianas virtutes sese incitent, quo maiores illis stimulos addunt episcopales conventus, toties hoc sacro loco habiti. Ac præterea in disciplinæ christianæ luce, vitiorum tetram caliginem disiiciant, a malis omnino abstineant, ambulent in timore Domini, desideria carnis non perficiant, velintque denique tota mente, toto animo, omni pietate orationi operam dare, Christum Dominum in pauperibus pascere, sæpe confiteri, Eucharistiæ sacramentum salutariter sumere, Ecclesias frequentare, Dei præceptis obedire; tum demum quotidie pias, sanctasque preces ad Dominum misericordiarum et Patrem totius consolationis adhibere; ut Nos iis adiuti, in hac pastorali actione, et gloriæ Dei et animarum saluti perpetuo serviamus religiosa sollicitudine.

2.°

Decernimus, si cui contigerit in hanc Provincialem Synodum non iure admissum esse, vel suo loco non sedere; sententiamve dicere aut aliquid quidpiam agere, nemini propterea illo facto ius acquiri, aut acquisitum esse; nec vero de cuiuspiam iure, possessioneve quidpiam detrahi; sed omnia in eodem statu rata firmaque manere, in quo sane ante erant, quam hoc Provinciale Concilium haberetur.

3.°

Ut Episcopi, qui huic Provinciali Concilio interesse debent, antequam illud absolutum sit, de more rite dimissum, ex urbe Mediolano ne discedant, nisi iustam et probabilem causam habeant, quam ab illis huic cognitioni præfectis cognosci diligenter primum et examinari, tum a Nobis comprobari volumus. Nec vero tamen ea causa cognita et comprobata, impetrataque a Nobis facultate abeundi, eorum cuipiam hinc prius migrare liceat, quam idoneum Procuratorem reliquerit, qui huius Synodi Provincialis VIII decreta et constitutiones suo et Ecclesiæ item suæ nomine suscipiat, eisdemque, ut moris est, subscribat. Quod si secus eorum quispiam fecerit, pœna ei sit, quæ Canonum iure contra eos constituta est, qui hoc ipsum commiserint.

Datum Mediolani, die 30 augusti a. 1906. — † *Andreas C. Card. Archiep.*

Alleg. **G**

Decretum de iudicibus querelarum.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Cognoscendis, et audiendis querelis et controversiis, et accusationibus item, si quæ contra quoscumque in Concilio deferantur, RR.mos Episcopos Mantuæ et Bergomi, scilicet Paulum Carolum Origo et Iacobum Radini-Tedeschi, Vicarium in spiritualibus generalem Cremonæ, videlicet Rev. DD. Antonium Padovani, necnon R.mum Ioannem Pionni Archidiaconum Eccl. Cath. Papiensis, et Iacynthum Gaggia Can. Eccl. Cath. Brixiensis de consilio et consensu Reverendissimorum Patrum Coepiscoporum Nostrorum præfecimus. Quas accusationes et querelas delatas ipsi audiant diligenter, et ad Nos in Concilio referant: controversias autem, antequam hoc ipsum Concilium de more dimittatur, vel componere studeant vel ex compromisso ad arbitros reiciant; vel ad Nos in Concilio referant.

Datum Mediolani, die 30 augusti a. 1906. — † *Andreas C. Card. Archiep.*

Alleg. **H**

Decretum de diebus Congregationum publicarum.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Omnibus et singulis edicimus Congregationes publicas in hac ipsa aula Archiepiscopalium Nostrarum ædium habendas; præterea esse die tertia septembris, hora nona, ac die quinta septembris, hora nona.

Datum Mediolani, die 30 augusti 1906. — † *Andreas C. Card. Archiepiscopus.*

Alleg. **I**

Decretum de professione fidei.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Cum Sacrosantum Tridentinum Concilium Sessione XXIV, cap. 2, statuat ut « quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi, in prima Provinciali Synodo, in qua ipsi interfuerint », ea omnia et singula quæ in ipsa Tridentina Synodo definita ac statuta sunt, recipiant, necnon

veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur, simulque hæreses omnes a sacris Canonibus et generalibus Conciliis damnatas publice detestentur et anathematizent; ideo omnes Rev.mi Episcopi qui huic Concilio Provinciali Mediolanensi octavo intervenire debent, fidem catholicam publice iuxta formulas a Summis Pontificibus Pio IV et Pio IX præscriptas profiteantur.

Datum Mediolani, die 30 augusti a. 1906. — † *Andreas C. Card. Archiepiscopus.*

Alleg. **K**

Ego N. Episcopus N. ea omnia et singula, quæ a Sacrosanctis œcumenicis et generalibus Tridentina et Vaticana Synodis definita et statuta sunt, recipio, necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici spondeo et profiteor; hæresesque omnes a sacris Canonibus et generalibus Conciliis, præsertimque ab iisdem Tridentina et Vaticana Synodis damnatas, detestor et anathematizo; fidemque profiteor iuxta formulam præscriptam a Sanctissimis DD. NN. Pio IV et Pio IX Pontificibus Maximis, quam modo legit Eminentissimus et Reverendissimus Metropolitanus, et ita ego recipio, spondeo, profiteor, anathematizo, voveo, ac iuro: sic me Deus adiuvet et hæc sancta Dei Evangelia.

Alleg. **L**

Decretum super absentia RR. Episcoporum.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Audita et intellecta petitione RR. Promotorum, decernimus et pronunciamus, absentibus RR.mis Episcopis huius Provinciæ Nostræ Mediolanensis, qui ad hanc octavam Synodum Provincialem vocati sunt et interesse tenentur, de causis absentiæ eorum inquirere, tractare atque iudicare, data postea de eiusdem causis Nobis relatione.

Datum Mediolani, die 1 septembris 1906. — † *Andreas C. Card. Archiep.*

Alleg. **M**

Præfatiuncula ad Decreta promulganda.

In nomine Sanctæ ed Individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Ad Dei omnipotentis, Beatissimæque Mariæ semper Virginis, SS. Ambrosii et Caroli, Antistitum et Confessorum et Beatorum MM. Gervasii et Protasii Patronorum laudem, hæc decreta pro christianæ morum disciplinæ confirmatione, qua Clerum populumque fidei Nostræ concreditum prælucere totis visceribus in Christo expetimus, in hac Sessione Prima huius Concilii Provin. VIII, die hac prima septembris, promulganda proponimus.

Datum Mediolani, die 1 septembris a. 1906. — † *Andreas C. Card. Archiep.*

Alleg. **N**

Ante Nos infrascriptos Iudices excusationum in Concilio Provinciali octavo, quum in actu appellationis in prima Sessione solemni constiterit de absentia R.mi DD. Ieremiæ Bonomelli, Episcop. Cremonensis, comparuit R.dus D. Ioseph Corradi a secretis Ex.mi eiusdem Episcopi, qui causam absentiæ adduxit ægritudinem sui Episcopi. Cum aliunde constet et ad Concilium advenisse et Congregationibus publicæ et privatis heri et nudiustertius interfuisse, et nunc valetudinis incommodo laborare, acceptamus et ratam habemus allatam excusationem.

Mediolani in ædibus Archiepiscop., die 5 septembris 1906.

† Franciscus, *Episcopus Papien.*
† Joannes Bapt., *Episcopus Laudensis.*
Can. Joannes Rossi, *Vic. Gen. Mediol.*
Can. Archid. Andreas Bosatta, *Vic. Gen. Novoc.*
Can. I. B. Valdemeri, *Archipr. Cremensis.*
Sac. Antonius Merisi, *Notarius.*

Visum pro approbatione.

Mediolani, die 14 septembris a. 1906.

† Andreas C., *Cardinalis.*

Alleg. **O**

LITTERÆ TELEGRAMMATICÆ.

Cardinale Arcivescovo - Milano,

Santo Padre si compiace inaugurazione Concilio Provinciale Lombardo, e dai sentimenti espressi da Vostra Em.za argomenta frutti preclari, benedice dunque con affetto a quel Concilio a cui ha creduto da tempo di dover partecipare.

Card. MERRY DEL-VAL.

Alleg. **P**

Pateat cunctis quod R.mus DD. Ieremias Bonomelli, Episcopus Cremonensis, hodie, id est die quinta septembris anni millesimi nongentesimi sexti, in sacello ædium archiepiscopalium, coram E.mo ac R.mo D. Andrea C. Ferrari, Metropolitano Provinciæ Mediolanensis, et R.mis DD. Ambrosio Belgeri Archidiacono Metropolitanæ Basilicæ Mediolanensis et Cæsare Viola Canonico ad honorem eiusdem Basilicæ Metropolitanæ, idoneis testibus, professionem fidei emisisse ad normam Concilii Tridentini Sess. XXIV, c. 2, d. r., iuxta formulam a b. m. Pii IV et Pii IX, præscriptam.

Mediolani, anno, die, loco ut supra, hora circiter meridiana.

Testor ego Antonius Merisi, *notarius Concilii.*

Alleg. **Q**

DECRETUM DE PUBLICATIONE APPROBATIONUM.

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Ad Dei Omnipotentis, Beatæque Mariæ semper Virginis, et SS. Ambrosii et Caroli Antistitum et Confessorum, et Beatorum MM. Protasii et Gervasii Patronorum Nostrorum laudem, pro Christianæ morum disciplinæ confirmatione, qua Clerum populumque fidei Nostræ concreditum prælucere totis in Christo visceribus expetimus, ea omnia et singula, quæ lecta et promulgata iam nunc sunt, de consilio et assensu RR. DD. Coepi-

scoporum Nostrorum, in Concilio Provinciali Mediolanensi VIII decernimus et sancimus.

Datum Mediolani, die VI septembris a. 1906. — † *Andreas C. Card. Archiepiscopus.*

Alleg. **R**

DECRETUM DE TESTIBUS SYNODALIBUS.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Vetus est consuetudo, Sacrosanctis Canonum decretis introducta, ut in unaquaque Diœcesi duo pluresve spectati et probati viri in singulis Provincialibus Synodis deligantur, qui animadvertant diligenter, an aliquid in Diœcesi sit, quod emendationem desideret; idque cognitum, proximo quoque Provinciali Concilio, ad Metropolitanum et Comprovinciales Episcopos referant, quo diligentius possit morum erroribus aliqua ratione in ipsa Synodo consuli et provideri. Quare nos antiquum illud, probatumque institutum secuti, de consensu RR.morum Patrum Episcoporum Suffraganeorum deligimus, et huic muneri proponimus hos, quorum sequuntur nomina:

D. Ioseph Pozzi, Præp. Basilicæ Apostolorum, Mediol.
D. Dominicus Pogliani, Præp. Cisani ad Nemus, Mediol.
DD. Franciscum Portalupi, ex Diœc. Pap.
DD. Carolus Fichi, ex Diœc. Pap.
DD. Augustinus Desirelli, ex Diœc. Cremon.
DD. Cæsar Donini, ex Diœc. Brix.
DD. Aloysius Fè, ex Diœc. Brix.
DD. Dominicus Faustinelli, ex Diœc. Brix.
DD. Aloysius Grammatica, ex Diœc. Brix.
DD. Æmilius Bongiorni, ex Diœc. Brix.
DD. Franciscus Torresani, ex Diœc. Laud.
DD. Ioannes Comizzoli, ex Diœc. Laud.
DD. Andreas Cappellazzi, ex Diœc. Crem.
DD. Augustinus Caldara, ex Diœc. Crem.
DD. Alexander Mori, ex Diœc. Mant.
DD. Eugenius Martini, ex Diœc. Mant.
DD. Stephanus Piccinelli, ex Diœc. Novoc.
DD. Nicomedes Borsotti, ex Diœc. Novoc.

DD. Franciscus Benedetti, ex Diœc. Berg.

DD. Georgius Gusmini, ex Diœc. Berg.

Testes Synodales, qui nominati modo sunt, si adsunt, ordine ad Nos accedant, iuraturi se sincere expleturos muneris sui partes.

Datum Mediolani, die VI septembris a. 1906. — † *Andreas C. Card. Archiepiscopus.*

Alleg. **S**

Iuro, me fideliter munus mihi commissum impleturum, vereque ad Sanctam Synodum relaturum omni affectu et cupiditate remoto, de iis quæ omni indagatione et inquisitione a me adhibita, aut videro, aut ad meas aures pervenerit.

Alleg. **T**

DECRETUM DE SÆCULARI FESTO S. CAROLI.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Beatissimum Carolum Borromæum, in hac Sede Metropolitana prædecessorem Nostrum, optime meritum esse de re religiosa non tantum in hac amplissima archidiœcesi, sed etiam in ceteris Ecclesiasticæ provinciæ Diœcesibus, nemo est qui dubitet. Dum enim vitam in terris ageret, suis exemplis norma Cleri factus, institutis ac doctrinis, ita gregem sibi commissum aliasque diœceses, quas Apostolica etiam Delegatione perlustravit, pastorali sollicitudine excoluit, ab hæresi defendit atque sanctis moribus informavit, ut non solum cœtaneis suis, sed etiam ceteris deinceps generationibus, quam maxime profuerit, et adhuc spiritu vivere inter nos videatur. Quapropter, ad excitandam plebis christianæ Nobis commissæ filialem pietatem ac devotionem in tantum cœlestem Protectorem, centenariæ memoriæ eius Beatificationis occasionem nacti, de consilio et consensu R.morum Patrum huius sacrosancti octavi Concilii Provincialis, edicimus et sancimus, ut ipsa centenaria memoria, quæ anno millesimo nongentesimo decimo recurrit, piis exercitationibus et festivis celebritatibus frequentetur.

Datum Mediolani, die 6 septembris 1906. — † *Andreas C. Card. Archiepiscopus.*

Alleg. **V**

DECRETUM PRO IUBILARI FESTO PII X.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Animis nostris pergratum est in Sanctam Sedem Apostolicam et in Christi Vicarium in terris debiti obsequii et filialis devotionis indubia signa et frequentia exhibere: quod præsertim fieri optamus, quum Romani Pontificatus fasti recurrant dies. Hoc christianæ caritatis officium, quamvis omnibus, quotquot per universum orbem constituuntur pastores, et dominici gregis oves existunt, pro arctissimo unitatis vinculo quo membra Ecclesiæ suo visibili capiti adhærere necesse est, indiscriminatim incumbat, tamen præ ceteris nos afficit peculiaribus gratitudinis rationibus. Nam, Qui nunc totius Ecclesiæ gubernacula tenet, olim Mantuanus Episcopus, pastoralis sollicitudinis primitias inter nos exercuit atque exemplum boni pastoris nobis reliquit. Quapropter Nos, de consensu R.morum Patrum huius octavi Concilii Provincialis, edicimus ut sacerdotale Iubilæum Sanctissimi Domini Nostri Pii P. X, quod anno millesimo nongentesimo octavo recurrit, a sacerdotibus omnibus et christifidelibus huius provinciæ speciali modo celebretur sive privatis ac publicis ad Deum supplicationibus pro pace Ecclesiæ et prosperitate Romani Pontificatus, sive festivis solemnibus, sive frequentibus comitiis, sive romanis peregrinationibus.

Datum Mediolani, die 6 septembris 1906. — † *Andreas C. Card. Archiep.*

Alleg. **Z**

LITERÆ SYNODALES AD GALLOS EPISCOPOS.

1.°

Galliarum omnium Episcopis, Episcopi Provinciæ Langobardiæ Mediolani in Synodum provincialem congressi, salutem et pacem in Christo.

Auspicato contingit, Venerabiles Fratres, ut hoc tempore, post tria fere sæcula hujus provinciæ Episcopi una conveniant, quo tempore Gallicarum rerum nova perturbatio omnium oculos in Vos convertit. Eo fit nimirum ut solemniori quadam actione et maiori cum dignitate Vos alloqui, atque animorum nostrorum sensa Vobis aperire possimus.

Communi fide, atque illa quam Spiritus pectoribus inserit caritate compellimur, ut Vobis, pro libertate Ecclesiæ mox, ut videtur, certaturis magnam cœlestium donorum effusionem adprecamur, omnemque fraternæ dilectionis significationem exhibeamus. Vehementer insuper Vobis gratulemur oportet. Ii enim estis, qui nunc, mira animorum consensione, fidelissima erga Christi Vicarium subiectione, invicta demum fortitudine, strenuæ virtutis exempla orbi universo portenditis. De qua re illæ exultant superne, quas ab initio ævi christiani Gallia protulit, magnæ animæ; gaudet pariter quæ in terris Christi meret stipendiis Ecclesia Mater.

Nos quidem, accerrimum discrimen, cui fortasse Vestris curis commissi greges subiicientur, animo reputantes, qua sumus humanæ mentis conditione, nonnullus habet dolor et occupat timor. At spiritu ac divina fide altiora suspicientes, multo maiori tenemur lætitia, quod tam bene de vestra virtute Romanus Pontifex præsumpserit, quod tanta alacritate fortia iussa exceperitis, quod cuilibet vel acerbissimæ insectationi sustinendæ strenue comparatos animos omnino ostenderitis. Scimus profecto maximi gaudii causam ex iniuriis esse ducendam. Scimus præterea nunquam Ecclesiam Dei adversitate fatiscere, sed validiorem inde frequentisque Deo nascentis sobolis lætiorem Matrem exurgere. Scimus denique a rei publicæ moderatoribus Ecclesiam imprimis suo iure libertatem poscere; pro libertate usque ad sanguinem eam esse dimicaturam; ac fulgentissimam martyrum coronam iis, qui pro Ecclesiæ libertate ferreos vectes, ludibria, mortem tulerint, esse tribuendam. Quo tandem pacto victoria a nobis stabit: nihil enim, teste Ambrosio nostro, Deus in orbe terrarum diligit magis, quam populos Deo acquirentes Ecclesiæ libertatem.

Fraternis animis excipite, Venerabiles Fratres, quæ verba fraterna caritate protulimus, vota scilicet nostra, felicia omina, gratulationes. Faxit Deus ut in perpetuum, quos una fides continet, una pariter dilectio mutuo devinciat. Valete.

Mediolani, die 6 septembris a. MCMVI. — *(Sequuntur subscripta nomina).*

2.°

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Grati accepimus litteras quas Eminentia Vestra, una cum Episcopis Provinciæ Langobardiæ in Synodum provincialem congressis, ad nos sicut ad Fratres, Episcopos Galliarum, benigne direxit.

In præsenti rerum perturbatione dolentes, majori reficimur consolatione quod Venerabiles Fratres nostri, pro nobis et pro gregibus curis nostris commissis misericordiam Dei implorent et pretiosam fraternæ dilectionis significationem exibeant.

In tribulatione præsertim juvat nos unanimes, idipsum sentientes, eamdem caritatem habentes, pro libertate et exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ preces effundere.

Fidelissimam subjectionem erga Romanum Pontificem, cui munus a Christo Domino commissum fuit pascendi oves et agnos, profitentes, imitari conamur mira exempla illustrissimæ Ecclesiæ Mediolanensis et præcipue gloriosorum Antistitum Vestrorum, Sancti Ambrosii, Santi Caroli et aliorum, quorum memoria in benedictione est.

Adprecor Eminentiam Vestram interpretem fieri gratitudinis nostræ erga Vestros Venerabiles Suffraganeos; et litteras vestras Clero fidelibusque communicare jussi.

Manus Eminentiæ Vestræ deosculor et cum maxima veneratione me profiteor

Eminentiæ Vestræ — Humillimus ac Devotissimus servus: † Franciscus, *Card.* Richard, *Arch. Parisiensis.*

Parisiis, die 18 Septembris 1906

Alleg. **AA**

Decretum de subscribendo.

Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Rogat RR.mos Patres et singulos, qui huic Sessioni intersunt, ut post se singuli loco et ordine ad altare maius accedant, et iis, quæ in hac Sancta Synodo decreta sunt, subscribant.

Datum Mediolani, die VI septembris a. 1906. — † *Andreas Carolus Card. Archiep.*

Alleg. **BB**

Decretum de fine Concilii.

Nos Andreas Carolus tituli S. Anastasiæ, etc.

Deo auctore et adiutore, cum absoluta sint, quæ pro temporis ratione agi gerive posse videbantur; cumque Pastoralis cura RR. Episcopos, aliosque qui huc in Concilio evocati sunt, ad Ecclesiarum suarum stationem, Pastoralem vigiliam ac sacra sua officia revocet; id propterea huius sanctæ Synodi finem iure faciendum censuimus.

Mediolani, die VI septembris a. 1906. — † *Andreas Carolus Card. Archiep.*

ALLOCUTIONES

SALUTATIO
EMINENTISSIMI ARCHIEPISCOPI
INEUNTE CONCILIO HABITA.

Benedictus Deus, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. — Benedictus Deus, quo auctore, Nobis tam læta, tam fausta dies affulsit, in qua ad normam SS. Canonum et ex SS. Patrum institutis ac præceptis, Concilium Provinciale octavum, divina, uti confidimus, afflante gratia, sollemne ducit exordium: eo autem maiori lætitia perfundamur oportet, quo vividiore desiderio in hanc ipsam diem ferebamur. Hoc enim desiderium in animis nostris exardescere cœpit, ex quo a duodecim annis de Concilio Provinciali celebrando uno corde et ore decernebamus, quum scilicet finem habebat in hac civitate Eucharisticus Conventus, nulla unquam oblivione delendus.

Et iuste quidem decernebamus; de hoc enim habendo Concilio (Med. VIII) edictum iam a tribus fere sæculis prodierat, nimirum ineunte sæc. XVII, quum Cardinalis Federicus Borromæus septimum agebat Concilium, anno septimo supra vigesimum, postquam ipsum indixerat SS. et inclytus protector noster Carolus Borromæus.

Absit autem omnino ut hæc octavi Concilii retardatio aliquid laudis venerabilibus decessoribus meis imminuat; scimus enim pluries eos hoc opus aggressos, adversas autem temporum ac rerum vices habuisse. Quo-

circa summas Deo optimo maximo gratias agere debemus; ab eo enim uno, ut præsens agamus Concilium factum est, et, si recta perpendimus, hoc est mirabile in oculis nostris.

Huc nos convenimus, Reverendissimi Patres, ubi S. Carolus Borromæus, exiguo decem et octo annorum circulo (incredibile dictu), sexies hunc ipsum sacrum Episcoporum conventum celebravit, et eodem tempore undecim agebat Synodos Diœcesanas.

Huc nos convenimus, quo grave nostrum vocabat officium. Hoc tota hæc nostra Provincia re magis quam voce flagitabat: hoc expectarunt RR. Pontifices, Leo XIII, cuius memoria in benedictione est; et Sanctissimus Dominus noster ac nostrum omnium Pater summus Pontifex Pius X, cui date, quæso, ut et profectionis nostræ, et vestrorum laborum uberes fructus deferre possim, præclaras scilicet salutaresque huius Concilii actiones.

Huc igitur lubenti animo ac pia alacritate petistis e diœcesibus vestris, Reverendissimi Patres, nulli omnino parcentes incommodo, ac molestiarum prorsus nescii, quas longæva parit ætas, valetudo et iter atque ipsa hospitalitas nostra, licet ex animo Vobis oblata; quo fit ut omnium admirationem, meum autem pergratum animum iure adsequamini.

Salvete igitur, Reverendissimi Patres, salvete, qui huic Synodo et præsidio futuri estis et ornamento præcipuo.

Et Vos salvete, Consacerdotes carissimi, Venerabiles Abbates, Cathedralium Capitulorum nuntii, Curiones, Religiosis familiis Præpositi: Vos omne salvete, quotquot estis qui ad hanc Synodum accesistis. Gaudemus enim summopere, vestra cum nostris iungi consilia; gaudemus et vos sollicitudinem et cogitationem vestram ad sanctissimæ religionis nostræ dignitatem in hac Provincia tuendam atque ad augendam impigre allaturos.

Proinde ea qua par est libertate, simul autem discre-

tione, caritate et modestia, dum Conciliaria decreta in his publicis Congregationibus, non autem in Sessionibus sollemnibus, proponuntur, cuique licebit ea, quæ utilia duxerit, proferre, quin tamen eorumdem decretorum schemata suis oculis, subiici deposcat.

Quomodo vero oporteat omnes nos hisce diebus conversari, synodale, ut moris est, decretum definiet et statuet: hoc autem unum corde sincero quæramus omnes, ut omnia ad maiorem Dei gloriam, omnia honeste et secundum ordinem fiant.

Quid itaque sit causæ cur convenimus, neminem latet. Postulat enim Pastoralis officii ratio ut Episcopi congregati sollemnem una simul vocem elevent in errores, quorum tenebris inimicus homo, cœlestis veritatis lumen obducere nititur. Oportet coram universo populo sollemne item reddere testimonium Evangelio regni Dei, publici divini cultus maiestatem promovere et commendare, cooperatores ordinis nostri opportunis ordinationibus in sancto proposito confirmare, bonos populi mores provehere, ut fideles omnes nostris curis concrediti nostrum sint gaudium in Domino et nostra corona. Paucis: « Huc omnes convenerimus, loquar verba S. Caroli, ut ex hac quasi specula, singulis Provinciæ nostræ partibus circumspectis, Ezechielis Prophetæ voce divina admoniti; quod perierat, requiramus; quod abiectum est, reducamus; quod confractum, alligamus; quod infirmum est, consolidemus; quod pingue et forte, custodiamus ».

Quod ut præstare possimus humiliter et enixe petendum a Deo in primis est, ut nobis suo lumine præluceat, consilia et actiones nostras sua gratia prosequatur; cœptis nostris faveat, piaque conamina pro gregis nostri salute ad hunc optatissimum finem adsequendum roboret.

Hæc ad Vos, Patres amplissimi, et venerabiles consacerdotes nostri. — Christus Dominus qui numquam Ec-

clesiæ suæ defuturum se promisit, qui asseveravit, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* nobis suggerat quod bonum est, quod malum avertat; Spiritum sapientiæ et pietatis det nobis; Nobiscum sit, eamque benedictionem obfirmet, qua nos pluries donavit suus in terris Vicarius, suavissimus Pater Pontifex summus Pius X. Adsit propitia Mater illa misericordiæ, vita dulcedo spes nostra, Virgo Maria: adsint cœlites Nostrarum Diœceseon Patroni. Interea, si placet Vobis, Reverendissimi Patres per telegraphum summo Pontifici nuncium mittimus filialis ac sinceræ devotionis nostræ, ut fidelissima subiectionis promissa renovemus, Eumque deprecemur ut Apostolica benedictione nos iterum donare dignetur. Maximus parens noster adsit Ambrosius, adsit et S. Carolus, Norma Cleri, spes gregis, lux orbis, ora pauperum, cæloque mens gratissima. Eorum nobis, tribuat Benignissimus Deus gloriosa sequi vestigia, qui cælestem in terris vitam et verbo docuerunt, et exemplo firmarunt.

CONCIO

REVERENDISSIMI BRIXIENSIS EPISCOPI

IN PRIMA PUBLICA CONGREGATIONE HABITA.

Honor, laus, gloria Christo Domino, qui hic inter nos frater adest et magister. — Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine eius, ibi est in medio eorum (1).

Salutem Tibi reverenter dicimus, Eminentissime Princeps, cui pallium simul et spiritus ceciderunt Sanctorum Ambrosii et Caroli, quorum imaginem refers, et vocem modo audivimus in verbis tuis plenis sapientia et bonitate. — Quæcumque fausta nobis ominari dignatus es, in Te cumulata rependunt animi nostri omnes, memores, obsequentes.

Vos consaluto, Venerabiles Fratres, quas Titi et Timothei doctrina et virtute præditos, Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesias amplissimæ huius Provinciæ.

Vos quoque salvete omnes, quotquot probitate, doctrina, charitatis zelo præstantes, Episcoporum, vel Capitulorum electio ad Concilium Provinciale vocavit cooperatores et testes.

Vobis omnibus, gens sancta, regale sacerdotium, in quibus utriusque Cleri sæcularis et Regularis scientia splendescunt et virtus, salutem dicimus. Oh quam pulcri Venerabiles Fratres, quam læti, quam solemnes nobis illucescunt, dies in quibus, posthabitis omnibus, una erit nobis cura de gloria Dei, de bono Ecclesiæ in salutem animarum.

Idem, certe non fallor, idem est nunc sensus omnium

(1) Matt. 18, 20.

nostrum, eademque vox: *Ecce, quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum* (1).

Iucundum est: siquidem in ipsa domestica et civili societate nihil magis placet et delectat quam intima et benevola coniunctio animorum, qui eadem sapiunt, desiderant, prosequuntur, quin ulla vox absona audiatur. Quanto magis in Domo Dei in qua omnes

mille iungit nexibus
virtutis auctor gratiæ! (2).

Bonum est, utile scilicet et necessarium: *Frater enim qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (3), et dum maximæ res discordia dilabuntur, parvæ concordia crescunt. — Et revera quid, Ven. Fratres, quid tandem aliquando sumus? In domo Dei Œconomi, quos instituit Christus Iesus ut familiæ suæ præsint eamque administrent.

Quid sumus? Dominici agri cultores, qui plantamus et rigamus, omnemque impendimus operam, ut segetes divino auctæ incremento, vegetent, sobolescant, uberrimosque edant vitæ æternæ fructus.

Iam vero, domum hanc et agrum voluit Christus Dominus, maxima florere unitate.

Quid enim Ecclesia Christi est, nisi *Regnum Dei, regnum cælorum* (4), *Civitas* cuius claves Apostolis traduntur? (5). Ipsa est *domus* ædificata super Petrum (6); *templum* cuius fundamentum sunt Apostoli, lapis vero angularis Christus (7); *ovile* ad quod omnes oves convenire debent sub uno Pastore (8).

(1) Ps. 132. 1.
(2) Hym. ad laudes festi Sacræ Familiæ.
(3) Prov. 18, 19.
(4) Matt. 13: 24, 31, 33; Luc. 13, 18; Io. 18, 36.
(5) Matt. 5, 14; 16. 19.
(6) Matt. 16, 18.
(7) Eph. 2, 19-22.
(8) Io. 9. 7-17.

Imo vero, Ecclesia debet esse una sicut Corpus, cuius membra organice uniuntur: etenim *in uno spiritu omnes nos, in unum corpus* baptizati sumus (1).

Quid plura? Tam *intima et profunda* debet esse Ecclesiæ unitas, ut eam imitetur, qua Tres Personæ una sunt eademque divina natura; tam *conspicua,* ut signum fiat divinæ missionis Christi. *Pater sancte,* sublevatis oculis in cælum, rogabat Iesus: *serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in me, et ego in Te, ut ipsi in nobis unum sint, et credat mundus quia tu me misisti — (ut sint unum,* Christus repetit, *sicut et nos unum sumus), —* et iterum: *Ego in eis et tu in me; ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia Tu me misisti* (2).

Verum, Ven. Fratres, quomodo tam ante et indissolubilis unio effici primum ac postea servari et foveri potest, tot inter homines, locis, ætate, studiis, moribus disiunctos? Plurima divina Providentia suppeditavit media, inter quæ profecto non deteriorem locum Synodi occupant: Nam *in Synodis,* ut dicunt Patres Concilii Coloniensis, *studetur Corpori in sua integritate conservando: reintegratur unitas* (3).

Ac primo quidem *Unitas fidei.*

Fides est *humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis* (4), sine qua *impossibile est placere Deo* (5). Hæc autem non nisi una esse potest. *Unus* siquidem *magister Christus est* (6). Ipse vero, cui credidit suam doctrinam? Soli Ecclesiæ. Non alteri promisit Spi–

(1) I Corint. 12, 13.
(2) Io. 17, 12-22.
(3) De Synod celebr. cap. 1.
(4) Conc. Trid. sess. 6, cap. 8.
(5) Hebr. 11, 6.
(6) Matt. 23, 10.

ritum Sanctum, qui secum maneret in æternum, et omnia doceret et suggereret quæ ipse docuerat (1). Non alteri ius commisit et officium docendi omnes gentes usque ad consumationem sæculi quæcumque Ipse mandaverat (2); ita ut qui non credit, habendus sit tamquam ethnicus et publicanus (3), et iudicio ipso suo iam condemnatus (4).

Ideoque Apostolus clamat: *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: Si quis vos evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit* (5). *Obsecro vos fratres per nomen Domini Nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.... Divisus est Christus?* (6).

De hac fide divina profitenda, prædicanda, defendenda diffuse loquimur in prima Constitutionum parte. — Iam, ehu videtis Ven. Fratres, immane bellum, quod potestates tenebrarum, et impii ac vaferrimi homines, pravis libris, effemeridum colluvie, scholis sibi subiectis, publicis privatisque factis et sermonibus adversus fidem et pietatem gerunt.

Vos ipsos appello! Cui iam parcitur veritati? non Deo, non Iesu Christo, non Pontifici Maximo, non ulli ex iuribus atque officiis quibus unice, tanquam solido fundamento societas humana constare potest ac regi.

Efficiamus nos ergo similes Patrifamilias, qui de thesauro veritatis profert nova et vetera (7).

(1) Io 14: 17, 26.
(2) Matt. 28, 18-20.
(3) Matt. 18, 17.
(4) Marc. 16, 16.
(5) Galat, 1 : 8, 9.
(6) I Corint. 1 : 10, 13.
(7) Matt. 13, 52.

Semper sincero animo ac plenissime adhereamus germanis Catholicæ veritatis fontibus, et authentico Ecclesiæ et Sanctæ Sedis magisterio, qualibet tandem forma proposito, et quodcumque demum *materiale* obiectum *proxime* spectet. Simul vero præ oculis habentes, quid periculi, quid pro diversitate locorum atque animarum instet necessitatis, prout in Constitutionibus statutum est, gladio spiritus, quod est Verbum Dei instructi, stemus pro domo Dei, prælia eius fortiter præliantes. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra* (1), *sed fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi* (2).

Fidei unitatem sequitur *Cultus* et vitæ christianæ unitas, quæ sicut flos de ipsius fidei radice ascendit. — Quamvis enim Romana Ecclesia, utpote Mater benigna et sapiens, sese libenter accomodet temporibus ac gentibus, eadem semper et ubique sibi est in iis, quæ Christus ipse statuit, vel veneranda traditio servanda decrevit. — Ideoque Catholici omnes, sive Romæ degant sive Lugduni, Vindobonam incolant vel Lutetiam Parisiorum, Sidney vivant vel Pechini, parvis in Sacellis et in Cathedralibus auro splendentibus ac marmoribus, eosdem concinunt psalmos, eadem celebrant festa, eodem sacrificio Deum colunt, iisdemque fruuntur omnes Sacramentis, inter quæ præstat *Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis,* ut Sanctus Thomas ait (3), secundum illud Apostoli: *Unus panis et unum Corpus; multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno Calice participamus* (4).

Huic Cultus et christianæ vitæ unitati consulitur in 2ª et 3ª. Constitutionum Parte, ubi omnia exponuntur quæ spe-

(1) I Io. 5, 4.

(2) Rom. 10, 17.

(3) Sum. Theol. 3, q. 67, a. 2.

(4) I Cor. 10, 17,

ctant ad Sacramenta, Sacramentalia, ad Religiosas functiones, Ecclesias, Reliquias, Cæmeteria, et res omnes sacras.

Hoc pretiosum depositum ea, qua par est pietate, dignitate, diligentia custodire et administrare satagamus Ven. Fratres, omnia observantes, quæ sanctissimis Ecclesiæ legibus in tam gravi materia statuta sunt. Hoc depositum ardenti zelo, charitate, prudentia, communicare fidelibus studeamus, ita ut accedentes hauriant aquas de fontibus Salvatoris, cuius gratiæ et misericordiæ comministri sumus.

Attamen alto corde nobis repositum sit, VV. Fratres, tum solummodo posse nos digne adimplere ministerium nostrum, et fructus renovationis et sanctificationis in fidelibus obtinere, cum efficaciter languores nostros curantes, statuerimus viam pietatis et sanctitatis, ut nos decet, firmiter arripere.

Pro eis, ego sanctifico meipsum ut sint et ipsi sanctificati in veritate (1) dixit Dominus Iesus. Quemadmodum ergo Salvator noster, a se ipso et ab Apostolis, quos christianæ vitæ magistros esse voluit, initium fecit, sic a nobis ipsis, ait S. Carolus, ut vivendi præcepta tradere valeamus, exordiendum est — Studeamus ergo, Venerabiles Fratres, toto corde et effectu ut nos metipsos ab omni malo, quin imo a mali specie emendemus, et incumbamus in virtutes illas augendas, quas cælestis sacerdotii dignitas requirit.

Hæc omnia late prosequimur in IV[a] Constitutionum parte, ubi de vita et honestate Clericorum ac præcipue de Disciplina agitur.

Etenim ipsa fidei et Cultus unitas nequit salva consistere *sine unitate Disciplinæ seu Regiminis.*

Nullus enim ordo, nulla pax, ubi legum custodia et graduum observantia desiderantur, quæ, si bene custodiantur, *aciem* ordinatam reddunt Ecclesiam et imaginem hic in terris cœlestis Hierusalem.

(1) Io. 17, 19.

Numquid, quærit Apostolus, *numquid omnes Apostoli? numquid omnes profetæ? numquid omnes Doctores?* (1). Nequaquam « *Nam et Corpus, non est unum membrum, sed multa... Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?... Quod si essent omnia unum membrum, ubi Corpus?... Vos autem estis Corpus Christi et membra de membro. — Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos* » (2) eorumque successores Episcopos, quos inter eminet Romanus Pontifex, qui plenam et supremam potestatem iurisdictionis habet, eamque ordinariam et immediatam in Ecclesiam Universam, ideoque est verum centrum unitatis Ecclesiæ.

« *Primatus Petro datur,* ait Cyprianus *ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur. — Et Pastores sunt omnes* (Apostoli): *et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus, unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur* » (3).

Perspicuum hoc est ipsis Ecclesiæ hostibus, qui consilia sua omnia, artes atque violentiam convertunt, ad hanc Ecclesiasticæ disciplinæ partem, si fieri posset labefactandam, vel saltem ad dissensiones inter Clericos excitandas, quippe qui bene norunt, actum esse de exercitu, in quo ordinum graduumque concordia deficiat, vel infirmetur — Væ illis qui perniciosissimum vereque satanicum hoc incitamentum sequuntur, aut illi obsecundant.

Nos Episcopi unum erimus cum Romano Pontifice, ut sæpius, coram et letteris singuli et simul collecti, Sanctissimo Pio X protestati sumus. Vos omnes, ut chordæ lyræ (4) Episcopis vestris cooptamini, ne quidquam apud nos

(1) I Corint. 12, 29.

(2) Ib. 14, 17, 19, 27, 28.

(3) De unit. Ecclesiæ cap. 2°.

(4) S. Ignatius ad Ephes.

inveniatur dissidii vel minimi, unde aliquis nos dividi posse arbitretur.

Suum enim Episcopus servat locum atque obedientiam tunc obtinet, quando Summo Pontifici omnino subiicitur; Sacerdotes autem, cuiuscumque ordinis gradus et dignitatis, honorem et obedientiam a Populo consequuntur tunc solum, cum se, proprio Episcopo omnino subditos exhibentes, supremæ Petri Chathedræ efficaciter et indivulse adhærent ac subiiciuntur.

Quicumque se a præcipuo huius catenæ anulo divellit, Deo permittente, in ludibrium fiet inimicis, et instrumentum perditionis multorum.

Eapropter in hac præcipua Disciplinæ Ecclesiasticæ parte, quæ merito nervus Ecclesiæ vocatur, firmissime Ven. Fratres instemus, « concordiam animorum servemus, ut arctius per officium imperandi obediendique in nomine Iesu Christi inter nos cohæreamus ».

Secure tunc licebit Sacerdotibus prodire in Populum, et sicut V^a^ Constitutionum Pars præcipit, Christum inducere in omnium corda ac domos, in Scholas atque officinas, in opera omnia atque consilia, auspice semper sincera illa et integra charitate, quæ « multorum corda coniungit in aliquid unum, quod est principaliter quidem bonum divinum, secundario autem bonum proximi » (1).

Liceat igitur concludere verbis Sancti Ignatii Martiris. « Obsecro Vos, ut una fide, una predicatione, una Eucharistia utamini: una enim est caro D. N. Iesu Christi et unus illius sanguis, qui pro omnibus nobis distributus est: unus panis, qui omnibus fractus est, unum altare omni Ecclesiæ, et unus Episcopus cum præsbiterorum collegio........ Et vos itaque esse oportet populum peculiarem et gentem sanctam, et omnia perficere concordibus animis in Christo ».

(1) S. Th. III^a^ Sum. Theol. 9, 37, a. I.

Adsit nobis clementissimus Deus, et mittere dignetur sedium suarum assistitricem sapientiam. Adsit pia Mater prudentissima Virgo, sub cuius tutela hic erimus unanimiter in Oratione perseverantes.

Adsint inclyti Patroni huius Metropolitanæ Ecclesiæ Sanctissimi Ambrosius et Carolus. « Adsint cœlestes Patroni, Sancti et Sanctæ omnes, singularum Diœceseon quæ hanc gloriosam Ecclesiasticam Provinciam efformant: quibus omnibus inchoandam hanc Synodum fidenter dicamus. Amen.

CONCIO
EMINENTISSIMI ARCHIEPISCOPI
IN PRIMA SOLEMNI SESSIONE HABITA.

« Iam ex Evangelio, quod modo audistis (Divus Carolus Noster adhuc loquitur), iam ex Evangelio, quod modo audistis, Patres Reverendissimi, optime intelligitis apostolos a Christo Domino convocatos, — *convocatis duodecim apostolis* — et ad prædicationem regni cælestis missos esse, cum potestate sanandi morbos depellendique dæmones.

« Sunt etiam vobis ex evangelica illa commemoratione perspectæ eius Apostolicæ legationis Apostolicique officii leges, ore Divinæ sapientiæ præscriptæ; rursusque cognitum studium, quod summum in illis exequendis Apostoli magna cum omnium admiratione præstiterunt. Cum autem hoc ipso tempore Clerus populusque hic Mediolanensis Vos, qui Apostolorum successores estis, ex legibus Christi Domini Spiritu in sacro Tridentino Concilio decretis, convocatos ad Concilium Provinciale concelebrandum convenisse cernit; is modo illius Apostolicæ convocationis et legationis, quæ Evangelicis verbis commemorata est, quasi speciem quamdam ob oculos propositam intuetur ».

Intuebatur tunc temporis, quum ita loqueretur Beatissimus ille Pater et Pastor, in Episcopis una simul congregatis Apostolicæ legationis et convocationis speciem; ast nonne hodie Clerus hic et populus eiusdem legationis et convocationis formam intuetur? Nonne et nos Apostolorum successores compellant? Nonne eadem ac illa convocatio et legatio nostra? — Neque profecto desunt hac nostra ætate languores qui per nos curari debeant; infirmi, quos

ministerio nostro sanemus. Imo plures omnino sunt hisce nostris diebus, quam quos ætate sua S. Carolus recensebat. Mala enim pestifera et perniciosa, quæ abesse tunc videbantur, aut quæ in foribus tantum prope aderant, nunc domi adsunt; turbidarum namque aquarum vis in totam fere hanc provinciam erupit.

Sunt nimirum errorum monstra, quæ nunc temporis debacchantur, quibus præsertim Pastorum vigilantia occurrat oportet, ut Dei ope incolumis servetur fides, quæ initium est et radix omnis iustificationis, et sine qua impossibile est placere Deo.

Nemo enim ibit inficias, tempora videri nunc advenisse per Apostolum adumbrata, qui ad Timothæum scribebat: « *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, scelesti, sine affectione, sine pace, proditores, protervi, timidi, voluptatum amatores magis quam Dei, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, errantes et in errorem mittentes* ». — De nostra item ætate vaticinare videbatur Apostolus, quum aiebat: « *Erit tempus, in quo sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* ».

Sunt ii profecto, qui in materialismum abierunt, et, abiudicato homini spiritu, seu anima rationali, eius dignitatem infra ipsam brutorum conditionem deiiciunt; ipsam proinde Dei existentiam et animi immortalitatem subvertunt; quo fit, ut, quolibet boni et mali sublato discrimine, religionis omnis et societatis fundamenta penitus convellantur.

Ii etiam sunt, qui mitiores quidem videri volunt; at magnum fidei beneficium non æstimantes, vel prorsus ignorantes, ea quæ captum rationis superant e religionis am-

bitu reiiciunt, et finitæ rationis limites denegantes, cælestis et supernaturalis sapientiæ lumine instrui dedignantur. Quare eo usque pervenerunt, ut divinæ a D. N. Iesu Christo revelatæ fidei ac doctrinæ suffoderent fundamenta et ipsam epistolam omnipotentis Dei ad creaturas rationales, *sacras scilicet Scripturas,* vel omni divinitatis charactere expoliarent; vel, adulterantes verbum Dei, perversis et impiis interpretandi modis excogitatis, divinas evangelii veritates in suorum errorum defensionem pertrahere non erubescerent.

Per gynnasia in adolescentulorum et iuvenum alimoniam ista errorum colluvies late diffunditur: in vulgus etiam inundat per impios libellos et ephemerides ac pagellas mendaciis refertas, et calumniarum ac seductionis plenas, ex quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terræ.

Hinc sponte sua errorum ubique grassantium consectaria deflemus: sunt autem, ingeniorum protervia legitimæ cuiusque potentis impatiens, legum contemptus, quæ mores regunt, iustitiam tuentur atque ideo reipublicæ bona procurant; — « ea denique (verbis utar sap. Leonis XIII), quæ serpit per artus intimos humanæ societatis læthifera quædam pestis, quæ eam quiescere non sinit, ipsique novas rerum conversiones et calamitosos exitus portendit ».

Verum Apostolus Timotheo suo, et ideo cuique nostrum, Patres Rmi, clamat: « *Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.* » Porro christianam fidem didicimus vel a prima nostra ætate; christiana fides et doctrina nobis credebatur, quum in sollemni nostri Natalis die Evangelium super cervicem et scapulas Nobis imponebatur; et corde magis quam auribus illud excipiebamus: « *Accipe Evangelium: vade et prædica populo tibi commisso* ». — Scimus item a quo didicimus, a quo accepimus: ab una Ecclesia, quam Christi

sponsam colimus non habentem maculam neque rugam, quam tenerrimam matrem nostram veneramur, columnam et firmamentum veritatis ac magistram, erroris expertem.

Timotheo suo item clamat Apostolus, clamat et nobis: « *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ* ». — Quorsum autem convenimus, nisi ut intensiori ratione hic super greges nostros vigilemus, ut in omnibus impensius laboremus, ut sollemnius evangelistarum opus faciamus?

Hic sumus ut ne clamare cessemus, ac quasi tuba exaltemus vocem nostram: ad filios nostros ab errorum peste præservandos clamamus, ut ad Ecclesiam accedant, qui procul abierunt; ut in amore erga Ecclesiam alii obfirmentur et roborentur. Una est enim arca salutis; cum una Ecclesia se permansurum spopondit, qui salvator omnium est, Christus Iesus, via, veritas et vita. Ipse autem uni Ecclesiæ divinam suam missionem contulit, eamque supra firmam petram, idest super Petrum ædificavit, qui in suis successoribus adhuc vivit, præsidet et iudicium exercet; qui omnium agnorum et ovium est pastor; omnium fidelium Pater, totius Christianitatis, totiusque humani generis magister falli nescius.

Erit ne vox nostra, vox clamantium in deserto? Avertat Deus! una cum veritate et iustitia pacem omnibus annunciamus: si qui erunt fiilii pacis, requiescat super illos pax nostra; sin autem ad nos revertetur. Nostrum est bonum certamen certare, cursum consummare, fidem servare; in reliquo (en ineffabile solamen nobis ab Apostolo præstitum) reposita est nobis, ope et misericordia Dei, corona iustitiæ, quam reddet nobis Dominus in illa die iustus iudex, nec nobis solum, sed omnibus qui diligunt adventum eius. — Antea vero quam ad filios nostros clamemus, clamemus in cœlum vocibus beatissimi Patris nostri Caroli, qui olim ex hoc ipso loco, modo autem ex suis sacris exuviis, quas

nos devote veneramur, ita ad cœlum clamat: « *Domine Deus omnipotens, qui iussisti seniores septuaginta de populo a Moyse convocari ad ostium tabernaculi fœderis, illisque eodem loco commorantibus adesse, atque unum eumdemque spiritum largiri dignatus es; quique Apostolis tuis in uno loco congregatis Spiritum Sanctum tuum misisti, eorum mentes illuminasti, corda usque adeo accendisti, ut incredibili ardore inflammati, cum se divinæ prædicationis legatos agnoscerent, uno ardentissimo studio, iisdem Apostolicæ doctrinæ institutis, toto terrarum orbe illa legatione tam admirabiliter perfuncti sint: Nobis hodie nomine tuo in unum convocatis adesto, quæsumus: mentes nostras divini tui luminis splendore illustra, bonitate fove, sapientia rege et moderare; atque effice ut nos uno consilio, iisdem vigilantiæ officiis, iisdem monitis, iisdem exemplis, legationis nostræ munera atque officia exequamur, et ita salutariter exequamur, ut tandem nos et fideles Provinciæ nostræ, unum in te effecti, sempiterna illa gloria in te uno Deo perfruamur. Amen* ».

CONCIO
REVERENDISSIMI CREMENSIS EPISCOPI
IN SECUNDA SOLEMNI SESSIONE HABITA.

Eminentissime Princeps, Excellentissimi Præsules, Reverendissimi Fratres,

Mens quidem esset, meum et omnium nostrum grati animi sensum aperire Deoque dicere gratias, qui sacrum hoc Provinciale Concilium nobis celebrare concesserit, quod a sæculis, acerbitate temporum, coadunari nequiverat; sed quibus utar verbis prorsus nescio. Est in hoc divinæ paternæque Providentiæ testimonium perspicuum; mala enim (heu quot et quam gravia!) ingruentia propulsari et bona promoveri ac provehi, Deo iuvante, collatis consiliis, per Concilium, possunt et debent. — Verum quod lingua præstare non potest, suppleat intimus cordis affectus, suppleat concors et generosa omnium nostrum voluntas ex Provincialis huius Concilii celebratione uberem illum spiritus fructum colligendi, qui est in omnium votis. Hoc erit procul dubio grati animi nostri acceptius Deo obsequium.

Verum de quonam a nobis agitur in hac Sacra Conciliari Congregatione universi provincialis cleri? — Profecto de rebus ad Dei gloriam et animarum salutem spectantibus: hæc summa intentio, hic unus labor. Uno verbo agendum nobis est de rebus immediate vel saltem mediate supernaturalibus. Sed de supernaturalibus negotiis tractaturos fides supernaturalis moveat, dirigat, informet, omnino necesse est; fides, inquam, supernaturalis, quæ supernaturalis vitæ est radix. Sinite igitur, Venerandi Præsules et Sacerdotes, me vos hortari, ut fidem, quæ vos exornat et movet, vividius excitetis in corde.

***

« Fidem, quæ humanæ salutis initium est, Ecclesia Catholica, in Vaticano Œcumenico Concilio coadunata, profitetur et docet virtutem esse supernaturalem, qua Dei « adspirante et adiuvante gratia, ab Eo revelata vera esse « credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem « ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est « enim fides, testante Apostolo, *sperandarum substantia « rerum, argumentum non apparentium* » (1). Sic nos, inquam, solemniter et infallibiliter Sacrosanctum Vaticanum Concilium docet.

« Quum autem fides, subiungit Catechismus Romanus, « ex auditu concipiatur, perspicuum est quam necessaria « semper fuerit ad æternam salutem consequendam doctoris « legitimi fidelis opera ac ministerium, siquidem dictum « est: *Quomodo audient sine prædicante? Quomodo vero « prædicabunt nisi mittantur?* (2). — Quapropter Deus alios « dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, qui verbum vitæ annuntiarent, ne circumferremur tanquam parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ, sed firmo fidei « fundamento adhærentes, coædificaremur in habitaculum « Dei, in Spiritu Sancto » (3).

At qui locutus fuerat Patribus per Prophetas, *novissime.... locutus est nobis in Filio,* et ab Ipso Ecclesia fundata est, quæ veritatem duobus fontibus, verbo nempe scripto et verbo tradito, haurit et tradit, cuiusque visibile caput est Romanus Pontifex, de quo inclytus noster Ambrosius aperte proclamat: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna.*

(1) Sess. III, C. 3.

(2) *Catech. Rom.*, Præf. Lect. 1ª.

(3) Ibid. 2.

Iamvero, quod maximi momenti est, fides, Venerandi Fratres, est in cordibus nostris excitanda, strenue defendenda et ferventer colenda. — Enimvero non desunt, ut probe omnes scimus, nostris etiam diebus, qui fidem catholicam omnino detrectant, nec desunt qui eam inficiunt vel fidei insidiantur per subtiles cavillationes. Quos bene divus Ambrosius noster describit in suo Tractatu *De Fide Ortodoxa* aiens: « Multas quidem et graves hæreses novimus « a plurimis ebullire et, veneni vice, ad intimum pectus can« ceris sui virus infundere. At vero ii, quibus multa nobiscum « paria sunt, (et sunt catholici - non catholici nostri tem« poris) facile possunt innoxias mentes et soli Deo deditas « fraudolenta societate percutere, dum malorum suorum « virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius « his, (pergit Ambrosius), esse potest, qui cum integre per « cætera decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, « meram illam ac simplicem fidem Dominicæ et exinde « Apostolicæ traditionis inficiunt. Unde vehementer nobis « cavendum est, ne se vel auribus nostris huiusmodi ali« quid latenter insinuet, quia nihil tam cogit in mortem, « quam sub obtentu fidei fidem violare. Ut enim gypsum « aqua permixtum lac colore mentitur, ita hic per verisi« milem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de « re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est pon« derandus, quo confessio ipsa firmatur » (1). — Nonne, inquam, per eximium nostrum Ambrosium descripti videntur hodierni illi hypercritici, qui auctoribus rationalistis et protestantibus se docendos tradunt, et quorum conatus tendere videntur non quidem ad invenienda rationum momenta, quibus veritas confirmatur, sed potius ad captandas, nimia levitate et tumescentia mentis, cavillationes, quibus contra veritatem ingerantur dubia? — En: Nos catholici fidei definitæ ea quoque accensemus, quæ cum definitis

(1) *De Fide Ortodoxa*, C. 1.

veritatibus immediato et intimo nexu copulantur; e contra quid isti? Per fallacem analysim ipsis de fide articulis *quod minimum* ægre concedunt. — Divina Sacræ Scripturæ inspiratio a Sacra Scriptura parum abest quin evanescere et exulare debeat. — Evolutio dogmatum, quæ *subiectiva* est, *obiectiva* quoque, eorum sententiâ, sit, oportet. — Sicque æternitas pœnarum (utpote divinæ Misericordiæ repugnans) et existentia inferni eiusque ignis aperte vel subdole in dubium vocantur; et ita porro. — Quis ergo dubitet, Excellentissimi Præsules et Venerandi Sacerdotes, fidem, ut dixi, nobis omnibus in primis excitandandam esse, strenue defendendam, ferventer colendam?

*
* *

Quod si animum vertamus ad illud « *Qui se existimat stare, videat ne cadat* » (1) et discrimina et pericula et tentationes perpendamus, quæ sacrum ipsum sacerdotalis ministerii exercitium obvia ponit, filialis prudentisque timoris desiderium in nobis oriri sentiemus, qui nos a peccando detereat, non enim alia utimur natura, qua cœteri homines. — Iamvero de fide Angelicus sic disserit: « Est etiam causa « timoris filialis, quo quis timet separari a Deo, vel quo « quis refugit se Deo comparare, reverendo Ipsum, in quan- « tum per fidem hanc existimationem habemus de Deo, « quod sit quoddam immensum et altissimum bonum, a quo « separari est pessimum et cui velle æquari est malum » (2).

Verum non hoc tantum, sed, ut idem Aquinas pergit, fides purificat corda, quod sacerdotibus Iesu Christi maxime optandum. En Angelici verba: « Dicendum quod im- « puritas uniuscuiusque rei consistit in hoc, quod rebus « vilioribus immisceatur (non enim dicitur argentum esse « impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur,

(1) I, C. 10, 12.

(2) II^{a}, II^{ae}, VII, art. 1.

« sed ex permixtione plumbi vel stamni). Manifestum est « autem quod rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus et corporalibus creaturis per amorem. A qua « quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum « scilicet tendit in id, quod est supra se, scilicet in Deum, « *in quo quidem motu primum principium est fides; accedentem enim ad Deum oportet credere.* Et ideo primum « principium purificationis cordis est fides, qua purificatur « impuritas erroris; quæ si perficiatur per caritatem formatam, perfectam purificationem causat » (1).

***

Quod si purificatum cor sacerdos in pectore gerat, paratus erit ad orandum, in quo spes sacerdotis et efficacia sacerdotalis ministerii consistunt. Num potest sacerdos in semetipso confidere, in scientia, in dexteritate, in virtute propria, in eloquentia? Num in protectione aut amicitia hominum? — Non ita profecto, sed in adiutorio Dei miserentis, quod per orationem impetratur. « *Homo esto orationis et esto homo Dei; petitiones tuæ innotescant apud Deum* » (2). Sed ex adverso, obnubilata vel infirmata fide, quænam superesse poterit spes, quænam caritas, sine quibus impossibile est hominem ad orandum moveri? — Vides? Sacrosanctum missæ Sacrificium concitato motu celebratur, populo licet indigne ferente et scandalum patiente; Sacramenta perfunctorie et oscitanter administrantur: prædicatio fit profanatio verbi Dei: preces rituales liturgicæ præcipitanter leguntur vel ad arbitrium omittuntur vel resecantur. Pudet hæc recensere, Venerandi Præsules et Dilectissimi Fratres: sed quænam tam gravium malorum radix? — Sine dubio deficientia fidei, id quod mœrens et illacrymans inclamabat beatus ille Vianney in suis catechesibus: « Fides est, quæ deficit nobis; fides est, quæ deficit nobis ».

(1) II.ª II.ªᵉ, Q. VIIª art. 2.

(2) Phil. 4, 6.

Sed licet brevis esse contendam, potissimum apud vos, qui magistri populorum munere fungimini, præterire nequeo, quod in exercitio sacerdotalis ministerii una cum prudentia et mansuetudine interdum virili fortitudine uti oportet. Id contingit, et in secreta sacramentorum administratione et in negotiorum tractatione externorum. Difficile, fateor, contingere poterit, quod sicut sanctus Ambrosius eo usque deveniamus, ut dicere debeamus Theodosio: — *Qui secutus es delinquentem, sequere pœnitentem.* — Attamen non adeo infrequens est, ut conantibus nos avertere ab officio nostro respondere debeamus illud — *Non possumus.* — Iamvero sacerdos, cui deficiat fides integra et efficax, et in quo ex consequenti orationis spiritus desideretur, undenam virile mutuabitur robur? Fac eum orationem negligere, et habebis viribus destitutum et contra adversarios paventem; sed deme vel infirma in eo spiritum fidei, et tunc spiritus orationis extinguetur, et sacerdotalis fortitudo evanescet.

*
* *

Numquid autem consistere poterit vera obedientia Summo omnium Magistro et Patri, Romano Pontifici, si fides non sit in nobis bene obfirmata? Summus ipse Pontifex in postremis suis Encyclicis Literis conqueritur et damnat eandem obedientiam, a nonnullis depravatam, doceri stylo prorsus rationalistico. Et profecto sine fide obedientia cadit, neque proferri poterunt illa Hyeronimi celebrata verba contra Iovinianum: « Unus eligitur ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio » (2), neque illa ad Damasum: « Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri comunione consocior; super illam Petram, ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio ».

(1) L. 1, c. Iov.

***

Ut brevi complectar quæ, vobis indulgentibus, dixi: Hostes fidei non desunt; fides ingerit timorem, qui a malo deterret; fides purgationem facit mentis ab errore; *fide firmos esse*, caput est ad orandum; fide acquiritur fortitudo; fide nititur catholica obedientia. Hisce et aliis rationum momentis, quæ brevitatis causa omitto, fides omnibus nobis excitanda, strenue defendenda, ferventer excolenda est.

***

Fides igitur, Venerandi Præsules et Dilectissimi Sacerdotes, bonorum operum et virtutum exercitio vivens et vivificans maneat cordibus nostris insculpta et sigillo firmata. In ipsa fundamentum habeat spes, per ipsam fervescat caritas in Deum et salutem animarum. Fides Catholica, Apostolica, Romana sit vita vitæ nostræ.

Sed Vos, inclyti nostri Patres, Ambrosi et Carole, quorum sacras exuvias filiali amore veneramur; Tu, Ambrosi, qui inter martyres fidei in tua ecclesia quiescis; Tuque, Carole, qui nos veluti intueri videris nostrasque voces benigne audire, pro nobis orate ante tronum Dei. Halet super nos spiritus vester, ut et nos documenta vestra secuti secutique nuperrimum et eximium exemplum Episcoporum Gallicæ et Belgicæ regionum, qui uno corde unaque voce Summo Ecclesiæ Moderatori obsequium et obedientiam palam protestati sunt, aperte et constanter dicamus: — *Ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors, sed vita æterna.* — Tu, Carole sancte, respice de cœlo et vide et visita vineam istam et dirige eam, quam plantavit dextera tua. Tuque, Virgo Sanctissima, cujus nomine amplissimum templum hoc dicatum est, quamque, licet Infantulam, vix hausta luce, veneramur *Sedem Sapientiæ* et *Virginem Fidelem*, adiuva nos benigne, protege Congregationem hanc nostram, confirma in nobis et adauge fidem.

CONCIO

EMINENTISSIMI ARCHIEPISCOPI

IN TERTIA SESSIONE ET FINE CONCILII HABITA.

Os nostrum, Patres amplissimi, gaudio repleatur et in divina bonitate et misericordia semper exultet; una simul omnes magnificemus Dominum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. Ipse enim fecit nobis magna qui pius, benignus et potens est, atque adeo, quod vere dignum et iustum, æquum et salutare, hoc illico adhibeamus, ut scilicet nunc potissimum et hic, semper et ubique eidem misericordissimo Deo ex animo gratias agamus; et licet ab hoc sanctissimo loco simus recessuri, numquam tamen illa recedat laus in ore nostro. Præsentia item ab invicem disiuncti et separati, in Iesu Christo pastorum principi amando et glorificando omnium nostrum unum erit semper cor et anima una.

Nonne revera, quod, ineunte actione hac synodali, dicebam, nunc, eâdem absolutâ, illud est recolendum: « a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris? ». Confiteamur oportet mirabilia quæ fecit nobis, eaque populis nostris annuntiemus.

Quod bonum petiit a Patre Christus Dominus hoc hisce diebus manifestatum est inter nos. Fraterna charitas, animorum perfectissima concordia haud seiuncta ab illa comitate, quæ suaviorem efficit fraternitatem, veluti dona ipsius Dei spectanda sunt, simul autem signum extant haud dubium illius adimpletæ divinæ promissionis: « *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nostrum erat, Patres amplissimi, iis adlaborare quæ spectant ad Provinciæ Nostræ vulnera sananda, ad animarum pericula propulsanda atque ad errorum tenebras depellendas; verum decretis et hortamentis, quæ in hunc

finem edidimus, nonne maior accedit auctoritas ac maius pondus ex plurium consilio atque consensu? Hoc quoque — *a Domino factum est, et est mirabile in oculis nostris.*

Ast potius quam nostra et nova, vetera in primis proferebamus nos medici medicamenta salutis. Hæc sunt nimirum concilia et sapientissima decreta sancti Caroli Borromei, quibus ipse iure merito *lumen orbis* adpellatur. Namque eadem transgressa sunt maria, transvolarunt montes, longinqua regna et provincias penetrarunt et remotissimas gentes, quæ maximo cum fructu ea omnia complectebantur. Thesaurus sunt valde pretiosus, sed multis thesaurus erat absconditus. In Actis Ecclesiæ Mediolanensis quasi condita, quid prodesse poterant nisi retecta? retecta modo sunt, in lucem prolata per huius Concilii Constitutiones, ac præsertim in animarum bonum ob oculos eorum posita, qui, pro suo officio, animarum gerunt sollicitudinem.

Nova etiam de recentiori thesauro protulimus, ea nempe quæ aptissime et sapientissime docuit vel iussit nostris hisce temporibus Sedes Apostolica, cui uni illud tribuere debemus quod inter tot errorum tenebras adhuc incontaminata veritas relucescat, et fides nostra sincera et integra servetur. Quid nobis, quid Ecclesiæ, quid mundo ipsi, si vox illa siluisset, quæ e Cathedra Petri per eius successores in ætate hac nostra iugiter intonuit? Eam quidem omnes audierunt vocem: omnibus tamen profuit eamdem in hac nostra synodali actione recoli et in synodalibus constitutionibus sollemnius promulgari.

Præterea, quî fit ut alia pene innumera silentio prætereamus bona, quæ hoc opus, quod modo absolvitur iam peperit et in futuro pariet? Videte, Veneratissimi Patres et fratres dilectissimi, videte supplicationes his diebus ad altaria Deo O. M. a sacerdotibus habitas in tota qua late patet hac nostra Provincia: videte fideles universos pie deprecantes: videte sacras virgines demisse ac religiose orantes.

Num inania hæc omnia? nonne ea enixe postulabantur quæ in gloriam Dei conferunt et in salutem animarum? Numquid illud præterivit divinum promissum: *Petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis?*

Videte sacra sollemnia, quæ in hoc maximo templo celebravimus, quæ certe in nostrum et fidelium profectum redibant. Hic enim Domino sacra litavimus, hic prosternebamur ad divinam operam innovandam, ad Deiparam et Cœlites deprecandos ut pro nobis pie intercederent, hic nobis propius aderat inclytus protector noster Carolus Borromæus, ab eoque videbamur ediscere, qui immortalia sacerdotalis fortitudinis exempla reliquit: idemque per infensa, ut tum quoque erant, Sedi Apostolicæ tempora, nihil habuit sanctius quam ut in obtemperatione Romano Pontifici confidenter adquiesceret, omnem inde sumens et cogitandi normam et agendi.

A Domino factum est etiam ut iterum audiremus sanctissimum eumdem Parentem nostrum Carolum nobis Episcopis quasi viva voce e Cœlo ubi gloriosus exultat, atque ex ea ipsa arca, in qua sacræ eiusdem exuviæ alteram eamque pariter gloriosam expectant resurrectionem; viva, inquam, voce audiremus dicentem: — Videte Patres veram sollicitudinem et vigilantiam, quæ in grege adhibenda est, videte charitatem quam Christo deberi profitemur. *Si diligis me,* inquit, *pasce oves meas.* Eo sane illustrius erga illum dilectionis testimonium datur, quo maius, in omni gregis pascendi ratione, studium et opera collocatur. Certe si Christum, ut debemus, diligimus, si Christi gloriæ servimus, si Christi regni propagationem cupimus, si Christo gratificari volumus; id præstantissima erga gregem Nobis commissum charitate, non verbis declarare solum, sed factis comprobare nos oportet. Id sane præstabimus, Patres, si non laboribus deterriti, non difficultatibus labefactati, non Satanæ adversarii colluctatione fracti, ab instituti operis

cursu nunquam desistemus: sed divini amoris igne accensi, omni virtutum Episcopalium studio adeo semper progredi contendamus, ut sine ullo metu et constanter agamus et perficiamus quod Evangelium docet, quod Christus iubet, quod ratio ipsa præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ auctoritas et dignitas postulat, ad Dei voluntatem, (non autem ad hominum placita) consilia, cogitationes, studia, actiones cunctosque nostros labores dirigendo ».

Hucusque Pastor ille bonus in populo, qui fecit et docuit, et adhuc facere et docere pergit, quum in semetipso egregium nobis exemplar præbet et præsidium ad salutem ovium procurandam. Si autem hisce, quæ a sancto Carolo audivimus ea multa addantur, quæ in variis et sanctis actionibus synodalibus prosequebamur, quid amplius in hunc finem exoptare licebit, ut scilicet mens nostra cælesti lumine illustraretur, ut charitas et animarum zelus in cordibus nostris magis ac magis exardescat, ut animorum nostrorum Episcopalis vis et ardor vividius incendatur ad novum quemdam sanctiorem hominem in nobis efformandum?

Quî autem fieri potest ut ea multa omnino prætereamus, quibus hisce diebus fortiori dilectione erga SS. Patrum nostrum in terris Christi vicarium ferebamur? Videbamur intimius cum eo vivere, eumque videbamus nobiscum quodammodo manere et conversari, summopere gavisi de iterata paterna ipsius benedictione, quæ domum filiorum firmat. Pluries in concionibus ea vox S. Ambrosii resonuit: « Ubi Petrus, ibi Ecclesia »; iterum autem auribus cordis nostri resonabit, quum venerabundi ad sacras eius exuvias in Ambrosiana Basilica conditos accedemus, ubi fortius et sollemnius inter gloriosos martyres inclamat ipse Doctor et Pastor: *Ubi Petrus ibi Ecclesia.*

Præ oculis igitur hæc habentes, quæ bona nobis protulit octavum hoc Concilium Provinciale, iure merito cum sancto Carolo clamemus: « O salutares Episcopalium Con-

ciliorum labores! adest nobis Christus Dominus; actionum nostrarum dux est Spiritus Sanctus: christianæ disciplinæ ratio omnis instauratur: studio eriguntur manus remissæ: virtute genua dissoluta roborantur, animisque vires adduntur. Quid multis? Hæc conciliorum actio, nos ipsos qui doctoris officio fungimur, qui Ecclesiæ medici sumus, docet, instruit, recreat, reficit, exsuscitat. An forte hoc hominis opus, non autem opus Dei? » Iterum igitur iterumque gratias agamus Domino Deo nostro! Eique confiteamur quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Verum, licet Deus omnia operetur, tamen propter abundantium suæ bonitatis (ait Angelicus) dignitatem causalitatis etiam creaturis communicat, quare Ecclesiæ suæ dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam doctores et gratias in consummationem sanctorum.

Iam vero nonne Benignissimo placuit Deo nos ipsos habere ministros huic operi quod operatus est in nobis? Quanta autem animi alacritate Concilio huic Provinciali tum initiando, tum continuando, tum absolvendo operam dedistis Patres amplissimi! Rerum synodalium discussionem magna sapientia persequebamini, et ea ratione, ut negotiorum cursus securius ac felicius præscriptos fines attingeret. Quid autem de vestra proferam caritate, qua tenuitatem meam et indignitatem et pertulisti, et sustinuistis? Quid de pietatis, prudentiæ, humilitatis ac patientiæ exemplis, quibus et meis hisce, et mihi ad virtutem stimulos addidistis? Quæ omnia hoc sane expostulant ut Vobis, RRmi Patres, ex animo gratias agam, illudque Vobis a Domino ominer ut fructus laborum vestrorum summo cum animi gaudio videre mereamini. — Oh! quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum! nunquam sicut his diebus, divini huius effati suavitatem delibaveram! Quocirca nostræ huius sacræ Synodi dies e felicissimis vitæ mææ diebus indelebili prorsus memoria reputabo.

Meas excipite sinceras gratiarum actiones, RRmi Canonici huius Metrop. Ecclesiæ, pro ea humanitate quo Reverendissimos Patres huius Prov. Concilii prosequuti estis, ac pro ea sollicitudine, qua vestram operam, vestra studia ad eiusdem Concilii felicem exitum contulistis. — Et vobis toto corde gratias persolvo, dilectissimi fratres Cathedralium universæ huius Provinciæ nuntii, vos etiam ex utroque clero cooperatores ordinis nostri, Consacerdotes in Domino carissimi. Sancta vestra conversatio et hisce fidelibus exemplo, et Concilii Patribus fuit pergrata, mihi autem lætitiæ et uberioris fructus causa.

Ad spectabiles cœtus vestros, ad confratres vestros quorum nuntii adfuistis, benevolentiæ nostræ, gratitudinis et fraternæ charitatis significationem exhibere velitis.

Ad Vos nunc redire cogor, Venerabiles sacrorum huius provinciæ antistites, quibus ut patribus obsequor, quos ut fratres sincero prosequor affectu, et quorum virtutum exemplis valde ad meliora provocor.

Me diligite, sicut facitis, fratres, quia ego vos diligo; mutuæ autem dilectionis perenne hoc extet argumentum: oremus pro invicem ut salvemur una cum gregibus nobis a Deo concreditis. — Vota hæc nostra pro sua bonitate et misericordia suscipiat omnipotens Deus, ut omnes sub uno Crucis vexillo militantes, nos et qui nobis sunt filii in Christo charissimi, in cœlesti gloria simul regnare mereamur.

O Maria! Immaculata Virgo Deipara, ad Tuos pedes provoluti Te humillime deprecamur: respice super nos, quæ maris stella audis et firmissima spes nostra.

Tu nos et Clerum nostrum materna pietate prosequere, qua Dei gloriam animarumque salutem promovere valeamus: Tu populum nostrum tuere, Tu Filii tui regnum in eo conserva, quod in dies floreat, et Te protegente, lætius in dies fructus referat gratiæ et veritatis. Amen.

DISCORSO

DI SUA ECC. MONS. VESCOVO DI BERGAMO

NEL SOLENNE SUFFRAGIO AI VESCOVI DEFUNTI.

Eminenza, Eccellenze, Fratelli in G. Cristo,

Pensiero alto di fede, vivo sentimento di cristiana carità ci raccolgono oggi qui.

Mossi già dallo zelo per la casa santa di Dio, spinti da brama ardente di corrispondere alla missione divina affidataci, ci siamo adunati già in questo tempio massimo della regione lombarda, accanto alla tomba gloriosa di San Carlo Borromeo, per celebrare sotto lo sguardo di Maria Santissima Immacolata il Provinciale Concilio.

Compiutolo oramai felicemente per somma bontà di Dio, era ben conveniente che tutti, Vescovi, Clero e popolo, volgessimo in modo particolare la mente ed il cuore a quei gloriosi Presuli che ci precedettero nelle Sedi nostre e che Iddio chiamò a sè. E questo per consecrare ad essi un ricordo pietoso ed offrire al Signore per essi supplicazioni e suffragi.

Vero è che molti titoli ci aprono l'animo a confidare che già questi sacri Pastori abbiano conseguita in cielo dal Pastore divino la corona meritata colle sostenute battaglie sante di un apostolato generoso e fecondo. Ma, poichè Iddio *in angelis suis reperit pravitatem* (1), e l'Apostolo stesso Paolo ebbe a dubitare di sè, *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum* (2), *qui autem iudicat me, Dominus est;* è conforme allo spirito di carità della Chiesa continuare il suffragio. Che se ai defunti Vescovi non sarà

(1) Iob. 4, 18.

(2) I Cor. 4, 4.

necessario, pur tuttavia sarà reputato a merito ed a vantaggio per noi.

Non io veramente, per molte ragioni, dovrei al pietoso consiglio partecipare con la parola ancora; ma solo col silenzio, colla meditazione e colla preghiera.

Obbediente tuttavia al Venerato Metropolita, dirò brevemente; e farò vedere nell'atto che qui si compie un *dovere pio* osservato, un *monito salutare* che si riceve, un *impulso valido* che a noi tutti viene dato. Eminenza, Eccellenze, è l'ultimo dei Vescovi che parla; ma è l'amore, è la gratitudine, è la fede che mi ragionano nell'anima e che mi fanno parlare.

Tra le virtù, che debbono ornare l'anima cristiana, è massima al dire dell'Apostolo la carità: *maior autem charitas* (1).

Ora tutti ben conosciamo che la carità prende molti e sempre bellissimi aspetti. E sappiamo altresì, che, mentre la fede, radice di ogni giustificazione, e la speranza che non confonde, non varcano i confini della vita umana quaggiù; la carità invece congiunge passato, presente, avvenire; penetra e lega il triplice regno militante, purgante, trionfante di G. Cristo; ci unisce per la comunione santa e salutare con le anime viventi in quella chiesa, che non combatte più nè con merito prega, ma nel purgatorio soffre ed aspetta.

Ecco perchè io ho detto testè che noi siamo adunati qui per compiere un *pietoso dovere*, dovere di carità. Imperocchè non è dubbio che i Pastori delle Diocesi nostre stesse, passati alla vita di là, dai quali noi Vescovi abbiamo ereditato larga copia di ammaestramenti e di esempi, ed i popoli nostri prezioso tesoro di innumerevoli benefici, hanno dritto sacro e solenne a gratitudine nostra ed a suffragio.

(1) I Cor. 23, 13.

Lo hanno, perchè sono prossimo, che soffre: lo hanno, perchè con sudori e fatiche e sacrifici molti hanno coltivata la vigna spirituale alla quale prima di noi furono preposti: lo hanno perchè, illustrandola con dottrina e santità, hanno saviamente governata questa o quella eletta porzione del gregge di Gesù Cristo; lo hanno infine perchè appartengono a quella chiesa purgante ed a quella nobilissima schiera di apostoli e di pastori, che Cristo brama avere trasformati e gloriosi nelle eterne sponsalizie de' cieli.

A tale diritto sacro corrisponde il nostro comune dovere. E noi, *ut minus sapiens dico* (1), con autorità di pastori e per insegnamento di quel divino Spirito che diffonde nel mondo la carità, invitiamo clero e popolo ad unirsi con noi nel soddisfarlo con prontezza e fervore.

Che se tale invito a pochi soltanto è rivolto qui direttamente, non sentite Voi, o Venerandi Presuli, che nell'anima nostra vibrano, si uniscono le anime tutte di coloro che Dio ci ha dati in figli?

Il suffragio nostro in questo momento solenne assume adunque un carattere generale e collettivo. Nella offerta del sacrificio, nella mestizia del salterio, nella efficacia della preghiera, noi rappresentiamo il popolo nostro, esprimiamo tutta la sua gratitudine profonda e sincera, onde vedemmo tante volte le prove; palpitiamo in un solo battito col loro cuore cristiano, desideriamo affrettata e compiuta a chi non l'avesse, la gloria del cielo. Ed è questo che ci deve confortare a moltiplicare le suppliche, fondati sulla parola di quel Dio che ha detto: *ubi sunt duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum* (2). Da Dio abbiamo questa certezza del suffragio. Essa poggia sulla promessa e sulla bontà sua infinita. Alle anime bisognevoli

(1) 2 Cor. 11, 23.
(2) Matth. 18, 20.

sarà concesso il premio sospirato: a noi non sarà negato il merito del dovere compiuto.

Ma la morte è maestra; e la funebre cerimonia è scuola che ci appresta, se ben osserviamo, *un monito salutare.*

Quella coltre infatti, che oggi si stende a ricordare chi passò — sia pure beneficando — ma passò dalla vita; quelle note pietose, che rivestono i flebili accenti del profeta o le preghiere materne della Chiesa; quell'altare vestito a lutto, sul quale si è immolata la Vittima infinita a proscioglimento delle anime che ancora fossero tra le fiamme del purgatorio, rammentano a me, a voi, a tutti, che noi siamo mortali: *statutum est omnibus hominibus semel mori* (1).

Oggi, un' infula sacra, simbolo della dignità e del potere; domani caduti sotto l'impero della morte. Oggi rivestiti di un sacerdozio sublime, che dà nelle mani le chiavi del cielo, sulle labbra la parola di Dio per il ministero sacro, la dispensazione dei tesori della grazia; domani il silenzio, l'inazione, la tomba. Oggi, superbi di sanità, e di beni, e di speranze della vita; domani, tutto sarà tolto. Il corpo alla terra, e l'anima a Dio.

L'anima a Dio! ecco il gran monito; meditiamo. Già varrebbe assai il funebre, rito se ci ammonisse anche solo che brevi sono i giorni nostri, più veloci di corridore, *dies mei velociores fuerunt cursore* (2); che il tempo è passaggio di un'ombra, *umbræ transitus tempus nostrum* (3); che vano è tuttociò che non è eterno, come ha detto S. Agostino *quod æternum non est, nihil est*, che bisogna quindi operare prima che venga la notte, *venit nox quando nemo potest operari* (4), e tesoreggiare tesori che non vengano meno, *thesaurizate vobis thesauros non deficientes* (5).

(1) Heb. 9, 27.
(2) Iob. 9, 15.
(3) Sap. 2, 5.
(4) Ioan. 9, 4.
(5) Matth. 6, 20.

Ma ciò che più interessa, ciò che tutto compendia, ciò che mette in fremito lo spirito che crede, sono quelle grandi parole: *l'anima a Dio!*

Io dico a me, Vescovo benchè indegnissimo: i Predecessori tuoi, per i quali tu preghi ed offri sacrificio, sono già entrati nella via di ogni carne. L'anima loro, creata, redenta, elevata tanto da Dio, è già tornata al cospetto del Signore di tutto, per l'esatto rendiconto; e la tua fra breve lo sarà.

Al giudice, che chiede ragione di tutto, esse hanno già risposto, e la risposta avrà finito in benedizione: ma tu che cosa risponderai: *quid respondebis?* A tal pensiero, a tale domanda, io provo in me un senso di trepidazione infinita. Quella *formido mortis* che opprimeva il reale profeta (1) *cecidit super me;* e ben più a ragione che non ai santi, dai quali sono purtroppo così lontano, reca un immenso timore. Io faccio mia più che mai la parola del paziente d'Idumea, al sovvenire che mi assale dei dì passati, ed esclamo: *parce mihi, Domine; nihil enim sunt dies mei* (2). Eppure rispondere dovrò.

Una vocazione santa mi fu data; mi fu data una missione che è la stessa degli apostoli, che continua la missione data dal Padre celeste a Gesù Cristo: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (3); mi aggrava le spalle una dignità, una potestà, un popolo di anime, delle quali sono pure responsabile: *quid sum, miser, tunc dicturus? Quem patronum rogaturus? cum vix iustus sit securus?*

De' miei predecessori io so quanto hanno fatto, quanto santamente hanno corrisposto al divino mandato, quanto hanno ben meritato delle anime davanti a Dio.

(1) Ps. 54, 5.
(2) Iob. 7. 16.
(3) Io. 20, 21.

Dei miei venerandi Confratelli nell'Episcopato io ammiro la dottrina, la virtù, lo zelo, le opere. E quelli e questi possa io imitare e seguire! Intanto io prendo per me il monito che dalla commemorazione odierna mi viene, e prego con la chiesa: *iuste index ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis:* e bramo e voglio la beata fine di chi muore nel Signore: *beati mortui qui in Domino moriuntur* (1).

E voi, o venerandi sacerdoti, e voi tutti o cristiani fedeli che all'atto di pietà partecipate, deh! non isdegnate che vi richiami a questo grande e salutare ammonimento, a questa bella ed immortale speranza.

Ma nel tempo stesso confortiamoci tutti. Questo atto medesimo che noi qui compiamo, mentre ci richiama così gravi riflessi, ci apre l'animo alla fiducia più grande; imperocchè è questa opera di carità; ed è scritto che la carità copre la moltitudine dei peccati, e fa trovare appo Iddio misericordia (2).

Ha Iddio promesso che nel giudizio estremo sarà titolo di benedizione la carità verso i corpi dei fratelli; ma non lo sarà ancora più ed ancor meglio quella verso le anime?

E se da noi questa carità si esercita oggi, quasi in nome di migliaia e migliaia di anime, per quei Pastori che furono tanto cari a Dio; non ci userà, dunque, Iddio ancor maggiore pietà? *In te, Domine, speravi, non confundar.* Però questa pietà è mestieri meritarla: meritiamola dunque.

E ben la meritarono tanta pietà i venerati nostri predecessori: delle virtù e dell'apostolato dei quali sarebbe pure buona cosa che qui tenessimo commemorazione, da cui verrebbe per fermo, — a noi, che siamo Pastori, utile ammaestramento, — a voi quanti siete quì, stimolo a gratitudine di suffragio, — a tutti impulso a pratica di virtù.

(1) Apoc. 14, 13.
(2) I Pet. 4, 8.

Ma come potrei io, in tanta brevità di tempo concessomi, senza arrecare torto o a diocesi od a persone, tessere lodi cosiffatte? Come narrare tanta sapienza diffusa, tante virtù pastorali praticate, tanta altezza di esempi dati, tanta copia di opere compiute, tante pene e sudori e sacrifici e zelo, spesi per le anime in lunghi anni di un ministero pieno di meriti presso Dio, e di utilità per le loro chiese e per i loro greggi?

Seguirò, piuttosto, la regola data da Gesù Cristo per conoscere e pesare gli uomini: *ex fructibus cognoscetis* (1). E mi basta l'invitarvi a considerare quali siano ancora, malgrado i tempi, le nostre care diocesi lombarde, pur senza fare odiosi confronti con non poche altre diocesi della stessa nostra Italia.

Non diremo, no, che manchi il male, che non vi siano molte cose sulle quali tutti gemiamo e che vorremmo a qualunque costo togliere. Ma certo è, che vi è ancora tanto bene, tanta religione, tanta vita cristiana, da formarne oggetto di lode non immeritata, e di invidia santa a molte altre diocesi, a non pochi Pastori.

Or questa è opera, senza dubbio e principalmente, di Dio, ed è ammirevole agli occhi (2). Ma nessuno vorrà negare che debba altresì, e in gran parte, ascriversi alla vigilanza, alla sollecitudine, allo spirito eminentemente apostolico di quei sacri Pastori, che noi qui commemoriamo; ed ai quali deve salire la nostra ammirazione, la riconoscenza, l'unanime plauso.

Ed il proclamarlo qui altamente non solo è debito sacro di giustizia; ma è ancora, come dapprincipio io diceva, un potentissimo impulso al bene.

Lo è per noi anzitutto; permettetemi lo accenni, o ve-

(1) Matth. 7, 16.
(2) Ps. 117, 23.

nerandi Pastori. Perocchè, se l'esempio e la dottrina dei nostri Predecessori sempre è stimolo a fortemente operare, lo è molto più quando tuttociò meditiamo accanto al drappo funereo che più vivamente ce li ricorda.

Qui vediamo la fugacità del tempo datoci, nel quale dobbiamo affrettarci ad operare il bene, *dum tempus habemus operemur bonum* (1). Qui meglio comprendiamo la preziosità delle anime che dobbiamo un giorno presentare a Cristo. Qui meglio intravediamo la corona che attende gli apostoli fedeli. Qui più sentiamo accenderci l'anima di quella carità, che è paziente, benigna, e non cerca sè e le cose proprie, ma si dà, tutta e solamente, per ciò che è di Gesù Cristo: *non quærit quæ sua sunt; sed quæ Iesu Christi* (2). Oh! possiamo bene sclamare; oh! morte, quanto è buono il tuo giudizio, *oh! mors quam bonum est iudicium tuum* (3).

Di qui, pertanto, noi partiremo rinnovati sempre più nello spirito; accesi di nuovo zelo per la gloria di Dio e per il bene delle anime; pronti più che mai ad agonizzare per la giustizia (4) e per le anime alle nostre mani affidate. Il timore anch' esso ci spingerà, perchè è inizio di sapienza (5); ma più assai potrà quella carità di Cristo che qui si accende e si esercita; e che, come fece ardere santamente con quell'apostolo le anime dei nostri predecessori, così urgerà noi pure e peserà sulla vita nostra come una dolce e feconda necessità, *necessitas enim mihi incumbit, væ mihi! si non evangelizavero* (6).

Nè ha da essere anche per voi, o sacerdoti e fedeli cristiani, meno valido l'impulso, che sgorga da questo ri-

(1) Gal 6, 10
(2) I Cor. 13, 5.
(3) Eccli. 41, 3.
(4) Eccli. 4. 33.
(5) Eccli. 1, 16.
(6) I Cor. 9, 16.

cordo di morte, tramutato in una fontana di vita: *unde mors, inde vita* (1).

Perocchè, quanto i lacrimati Pastori hanno fatto in vita, e quanto noi ammaestrati con loro alla scuola di Gesù Cristo proponiamo più solennemente di fare, tutto fu ed è per voi; tutto deve ottenere la vostra corrispondenza, e venire attuato, per la fecondità della grazia divina, con la vostra cooperazione.

Mirate bene, o fratelli, e non vi seducano le creature ed il mondo: Qui scompaiono in misterioso silenzio le vanità della terra; qui cadono tutti i fiori caduchi che vi presenta al mondo; qui cadono tutte le lusinghe di cui le creature ne circondano; e solo resta un dovere supremo, una sapienza divina, uno stimolo decisivo a procurare quell'unica cosa che giova e che a tutti è necessaria: salvare l'anima.

Deh! fratelli amatissimi, lo sappiamo e lo speriamo: voi ascolterete fedeli la voce dei Pastori viventi, che nel sacro Concilio han parlato; ma non chiudete gli orecchi alla voce dei Pastori defunti, che ancora da questo tumulo si levano e parlano: *defunctus adhuc loquitur* (2).

Vi dicono essi, che il peccato si deve odiare e fuggire; vi dicono, che la religione, la pietà, le virtù si debbono praticare; vi dicono, che le promesse del battesimo si devono mantenere; vi dicono che la fede, la chiesa, i sacramenti, i sacri Pastori ed il supremo tra tutti, il Vicario di Cristo, debbono formare l'oggetto del vostro amore, il presidio dell'anima vostra, la legge, la guida, le grandi vie per amare Iddio, voi stessi e il vostro prossimo.

Orsù, fratelli in Gesù Cristo, raccogliamo dal sacro tumulo la triplice dottrina, il *dovere*, l'*ammonimento*, l'*im-*

(1) La Chiesa nella s. lit.
(2) Hebr. 11, 4.

pulso. Salga a Dio, come l'incenso fragrante, la nostra preghiera, che sentiamo di poter quasi confondere con l'elogio ai venerati Pastori commemorati. Nascondasi nel cuore nostro la santa promessa di vita profondamente e costantemente cristiana, che sentiamo di dover rinnovare prostrati al buio di questo funebre manto. Intrecciamo per noi e per i Pastori suffragati la più gloriosa tra le corone, quella di anime che si rinnovano in Cristo, che vogliono vivere e morire con Cristo, che insieme con essi sospirano di godere eternamente in Cristo.

Requiem æternam dona eis, Domine; et lux perpetua luceat eis. Amen.

APPENDICES

APPENDICES

Ad n. 2 App. I.

Professio Orthodoxæ Fidei

iuxta formam a Summis Pontificibus PIO IV et PIO IX præscriptam.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta romana Ecclesia utitur, videlicet: credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, substantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificántem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novæ legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiæ catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem unâ cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos unâ cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imaginen Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, catholicam et apostolicam romanam Ecclesiam omnium matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia a sacris canonibus et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque, ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et hæc sancta Dei evangelia.

Ad n. 4 App. **II.**

Solenne professione di fede

da farsi una volta all'anno in Chiesa da tutto il popolo.

Credo in un Dio solo, Padre onnipotente, creatore del cielo e della terra, e di tutte le cose visibili ed invisibili. E nell'unico Signore Gesù Cristo, Figlio di Dio Unigenito, nato dal Padre prima di tutti i secoli, Dio da Dio, lume da lume, Dio vero da Dio vero, generato, non fatto, consostanziale al Padre, e per il quale tutte le cose furono fatte. Il quale per noi uomini e per la nostra salute discese dai cieli, e s'incarnò per opera dello Spirito Santo da Maria Vergine, e si è fatto uomo. Fu poi crocifisso per noi, patì sotto Ponzio Pilato e fu sepolto. E

risorse il terzo dì, secondo le Scritture. E salì al cielo, siede alla destra del Padre. E ritornerà con gloria a giudicare i vivi ed i morti, e il suo regno non avrà mai fine. Credo nello Spirito Santo, Signore e vivificatore, il quale procede dal Padre e dal Figlio, e insieme col Padre e col Figlio si adora e si glorifica, e parlò per bocca dei profeti. Credo la santa Chiesa, Una, Cattolica ed Apostolica. Confesso che vi è un sol Battesimo per la remissione dei peccati. E aspetto la risurrezione dei morti. E la vita eterna. Così è.

Credo fermamente che Iddio, è uno nella essenza, in tre persone realmente distinte ed eguali, Padre, Figliuolo e Spirito Santo, ed è rimuneratore dei buoni, e giusto punitore dei cattivi.

Credo che il Nostro Signore Gesù Cristo è vero Dio e vero uomo, e perciò la Beatissima Vergine Maria, concetta senza macchia di peccato originale, è veramente Madre di Dio.

Credo che i Sacramenti istituiti da Nostro Signor Gesù Cristo nella nuova Legge sono sette, cioè, Battesimo, Cresima, Eucaristia, Penitenza, Estrema Unzione, Ordine e Matrimonio; tutti necessari per la salute dell'uman genere, sebbene non tutti necessari ai singoli fedeli; ed essi tutti dànno la grazia; ma il Battesimo, la Cresima e l' Ordine non si possono ricevere che una volta sola.

Credo che nel Santissimo Sacramento dell'Eucaristia vi è veramente, realmente e sostanzialmente il Corpo, il Sangue, l'anima e la divinità del nostro Signor Gesù Cristo; e nella consacrazione si fa la conversione di tutta la sostanza del pane nel Corpo, e di tutta la sostanza del vino nel Sangue, e questa miracolosa conversione è chiamata dalla Chiesa *transustanziazione*. Confesso che anche sotto una sola specie si riceve tutto Gesù Cristo.

Credo che nella Santa Messa si offre a Dio un Sacrifizio vero, proprio e propiziatorio per i vivi e per i morti.

Credo che Gesù Cristo ha dato agli Apostoli ed ai loro legittimi Successori la podestà di rimettere e di ritenere i peccati nel Sacramento della Penitenza; e che questo Sacramento è necessario alla salute per tutti coloro che sono caduti in peccato mortale dopo il Battesimo.

Credo che fra i Cristiani non si può dare vero matrimonio che non sia vero sacramento, e che il vincolo del matrimonio per legge divina è indissolubile.

Credo fermamente che vi è il Purgatorio, e che le anime ivi trattenute sono aiutate dai suffragi dei fedeli, e principalmente dal santo Sacrifizio dell'Altare.

Credo che i Santi, i quali regnano con Gesù Cristo, devono essere venerati ed invocati, e che essi offrono a Dio preghiere per noi, e che anche le loro reliquie sono da venerarsi.

Affermo che le imagini di Gesù Cristo, di Maria Vergine sua Madre, e degli altri Santi, sono da ritenersi nella debita reverenza e venerazione.

Affermo altresì che Gesù Cristo ha dato alla Chiesa la facoltà di concedere le Indulgenze, e che l'approfittare delle medesime è cosa sommamente utile al popolo cristiano.

Riconosco la santa Chiesa Romana, madre e maestra di tutte le Chiese; e credo che il Romano Pontefice è il vero successore di San Pietro Principe degli Apostoli, vero Vicario di Cristo, Capo di tutta la Chiesa, Padre e Maestro di tutti i Cristiani, e che a Lui fu data dal Nostro Signor Gesù Cristo, nella persona di San Pietro, la piena facoltà di pascere, reggere, e governare tutta la Chiesa.

Ammetto e professo senza alcun dubbio tutte le altre verità insegnate, definite e dichiarate dalla Chiesa, specialmente il Primato e l'Infallibilità del Romano Pontefice. Tutte le dottrine contrarie e tutte quante le eresie condannate e rigettate dalla Chiesa, io pure le condanno e le rigetto; e coll'aiuto di Dio voglio ritenere e professare fermamente fino all'ultimo respiro della mia vita, questa vera fede, senza della quale nessuno può essere salvo.

Ad n. 5 App. III.

Constitutiones Dogmaticæ

editæ in Sacrosancto Œcumenico Concilio Vaticano

Constitutio Dogmatica De Fide Catholica

edita in Sessione III Œcumenici Concilii Vaticani die 24 Aprilis 1870.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei sacro approbante Concilio ad perpetuam rei memoriam.

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus noster Iesus Christus, ad Patrem cœlestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante omnibus diebus usque ad consummationem sæculi futurum se esse promisit. Quare dilectæ sponsæ præsto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Hæc vero salutaris eius providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis œcumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita, uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiæ et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia: christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc præterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosæ multiplicatæ familiæ, aliaque christianæ pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen hæc aliaque insignia emolumenta, quæ per ultimam maxime œcumenicam Synodum divina clementia Ec-

clesiæ largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima inde potissimum orta, quod eiusdem sacrosanctæ Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, hæreses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, reiecto divino Ecclesiæ magisterio, res ad religionem spectantes privati cuiusvis iudicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quæ antea christianæ doctrinæ unicus fons et iudex asserebantur, iam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri cœperunt.

Tum nata est late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quæ religioni christianæ utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut, Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, meræ quod vocant rationis vel naturæ regnum stabiliatur. Relicta autem proiectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo eius, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque iusti rectique normam negantes, ima humanæ societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicæ Ecclesiæ filiis a via veræ pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri quî potest, ut non commoveantur intima Ecclesiæ viscera? Quemadmodum enim Deus

vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum; ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quæ sanat omnia, testanda et prædicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum (1).

Nos itaque, inhærentes Prædecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc œcumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

Caput I. — *De Deo rerum omnium Creatore.*

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis

(1) Is. 59, 21.

impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (1).

Universa vero quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (2). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius (3), ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt.

Caput II. — *De revelatione.*

Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur (4): attamen placuisse eius sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio (5).

Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum (6).

(1) Conc. Lateran. IV, c. 1, *Firmiter.*

(2) Sap. 8, 1.

(3) Cf. Heb. 4, 13.

(4) Rom. 1, 20.

(5) Hebr. 1, 1-2.

(6) I Cor. 2, 9.

Hæc porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiæ fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt (1). Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt.

Quoniam vero, quæ sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinæ Scripturæ ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ pertinentium, is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

Caput. III. — *De fide.*

Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ Veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur. Hanc vero fidem, quæ humanæ salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.

(1) Conc. Trid. sess. 4, Decr. de Can. Script.

Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (1).

Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata. Quare tum Moyses et Prophetæ, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (2). Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco (3).

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi cæcus: nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati (4). Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus eius est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ eius, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur. Ut autem officio veram

(1) Hebr. 11, 1.

(2) Marc. 16, 20.

(3) 2, Petr. 1, 19.

(4) Syn. Araus. II, can. 7.

fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsam, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes (1), et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per cæleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quæ cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.

Caput. IV. — *De fide et ratione.*

Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero

(1) Is. 11, 12.

naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; obiecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, que facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quæ per Iesum Christum facta est (1), pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius sæculi cognovit; — nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei (2). Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis (3).

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius obiectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem (4).

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest; cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint,

(1) Io, 1, 17.
(2) I Cor., 2, 7-9.
(3) Matth., 11, 25.
(4) II Cor., 5.

vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus (1). Porro Ecclesia quæ, una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (2). Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, iuvante eius gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo: sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu,

(1) Conc. Later. V. Bulla *Apostolici regiminis.*

(2) Coloss. 2, 8.

altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia (1).

CANONES.

I. — *De Deo rerum omnium Creatore.*

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituale, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II. — *De revelatione.*

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per

(1) Vinc. Lir. Common. n. 28.

revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quæ naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III. — *De fide.*

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem quam sub Ecclesiæ magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint; anathema sit.

IV. — *De fide et ratione.*

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si qui dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tamquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui præsunt vel docendi munere funguntur, per viscera Iesu Christi obtestamur, nec non eiusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate iubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimæ fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravæ eiusmodi opiniones, quæ istic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt.

Datum Romæ in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta aprilis. Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto. — Ita est.

IOSEPHUS Episc. S. Hippolyti, Secret. Conc. Vatic.

Constitutio Dogmatica I^a De Ecclesia Christi

edita in Sessione IV Œcumenici Concilii Vaticani die 18 Iulii 1870.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei sacro approbante Concilio ad perpetuam rei memoriam.

Pastor æternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre; ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem sæculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohærentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum cæteris Apostolis præponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem æternum extrueretur templum, et Ecclesiæ cælo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret (1). Et quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra eius fundamentum divinitus positum maiori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessariam esse iudicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiæ fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

(1) S. Leo M. serm. 4 (al. 3) cap. 2 in diem Natalis sui.

Caput I. — *De apostolici primatus in beato Petro institutione.*

Docemus itaque et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui iam pridem dixerat: *Tu vocaberis Cephas* (1) postquam ille suam edidit confessionem inquiens: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* solemnibus his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es Simon Bar Iona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni cœlorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (2). Atque uni Simoni Petro contulit Iesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas* (3). Huic tam manifestæ sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravæ eorum sententiæ, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum præ cæteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque iurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiæ ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

(1) Io. 1, 42.
(2) Matth. 16, 16-19.
(3) Io. 21, 15-17.

Caput. II. — *De perpetuitate primatus B. Petri in Romanis Pontificibus.*

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ, eiusque consecratæ Sanguine, vivit et præsidet et iudicium exercet (1). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit (2). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandæ communionis iura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent (3).

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

(1) Cf. Ephesini Concilii Act. III.

(2) S. Leo M. Serm. 3 (al. 12) cap. 3.

(3) S. Iren. adv. hær. l. III, c. 3, et Conc. Aquileien. a. 381, inter epp. S. Ambros. ep. 11.

Caput III. — *De vi et ratione primatus Romani Pontificis.*

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhærentes tum Prædecessorum Nostrorum, Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus œcumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christifidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut hæc Summi Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: *Meus honor est honor univer-*

salis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (1).

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse iudicem supremum fidelium (2), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri (3); Sedis vero Apostolicæ, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio (4). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifici superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinet; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremæ potestatis, aut hanc eius

(1) Ep. ad Eulog. Alexandr. l. VIII, ep. 30.
(2) Pii PP. VI breve *Super soliditate*, die 18 nov. 1786.
(3) Concil. œcum, Lugdun. II.
(4) Ep. S. Nicolai I ad Michaelem Imperat.

potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

Caput IV. — *De Romani Pontificis infallibili magisterio.*

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex, tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhærentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas (1). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Græci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet iudicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ec-

(1) Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Hadriano II. Patribus Concili œcumenici VIII, Costantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.

clesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Prædecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquæ regulæ formam sequentes, ea præsertim pericula, quæ in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (1). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis Conciliis, aut explorata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quæ divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quæ sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (2).

Hoc igitur veritatis et fidei nunquam deficientis charisma Petro eiusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus,

(1) Cf S. Bernard. Epist 190.

(2) Luc. 22, 22.

cælestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa ætate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, prærogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicæ exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate, pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit.

Datum Romæ in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ milesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Iulii.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Recitata Constitutione ex ambone, latisque a singulis Patribus suffragiis, Summus Pontifex assurgens decreta et canones, qui in eadem Constitutione continentur, solemniter confirmavit his verbis: « Decreta et Canones, qui in Constitutione modo lecta continentur, placuerunt omnibus Patribus, duobus exceptis, Nosque, sacro approbante Concilio, illa et illos, ita, ut lecta sunt, definimus et Apostolica auctoritate confirmamus ».

Ita est.

IOSEPHUS Episcopus S. Hippolyti
Secretarius Concilii Vaticani.

Ad n. 33 App. IV.

Lettera circolare sulla Sacra Predicazione

emanata d'ordine di Sua Santità LEONE PAPA XIII dalla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, diretta a tutti gli Ordinari d'Italia ed ai Superiori degli Ordini e Congregazioni Religiose.

La Santità di N. Signore Papa Leone XIII, a cui tanto sta a cuore l'apostolico ministero della predicazione, come quello che è sì necessario, massime in questi tempi, alla retta istituzione del popolo cristiano, non senza grande dolore dell'animo suo, è venuta a sapere, che nella maniera di annunziare la divina parola si sono da qualche tempo introdotti alcuni gravi abusi, che rendono spesso l'odierna predicazione o dispregevole, o almeno sterile e infruttuosa. Per la qual cosa, seguendo le orme dei suoi predecessori (1), ha ordinato a questa S. Congregazione dei Vescovi e Regolari di rivolgersi agli Ordinari d'Italia ed ai Superiori Generali degli Ordini Regolari, per eccitarne vivamente la vigilanza e lo zelo a porre quanto è da loro un riparo a questi disordini, e procurare che si tolgano onninamente di mezzo. Obbedendo pertanto agli augusti comandi del Santo Padre, questa S. Congregazione mette sotto gli occhi dei Reverendissimi Ordinari e Capi d'Ordini Regolari e pii Istituti ecclesiastici le seguenti norme, affinchè con ogni diligenza e premura ne curino l'osservanza.

1. E primamente, per ciò che appartiene alle qualità del sacro predicatore, avvertano di non mai affidare un ministero sì santo a chi non sia fornito di vera pietà cristiana e compreso di grande amore a N. S. Gesù Cristo, senza del quale non sarebbe mai altro che *æs sonans et cymbalum tinniens* (2); nè

(1) Fra gli altri, Clemente X, Innocenzo XI, Innocenzo XII, Benedetto XIII, ora con atti pontificii, ora per mezzo della S. Congregazione del Concilio o di quella dei Vescovi e Regolari, emanarono, secondo i bisogni dei tempi, sapienti prescrizioni intorno alla sacra predicazione.

(2) I. Cor. 13, 1.

mai potrebbe avere quel vero zelo della gloria di Dio e della salute delle anime, che deve essere il solo movente e il solo fine dell'evangelica predicazione. E questa pietà cristiana, sì necessaria ai sacri banditori, uopo è che risplenda anche nella loro condotta esteriore, la quale non deve mai trovarsi in contraddizione coi loro insegnamenti, nè aver nulla di secolaresco e di mondano, ma sempre esser tale, che li mostri veramente *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (1); altrimenti, come osserva l'angelico S. Tommaso, *si doctrina est bona, et prædicator malus, ipse est occasio blasphemiæ doctrinæ Dei* (2). Colla pietà poi e colla virtù cristiana vuole andare congiunta anche la scienza, essendo manifesto e dalla esperienza continua comprovato, che una predicazione veramente soda, ordinata e fruttosa vano è aspettarla da coloro, che non sono nutriti di buoni studii, principalmente sacri, e che fidenti in certa lor naturale loquacità, temerariamente salgono il pulpito con poca o nessuna preparazione. Costoro, per ordinario, non fanno altro che batter l'aria, e alla divina parola, senza avvedersene, accattare dispregio e derisione; quindi loro va detto recisamente: *Quia tu scientiam repulisti, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi* (3).

2. Dopo dunque, e non prima, che il sacerdote si sarà procacciato il corredo delle accennate doti, allora soltanto i Reverendissimi Vescovi e Capi degli Ordini Regolari gli potranno affidare il gran ministero della divina parola; invigilando però che fedelmente si attenga a quelle materie, che sono veramente proprie della sacra predicazione. Ora tali materie sono indicate dal divin Redentore là dove dice: *Prædicate evangelium* (4).... *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (5). Conformemente alle quali parole scrisse l'Angelico: *Prædicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda*

(1) I. Cor. 4, 1.

(2) Comment. in Matt. 5.

(3) Os. 4, 6.

(4) Marc. 16, 15.

(5) Matt. 33, 20

manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus prædicare (1). E il sacrosanto Concilio di Trento: *Annunciantes eis vitia quæ eos declinare et virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant* (2). Ma più ampiamente ancora fu spiegato da Pio IX di s. m. colle seguenti parole: « Non semetipsos, sed Christum crucifixum « prædicantes, sanctissima religionis nostræ Dogmata et præ- « cepta, iuxta catholicæ Ecclesiæ et Patrum doctrinam, gravi « ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annun- « cient; peculiaria singulorum officia accurate explicent, om- « nesque e flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fi- « deles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, vir- « tutes sectentur, atque ita æternas pœnas evadere et cœlestem « gloriam consequi valeant (3) ». Donde chiaramente apparisce che il simbolo e il decalogo, i precetti delle diverse classi di persone, i novissimi dell'uomo ed altre simili verità eterne debbono formare la materia ordinaria della sacra predicazione.

3. Ma questi gravissimi argomenti sono oggi indegnamente trascurati da molti predicatori, i quali, *quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi* (4); e ben conoscendo non essere queste le materie più acconce ad acquistar loro quell'aura popolare che ambiscono, le lasciano interamente da parte, massime nelle quaresime e in altre occasioni solenni; e insieme colle cose mancando i nomi, alle antiche *prediche* sostituiscono un genere mal inteso di *conferenze,* rivolte ad adescare la mente e la fantasia, non mai a muovere la volontà e a riformare i costumi. E non riflettono costoro che le prediche morali giovano a tutti, le conferenze d'ordinario sono per pochi; e che questi pochi medesimi, se fossero meglio curati nei costumi, cioè meglio aiutati ad essere più casti, più umili, più obbedienti all'autorità della Chiesa, con ciò solo avrebbero la mente sgombrata da mille pregiudizii contro la fede, e più disposta a ricevere la

(1) Loco cit.

(2) Sess. V. c. 2 *De Reform.*

(3) Lit. enc. 9 nov. 1846.

(4) I Cor. 13, 5.

luce della verità; perchè gli errori religiosi, massime tra i popoli cattolici, hanno generalmente radice più nelle passioni del cuore che nelle aberrazioni della mente, secondo quello che è scritto: *De corde exeunt cogitationes malæ... blasphemiæ* (1). Perciò su quel del Salmista: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus* (2), saviamente riflette S. Agostino: *In corde suo: non in mente sua.*

4. Nè già con questo vuol condannarsi in modo assoluto l'uso delle conferenze, le quali anzi, quando siano ben condotte, possono anch'esse in certi casi tornare utilissime e necessarie, in mezzo a tanti errori che spargonsi contro la religione. Ma ben si vogliono onninamente sbandire dal pulpito quelle pompose dicerie, che trattano argomenti più speculativi che pratici, più civili che religiosi, più di comparsa che di frutto, i quali perciò saranno forse adattati alla palestra giornalistica e alle aule accademiche, ma col luogo santo certamente non si confanno. Quanto poi a quelle conferenze, che mirano a difendere la religione dalle impugnazioni de' suoi nemici, sono bensì a quando a quando necessarie, ma questo non è peso da tutti gli omeri, sì veramente dai più robusti. Ed anche i valorosi oratori debbono usare in ciò grande cautela; che tali apologie convien farle soltanto in quei luoghi, in quei tempi e a quelle udienze, che ne abbiano un vero bisogno, e da cui possa sperarsene un vero profitto; della qual cosa i giudici più competenti è manifesto non essere che Ordinarii: convien farle in maniera che la dimostrazione abbia la sua base profonda nella dottrina sacra assai più che negli argomenti umani e naturali: convien farle con tale solidità e chiarezza, da evitare il pericolo che in certe menti restino impressi più gli errori che le verità opposte; e più facciano breccia le obbiezioni che le risposte. Sopratutto poi è da por mente che l'uso soverchio delle conferenze non faccia cadere in disistima e in disuso le prediche morali, come se queste fossero cose di second'ordine e di minore importanza che le polemiche, e però da lasciarsi al volgo dei predicatori e

(1) Matt. 15, 19.
(2) Ps. 13, 1.

degli uditori; mentre il vero si è che la predicazione morale è la più necessaria alla università dei fedeli, non è meno nobile della polemica, e quindi anche i più valenti e celebrati oratori, e dinanzi a qualsivoglia più eletta e numerosa udienza, dovrebbero, almeno di quando in quando, trattarla con vivo zelo. Se ciò non facciasi, queste grandi udienze saranno condannate a sentirsi sempre a parlare d'errori, che spesso non sono nei più dei membri che le compongono, e non mai dei vizi e delle colpe, che in siffatte adunanze sogliono abbondare più che in altre di minor conto.

5. Ma se molti abusi si notano nella scelta dei temi, altri non meno gravi sono a deplorarsi nella forma di trattazione. Intorno alla quale insegna egregiamente l' Aquinate che, per essere veramente *lux mundi, tria debet habere prædicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate; secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate; tertium est utilitas, ut quærat Dei laudem et non suam* (1). Ma per mala ventura la forma di molti odierni sermoni, non solo è lontana da quella chiarezza e semplicità evangelica, che dovrebbe caratterizzarla, ma tutta si avvolge in ambagi nebulose e in materie astruse superiori alla comune capacità del popolo, e fa tornare sul labbro quel pietoso lamento: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (2). Il peggio si è poi che vi manca spesso quella sacra impronta, quell'alito di pietà cristiana e quella unzione dello Spirito Santo, per la quale il banditore evangelico dovrebbe sempre poter dire di sè: *Sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis sed in ostensione spiritus et virtutis* (3). Costoro invece fondandosi quasi unicamente *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,* poco o nulla si curano della *parola divina,* della Sacra Scrittura, che pure dev' essere il primo fonte della sacra eloquenza, come insegnava testè il Sommo Pontefice felicemente regnante, con parole gravissime che crediamo opportuno di ri-

(1) Loco cit.

(2) Thren. 4, 4,

(3) I Cor. 2, 4.

ferire: « Hæc propria et singularis Scripturarum virtus, a di-
« vino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quæ oratori sacro
« auctoritatem addit, apostolicam præbet dicendi libertatem,
« nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim
« divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille *non lo-*
« *quitur in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto*
« *et in plenitudine multa* (1). Quamobrem ii dicendi sunt præ-
« postere improvideque facere, qui ita conciones de religione
« habent, et præcepta divina enunciant, nihil ut fere afferant
« nisi humanæ scientiæ et prudentiæ verba suis magis argu-
« mentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quan-
« tumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est
« utpote quæ igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse
» ab illa qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim*
« *sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et*
« *pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus* (2). Quam-
« quam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in
« sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam
« rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit diserteque
« arguit (3), atque res ipsa confirmat præstantissimorum in
« oratoribus sacris, qui nomen suum assiduæ Bibliorum con-
« suetudini piæque meditationi se præcipue debere, grati Deo,
« affirmarunt » (4).

6. Ecco dunque la fonte principalissima della sacra eloquenza, la Bibbia. Ma questi predicatori ammodernati, in cambio d'attingere la loro eloquenza al *fonte dell' acqua viva*, con intollerabile abuso si volgono alle *cisterne dissipate* della *scienza umana:* invece di recare in mezzo i testi divinamente inspirati, o quelli dei Santi Padri e dei Concilii, citano a sazietà autori profani, autori moderni ed anche viventi, autori e parole che si prestano ben sovente ad interpretazioni molto equivoche e molto pericolose. « È anche un grande abuso della eloquenza

(4) I. Thess. 1, 5.
(5) Hebr. 4, 12.
(6) De doctr. christ. 4, 6, 6.
(7) Litt. enc. de studiis Script. S. 18 Nov. 1893.

« sacra trattare i temi religiosi unicamente nell'interesse di
« questa vita, e non parlare della futura: noverare i vantaggi
« recati alla società dalla religione cristiana, e dissimulare i
« doveri: dipingere il Redentore divino tutta carità, e tacere
« della giustizia. Indi il poco frutto di cotesta predicazione,
« dalla quale un uomo di mondo esce persuaso che senza mu-
« tare i suoi costumi, purchè dica: Io credo in Gesù Cristo,
« sarà un buon cristiano » (1). Ma che importa a costoro del frutto? Non è questo che cercano principalmente: cercano di lusingare gli uditori *prurientes auribus* (2), e pur che veggano le chiese piene, punto non curano che le anime si rimangano vuote. Per questo non parlano mai del peccato, mai de' novissimi; mai di altre verità gravissime che potrebbero contristare a salute, ma parlano solo *verba placentia* (3); e questo pure lo fanno con una eloquenza più tribunizia che apostolica, più profana che sacra, la quale attira loro battimani ed applausi, già condannati da S. Girolamo quando scriveva: *Docente in ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrymæ laudes tuæ sint* (4). Di qui è che tutta la loro predicazione apparisce come circondata, tanto in chiesa quanto fuori essa, da una certa aura teatrale, che ogni sacra impronta ne toglie ed ogni sovrumana efficacia. Di qui ancora nel popolo, e diciamo pur anco in una parte del clero, la depravazione del gusto della divina parola, lo scandalo di tutti i buoni, e il poco o niun profitto pei traviati e miscredenti: i quali, benchè talvolta accorrano in calca ad ascoltare simili *verba placentia*, massimamente se attirativi dalle risonanti parole di *progresso, di patria, di scienza moderna,* dopo applaudito clamorosamente all'oratore *che conosce il vero modo di predicare*, escono di chiesa quali vi erano entrati: *mirabantur, sed non convertebantur* (5).

(1) Card. Bausa Arcivescovo di Firenze al suo giovane Clero, 1892.

(2) II Tim. 4, 3,

(3) Is. 30, 10.

(4) Ad Nepotian.

(5) Ex Aug. in Matt 14, 25.

7. Volendo pertanto questa S. Congregazione, in adempimento dei venerati comandi di Sua Santita, porre un riparo a tanti e sì detestabili abusi, si rivolge a tutti i Reverendissimi Vescovi e Superiori Generali degli Ordini Regolari e di Istituti Ecclesiastici, affinchè contro di quelli insorgano con apostolica fermezza e con ogni sforzo ne curino l'estirpazione. Ricordevoli dunque che, secondo la prescrizione del Sacrosanto Tridentino Concilio, *viros idoneos ad huiusmodi prædicationis officium assumere tenentur* (1), usino in questo negozio la massima diligenza e cautela. Se si tratta di Sacerdoti della loro diocesi, sieno fermi nel non affidar loro un ministero sì augusto senza averli prima provati, o per via d'esame o in altra maniera opportuna: *nisi prius de vita et scientia et moribus probati fuerint* (2). Se si tratta di sacerdoti d'altre diocesi, non accettino nessuno a predicare nella loro, massime nelle occasioni più solenni, se non presenti lettere del proprio Vescovo o del proprio Superiore Regolare, le quali dieno dei suoi costumi e della sua idoneità a tale uffizio buona testimonianza. I superiori poi dei Religiosi di qualsivoglia Ordine, Società o Congregazione, a nessuno dei loro sudditi permettano di predicare, e molto meno lo presentino agli Ordinari con proprie lettere testimoniali, se prima non si sono assicurati assai bene e della sua morale condotta e della sua retta maniera d'annunziare la divina parola. Che se gli Ordinarii, dopo accettato qualche predicatore per le buone commendatizie che presentava, lo vedessero poi nell'esercizio pratico del ministero deviare dalle norme e dai moniti dati in questa Lettera, dessi con opportuna correzione lo richiamino prontamente al dovere; ma se questa non basta, lo rimuovano a dirittura da tale uffizio, usando anche le pene canoniche, se la natura del caso lo richiedesse.

Nel rimanente, siccome questa S. Congregazione sa di poter fare sulla diligenza e sullo zelo dei Reverendissimi Ordinarii e Capi d'Ordini religiosi sicuro assegnamento; così confida che principalmente per opera loro, si vedrà presto riformata questa

(1) Sess. V, cap. 2, *De reform.*

(2) Loco cit.

moderna maniera d' annunziare o piuttosto d' adulterare la divina parola, e che, tolti via finalmente dalla sacra predicazione i lenocinii mondani, le sarà restituita la sua nativa maestà veneranda e con essa la sua sovrumana efficacia, a gloria di Dio, a salute delle anime, a vantaggio universale della Chiesa e del mondo.

Roma, dalla Segreteria della S. Congregazione de' Vescovi e Regolari, li 31 Luglio 1894.

Isidoro Card. Verga, *Prefetto.*

Luigi Trombetta, *Pro-Segretario.*

Ad n. 34 App. V.

Excerpta ex Litt. Encycl. PII X Acerbo nimis

de tradenda Doctrina Christiana.

..... Volentes igitur, Venerabiles Fratres, huic gravissimo supremi apostolatus officio satisfacere, atque unum paremque morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quæ sequuntur, in diœcesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

1.° Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horæ spatium, pueros et puellas de iis, quæ quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

2.° Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacramenta Pœnitentiæ et Confirmationis rite suscipienda, præparent, continenti per dies plures institutione.

3.° Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimæ atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis præceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

4.° In omnibus et singulis parœciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinæ christianæ. Eâ parochi, præsertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent

magisterio, tum studio gloriæ Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

5.° Maiòribus in urbibus, inque iis præcipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholæ religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitæque christianæ institutis iuventam, quæ publicas scholas celebrat, ubi religiosæ rei mentio nulla iniicitur.

6. Quoniam vero, hac præsertim tempestate, grandior ætas non secus ac puerilis, religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, præter consuetam homiliam de Evangelio, quæ festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, eâ horâ quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illâ tantum exceptâ qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accomodato. Qua in re Cathechismo Tridentino utentur, eo utique ordine, ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quæ de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de præceptis Ecclesiæ.

Hæc Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque diœcesi, nullâ morâ atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quæ præcipimus oblivioni dentur, vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis præceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita præparatione; ut ne loquantur humanæ sapientiæ verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei* (1), Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita* eructaret *a constitutione mundi* (2), loquebatur tamen omnia *in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis* (3). Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos, præstitisse novimus; de quibus Gregorius Magnus aiebat: *Curaverunt summopere rudibus populis plana et capabilia, non*

(1) II Cor. 1, 12.
(2) Matth. 13, 35.
(3) Ib. 34.

summa atque ardua, prædicare (1). Ad religionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra, sunt accensendi.

Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam qui præceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ab obtusiorem imperitorum aciem accommodet, quibus æque ac sapientibus, ad æternam beatitatem adipiscendam sunt necessariæ.

Ad n. 49 App. **VI**

De Syllabo Pii PP. IX.

Syllabum Pii PP. IX compluries a Leone PP. fuisse confirmatum legimus in eius actis: ex. g. encycl. *Inscrutabili* 21 apr. 1878, epist. *Licet universum* 28 aug. 1879, encycl. *Immortale Dei* 4 nov. 1885, maxime vero in Epist. ad Episcopum Petrocoricensem *De variis angorum causis*, 27 iun. 1884, conceptis his verbis:

Leo PP. XIII. — Tuas excepimus observantissimas litteras, die XVI huius mensis datas, quæ Nobis tui animi angores significabant, simulque causas, unde illi ortum habent, patefaciebant. Ea quæ te angunt, Ven. Frater, Nobis etiam dolori sunt, cum videamus dissensiones inter catholicos homines non quiescere, sed invalescere eo præsertim tempore, quo Ecclesiæ

(1) Moral. l. 17, cap. 26.

ac publicarum rerum in ista regione conditio coniunctionem omnium animorum et virium maxime postulat adversus communes hostes, ad consilia nempe massonicæ societatis disiiciendas et impetus propulsandos. In his temporum ac rerum asperitatibus quæ sit sentiendi et agendi ratio, quam fideles sequi oporteat, quæ sit norma ad quam suas mentes et opera dirigere debeant, satis luculenter apparet ex doctrinis ab hac Apostolica Sede traditis, quæ tum *in Syllabo,* aliisque documentis illustris Decessoris Nostris, tum in Nostris encyclicis litteris continentur. Tota itaque concordiæ ratio, quæ fideles inter se consociare debet, in eo quærenda est, ut nempe omnium animi in iis doctrinis amplectendis servandisque consentiant, posthabitis contentionibus quæ ad privatas causas et infra res maioris momenti positas referuntur, etc.

Ad n. 61 App. **VII.**

Damnatio Errorum Modernistarum.

1.°

Decretum Sacræ Romanæ et Universalis Inquisitionis, Feria IV, die 3 Julii 1907.

Lamentabili sane exitu ætas nostra, freni impatiens, in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur, ut, dimissa humani generis quasi hæreditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de fidei præcipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores qui, prætergressi fines a Patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiæ specie et historicæ considerationis nomine, eum dogmatum progressum quærunt, qui, reipsa eorum corruptela est.

Ne vero huius generis errores, qui quotidie inter fideles sparguntur, in eorum animis radices figant ac fidei sinceritatem corrumpant, placuit SS.mo D. N. Pio divina providentia Pp. X,

ut per hoc Sacræ Romanæ et Universalis Inquisitionis officium ii qui inter eos præcipui essent, notarentur et reprobarentur.

Quare, instituto diligentissimo examine, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, E.mi ac R.mi D.ni Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositiones quæ sequuntur reprobandas ac proscribendas esse iudicarunt, prouti hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur:

1. Ecclesiastica lex quæ præscribit subiicere præviæ censuræ libros Divinas respicientes Scripturas, ad cultores critices aut exegeseos scientificæ librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiæ interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni.

3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiæ, et dogmata catholica cum verioribus christianæ religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiæ ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatæ contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia, ut docenti Ecclesiæ nihil supersit, nisi communes discentis opinationes sancire.

7. Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam præ se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturæ Sacræ auctorem.

10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit

quod scriptores israelitæ religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore præmuniat.

12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet præconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturæ Sacræ seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.

13. Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistæ ac christiani secundæ et tertiæ generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus prædicationis Christi apud iudæos.

14. In pluribus narrationibus non tam quæ vera sunt Evangelistæ retulerunt, quam quæ lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.

15. Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt; in ipsis proinde doctrinæ Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.

16. Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in eius evangelio contenti, sunt meditationes theologicæ circa mysterium salutis historica veritate destitutæ.

17. Quartum Evangelium miracula exaggeravit, non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo; re tamen vera non est, nisi eximius testis vitæ christianæ, seu vitæ Christi in Ecclesia, exeunte primo sæculo.

19. Heterodoxi exegetæ fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetæ catholici.

20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suæ ad Deum relationis conscientia.

21. Revelatio, obiectum fidei catholicæ constituens, non fuit cum Apostolis completa.

22. Dogmata quæ Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e cœlo delapsæ, sed sunt interpretatio quædam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

23. Existere potest, et reipsa existit oppositio inter facta quæ in Sacra Scriptura narrantur, eisque innixa Ecclesiæ dogmata; ita ut criticus tamquam falsa reiicere possit facta, quæ Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui præmissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, idest tanquam norma præceptiva agendi, non vero tanquam norma credendi.

27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiæ deduxit.

28. Iesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum, quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo, qui est obiectum fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* æquivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

31. Doctrina de Christo quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi.

33. Evidens est cuique, qui præconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errore de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinæ in Evangeliis Synopticis contentæ authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christi scientiam nullo circum-

scriptam limite, nisi facta hypothesi, quæ historice haud concipi potest, quæque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam suæ dignitatis messianicæ.

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod coscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum Paulina.

39. Opiniones de origine Sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant, quæque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quæ nunc penes historicos rei christianæ indagatores merito obtinent.

40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

41. Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent præsentiam Creatoris semper beneficam.

42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christianæ obligationes adnectens.

43. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quæ una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et pœnitentiam.

44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

45. Non omnia, quæ narrat Paulus de institutione Eucharistiæ (I. Cor. XI, 23-25), historice sunt sumenda.

2. Libri apostatarum, hæreticorum, schismaticorum et quorumque scriptorum hæresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt iure

ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

Caput II. — *De Editionibus textus originalis et versionum non vulgarium Sacræ Scripturæ.*

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacræ Scripturæ, etiam Ecclesiæ Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatæ, etsi fideliter et integre editæ appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicæ fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliæ versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editæ.

Caput III. — *De Versionibus vernaculis Sacræ Scripturæ.*

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri, versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectæ omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatæ aut editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectæ, atque illæ præsertim, quæ per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimæ Ecclesiæ leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hæ nihilonimus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur : iis servatis, quæ supra (n. 5) statuta sunt.

Caput IV. — *De Libris obscenis.*

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui

huiusmodi librorum lectione facile currumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si ac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut prælegendi erunt.

Caput. V. — *De quibusdam specialis argumenti libris.*

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatæ Virgini Mariæ, vel Sanctis, aut Catholicæ Ecclesiæ eiusque cultui, vel Sacramentis, aut apostolicæ Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacræ Scripturæ conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliæque huius generis supestitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quæ narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quæ novas inducunt devotiones, etiam sub prætextu quod sint privatæ, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiæ et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

Caput VI. — *De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.*

15. Imagines quomodocumque impressæ Domini Nostri Iesu Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiæ sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novæ vero, sive preces habeant

adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticæ potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quæ divulgatæ iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

Caput VII. — *De libris liturgicis et precatoriis.*

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat: si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur.

19. Litaniæ omnes, preter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de Beata Virgine, quæ in Sacra Æde Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis vel doctrinæ institutionisque religiosæ, moralis, asceticæ, mysticæ, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo præter legitimæ auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

Caput VIII. — *De Diariis, foliis et libellis periodicis.*

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, præsertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

Caput IX. — *De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.*

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem præposuere. Eâdem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, hæc facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Prælati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se præcepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

Caput X. — *De denunciatione pravorum librorum.*

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina prævaleant, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicæ Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinæ laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causæ

exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicæ, libros aliaque scripta noxia in sua Diœcesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quæ subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II. — De censura librorum.

Caput I. — *De Prælatis librorum censuræ præpositis.*

30. Penes quos potestas sit sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quæ supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id numquam fiat, nisi obtenta prius sacra Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea præscriptis.

32. Quæ ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis præpositæ publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hæ nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis præscriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacræ Congregationis Propaganda Fidei præpositæ de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura præsentium Decretorum vi Apostolicæ Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, præter Episcopi licentiam, meminerint te-

neri, ex sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Prælato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si auctor Romæ degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, præter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

Caput II. — *De censorum officio in prævio librorum examine.*

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatæ pietatis et doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed, omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV præceptum) animo a præiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiæ, scholæ, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiæ sanctæ dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quæ Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice præ oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

Caput III. — *De libris præviæ censuræ subiiciendis.*

41. Omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero sæculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordi-

nariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum præbeant.

Iidem prohibentur, quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

Caput IV. — *De Typographis et Editoribus librorum.*

43. Nullus liber censuræ ecclesiasticæ subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris præferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, præcipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant; ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

Caput V. — *De pœnis in Decretorum Generalium transgressores statutis.*

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quæ his Decretis Generalibus præcipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam pœnis coerceantur.

Præsentes vero literas et quæcumque in ipsis habentur, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

. . . .

Ad n. 74 App. **IX.**

Formole di abiura per eretici ed apostati.

A. - *Per ricevere l'abiura di un eretico e rinnovargli il battesimo sotto condizione.*

Il Sacerdote delegato a ricevere l'abiura, vestito di cotta e stola violacea, s'inginocchierà dinanzi all'altare, stando dietro a lui il neo-convertito, genuflesso, con una torcia accesa in mano, ed accompagnato da due testimoni. — Il Sacerdote incomincerà il *Veni Creator,* che si canterà o si reciterà alternativamente dagli altri, e terminato l'inno, dirà: *Emitte spiritum tuum etc.* — e l'orazione: *Deus, qui corda fidelium etc.*

Indi gioverà che il Sacerdote tenga un breve discorso al neo-corvertito per eccitarlo ad abbracciare di vero cuore la fede cattolica, della quale ricorderà i sommi pregi, toccando gl'irrefragabili argomenti che ne provano la verità e la divinità. Lo esorterà a ringraziare la Bontà divina, che volle chiamarlo alla Santa Chiesa, unica casa di salute, e terminato il discorso, gli dimanderà:

Credete voi tutte le verità insegnate dalla Santa Chiesa Cattolica Apostolica Romana, e contenute nella professione di fede

che voi farete? — Data la risposta: *Sí, lo credo,* il neo-convertito leggerà in ginocchio la seguente formola di professione di fede, e, se non sapesse leggere, il medesimo sacerdote la leggerà a voce alta e chiara, eccitando il neo-convertito ad accompagnare la lettura con sincera adesione dell'animo:

Io figl di

dell'età di anni avanti di Voi, avendo avanti gli occhi miei i Sacrosanti Evangeli che tocco colle proprie mani, e sapendo che niuno può salvarsi fuori di quella Fede, che tiene, crede, predica, ed insegna la Santa Cattolica ed Apostolica Romana Chiesa, contro la quale mi dolgo di aver gravemente errato, perchè, nato fuori di essa Chiesa, ho avute e credute dottrine contrarie all' insegnamento della medesima.

Ora illuminato dalla divina grazia professo di credere che la Santa Chiesa Cattolica Apostolica Romana è l'unica, e vera Chiesa stabilita da Gesù Cristo su questa terra, a cui di tutto cuore mi sottometto. Credo tutti gli Articoli che Essa mi propone a credere, riprovo, e condanno tutto ciò, che Essa riprova, e condanna, e sono pronto ad osservare tutto ciò, che Essa mi comanda, e specialmente professo di credere:

Un solo Iddio in tre divine Persone distinte, ed uguali, cioè Padre, Figliuolo, e Spirito Santo.

La dottrina Cattolica sull'Incarnazione, Passione, Morte, e Risurrezione di Nostro Signore Gesù Cristo, e la Unione Ipostatica delle due Nature divina, ed umana, la Divina Maternità di Maria Santissima unita alla di Lei integerrima Verginità ed Immacolata Concezione.

La presenza vera, reale, e sostanziale del Corpo insieme coll'Anima e Divinità di Nostro Signore Gesù Cristo nel Santissimo Sacramento dell'Eucaristia.

I sette Sacramenti istituiti da Gesù Cristo per la salute dell'uman genere, cioè Battesimo, Cresima, Eucaristia, Penitenza, Estrema Unzione, Ordine, e Matrimonio.

Il Purgatorio, la Risurrezione de' Morti, la Vita eterna.

Il Primato non solo di onore, ma anche di giurisdizione del

Romano Pontefice, successore di S. Pietro Principe degli Apostoli, e Vicario di Gesù Cristo, infallibile nelle sue decisioni.

Il Culto de' Santi, e delle loro Immagini.

L'Autorità delle Apostoliche, ed Ecclesiastiche Tradizioni e delle Sacre Scritture, da non doversi interpretare, ed intendere, se non nel senso, che ha tenuto, e tiene la Santa Madre Chiesa Cattolica.

Ad ogni altra cosa che dai SS. Canoni, e dai Concilî Ecumenici, specialmente dal sacrosanto Concilio Tridentino e dal S. Concilio Vaticano è stata definita e dichiarata.

Quindi con cuor sincero, e fede non finta detesto, ed abiuro ogni errore, eresia, e setta contraria alla detta Santa Cattolica ed Apostolica Romana Chiesa. Così Dio mi aiuti, e questi suoi santi Evangeli che tocco colle proprie mani.

Io suddett ho di propria mano sottoscritta la presente cedola della mia sincera conversione, e ritorno nel grembo della medesima Chiesa, la quale ho recitata di parola in parola.

Questo dì

B. – *Per l'abiura degli apostati a fide.*

Io figliuol di
dell'età di anni costitut personalmente in giudizio, ed nginocchiat avanti di Voi
avendo avanti gli occhi miei li Sacrosanti Evangeli che tocco colle proprie mani, e sapendo, che niuno può salvarsi fuori di quella Fede, che tiene, crede, predica, professa, ed insegna la Santa Cattolica, ed Apostolica Romana Chiesa, contro la quale confesso, e mi dolgo d'aver gravemente errato.

Perchè

Ora dolente, e pentit dei suddetti errori ed eresie, certo della falsità di essi, e della verità della Santa Fede Cattolica, con cuor sincero, e fede non finta abiuro, detesto, e maledico i suddetti errori, ed eresie, e generalmente ogni altro errore, eresia, e setta contraria alla detta Santa, Cattolica, ed Apostolica

lica Romana Chiesa. Accetto anco, e prometto di adempire intieramente tutte le penitenze, che mi sono state, e mi saranno dal S. Offizio imposte; e contravvenendo io ad alcuna di dette mie promesse, e giuramenti (il che Dio non voglia), mi sottometto a tutte le pene, e castighi, che sono dai sacri Canoni, e dalle Costituzioni generali, e particolari contro simili delinquenti imposte, e promulgate. Così Dio mi aiuti, e questi suoi Santi Evangeli, che tocco colle proprie mani

Io suddetto ho abiurato, giurato, promesso, e mi sono obbligat come sopra, ed in fede del vero ho di propria mano la presente cedola di mia abiurazione, quale di parola in parola ho recitata in

Questo dì

Formula di Assoluzione.

Si reciterà il *Miserere,* o il *De profundis* col *Gloria Patri* etc. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac famulum tuum, Domine.

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri et parcere, te supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum etc.

Auctoritate Apostolica qua fungor in hac parte absolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, Communioni, et Unitati fidelium in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Santi. Amen.

AVVERTIMENTI.

1. Il Penitente dovrà in ginocchio recitar la formola dell'abiura, toccando i Santi Evangeli colla destra. Quindi sottoscriverà l'abiura, e non sapendo scrivere farà il segno di croce.

2. Il Delegato stando a sedere reciterà uno dei detti Salmi, si alzerà in piedi al Kyrie, standovi a tutta l'Orazione. Di poi sederà dando l'assoluzione, alla quale, se l'abiura fosse solamente di grave o di leggero sospetto di eresia aggiungerà l'avverbio *forsan,* dicendo *quam forsan incurristi.* Imporrà qualche penitenza salutare all'abiurante, che per solito consiste in orazioni vocali, visite di chiese, e simili. Sottoscriverà in fine l'abiura così: *In executionem Ordinum Sacræ Congregationis S. Officii, supradictus* (il nome dell'abiurante) *fuit per me Delegatum expeditus cum abiuratione de formali* (oppur *de vehementi,* o *de levi* come sarà) *et pœnitentiis salutaribus in forma Ecclesiæ consueta his die et anno prædictis.*

Ita est. Ego

3. Avverta infine il Delegato di rimandar originalmente al S. Offizio l'abiura, la lettera facoltativa, la presente istruzione, e tutt'altro che avesse circa tal materia, senza ritener cosa alcuna nemmen in copia.

4. Se sarà da conferirsi il battesimo *sub conditione,* ciò si farà dopo la suddetta assoluzione, premesse le cerimonie del battesimo per gli adulti; indi dal neo-convertito la confessione sacramentale (la quale può precedere anche l'abiura) il Confessore gl'impartirà l'assoluzione sacramentale; e se l'ora e le circostanze lo permetteranno, al neo-convertito si amministrerà la SS. Comunione, e si chiuderà la sacra cerimonia colla recita del *Te Deum,* e l'orazione: *Deus, cuius misericordiæ etc.*

Ad n. 85 (n. 5) App. X.

Contro l'abuso di differire il Battesimo.

Beatissimo Padre,

Il Vescovo N. N. ha trovato nella sua diocesi il deplorevolissimo abuso che taluni genitori per futili pretesti, massime perchè il padrino o la madrina non sono pronti o devono giungere da lontano, differiscono ai neonati il battesimo per settimane non solo e per mesi, ma ancora per anni, come si è dovuto convincere nella sua visita pastorale. Ad ovviare siffatto abuso egli si è adoperato con ogni mezzo: però teme assai che non sì facilmente gli verrà fatto di eliminarlo.

Posto ciò, chiede umilmente se la levatrice, quando prevede che il battesimo abbia a differirsi considerevolmente, possa amministrarlo subito in acqua al neonato, benchè questi trovisi in buone condizioni di salute, anche ad insaputa di uno o di entrambi i genitori, tenendone solo avvisato il parroco? — Che ecc.

Feria IV, die 11 Ianuarii 1899.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi ac RR.mi Patres respondendum mandarunt:

Urgendum ut Baptismus quam citius ministretur: tunc vero permitti poterit, ut obstetrix illum conferat, quando periculum positive timeatur, ne puer dilationis tempore sit moriturus.

Feria vero VI, die 13 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U.. Inquisit. Not.*

Gratæ vehementer, Dilecte Fili Noster, tuæ Litteræ titulo *Mali e' Rimedii* ad istum Clerum et Populum elapso mense Martio datæ, Nobis fuerunt, quibus pastorali sollicitudine paternoque affectu inveteratum lamentaris abusum S. Baptismatis in hebdomadas, in menses imo et in annos pueris differendi, atque ad eum ab ista Tibi concredita Diœcesi exterminandum totus incumbis. Nil sane hac mala consuetudine iniquius, nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium: utpote quæ non solum tot animarum æternam salutem, inexcusabili temeritate, in manifestum periculum infert; sed eas insuper, intra id temporis, certo fraudat ineffabilibus gratiæ sanctificantis charismatibus, quæ per regenerationis lavacrum infunduntur; resque aliquoties eo usque deducere potest ut, quod proprio tempore omissum fuit, nunquam amplius in posterum sit faciendum. Dum igitur Tibi, Dilecte Fili Noster, ut incœptum opus strenue perficias ultro vires addimus; non possumus quin tam detestabilem usum, in Deum simul impium ac in homines, ubicumque infeliciter invaluerit, ex animo improbemus et execremur.

Atque ut, Deo adiuvante, etc.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIII mense augusti MDCCCXCIX, Pontificatus Nostri anno vicesimosecundo.

LEO PP. XIII.

R.mo Episcopo Anglonem. et Tursien.

Ad n. 104 App. **XI.**

Sulla SS. Comunione quotidiana.

Decreto della Sacra Congregazione del Concilio.

Il sacro Concilio di Trento, avendo in vista le ineffabili ricchezze di grazie, che provengono ai fedeli dalla santa Comunione, scrisse: *Sarebbe desiderio del sacrosanto Sinodo che in ciascuna messa i fedeli che l'ascoltano si comunicassero non solo spiritualmente, ma sibbene con ricevere il vero Sacramento Eucaristico* (1). Le quali parole, rivelano abbastanza chiaramente

(1) Sess. 22, cap. 6.

il desiderio della Chiesa che tutti i fedeli ogni giorno si accostino a quella mensa, e ne ottengano effetti più abbondanti di santificazione.

Codesti voti sono conformi al desiderio, che ebbe Gesù Signor nostro, quando istituì questo divino Sacramento. Egli difatti non una volta sola, nè oscuramente, accennò alla necessità di mangiare spesso della sua carne e di bere del suo sangue, specialmente quando disse: *Questo è pane che discende dal cielo, non così come i padri vostri mangiarono la manna e morirono: chi mangia di questo pane non morirà in eterno* (1). Dal qual paragone del cibo angelico col pane e colla manna di leggieri poteva intendersi dai discepoli che, come ogni giorno il corpo si nutrisce di pane, e come gli Ebrei ogni giorno si alimentavano di manna, così ogni giorno l'anima cristiana può mangiare il pane celeste e può averne conforto e sollievo. E' inoltre, volendo che nell'orazione domenicale si dimandi *il nostro pane quotidiano,* con ciò quasi tutti i Ss. Padri della Chiesa insegnano doversi intendere non tanto il cibo corporale, quanto il pane eucaristico che forma l'alimento quotidiano dell'anima.

Il desiderio poi di Gesù Cristo e della Chiesa che i fedeli si accostino ogni giorno al sacro convito, è sopratutto perchè i fedeli, congiunti a Dio col sacramento, ne traggano forza a raffrenare le passioni; a purgarsi dalle colpe leggere nelle quali ogni giorno possono incorrere; ad èvitare i peccati gravi, a cui va esposta l'umana fralezza: non già precipuamente perchè si provvegga all'onore ed alla venerazione dovuta a Dio; nè che ciò sia quasi come una mercede od un premio delle proprie virtù (2). Onde il Tridentino giustamente chiama l'Eucaristia *antidoto, con cui ci liberiamo dalle colpe quotidiane, e ci preserviamo dai peccati mortali* (3).

I primitivi cristiani, ben comprendendo questa divina volontà, ogni giorno accorrevano a cotal mensa di vita e di fortezza. *Erano perseveranti nella dottrina degli Apostoli e nella*

(1) Ioan. 6, 59.

(2) S. August. *Serm. 57 in Matth. de Orat. Dom.*, c. 7.

(3) Sess. 13, cap. 2.

spartizione del pane (1). Il che fu fatto anche nei secoli posteriori, secondo riferiscono i santi Padri e gli ecclesiastici Scrittori, non senza gran vantaggio di perfezione e di santità.

Illanguidendosi intanto la pietà, e sopratutto, appresso, per effetto del veleno giansenistico sparso in ogni luogo, si cominciò a disputare circa le disposizioni onde vuolsi andare alla comunione frequente e quotidiana, facendosi a gara nel richiederne come necessarie le più gravi e più difficili. Dalle dette dispute provenne che assai pochi furono creduti degni di ricevere ogni giorno la SS. Eucaristia, e di raccogliere da un Sacramento così salutifero effetti più copiosi; contentandosi gli altri di comunicarsi o una sola volta l'anno, o in ciascun mese, ovvero tutto al più ogni settimana. Che anzi il rigore giunse a tale, da escludere interi ceti di persone, come i negozianti ed i coniugati, dal frequentare la mensa celeste.

Altri nondimeno andarono ad opposto parere. Giudicando la comunione quotidiana di precetto divino, affinchè nessun giorno venisse escluso da tal Sacramento, oltre ad altre cose contrarie all'uso approvato della Chiesa, opinavano doversi ricevere la SS. Eucaristia anche nel Venerdì Santo, e nel detto giorno l'amministravano.

La Santa Sede su di ciò non venne meno all'officio suo. Col decreto infatti di questa sacra Congregazione, che comincia *Cum ad aures* del dì 12 febbraio 1679, approvato da Papa Innocenzo XI, condannò i detti errori e represse gli abusi, dichiarando altresì che tutti di qualsivoglia ceto, compresi i negozianti ed i coniugati, possono ammettersi alla frequente Comunione, secondo la pietà di ciascuno ed il parere del proprio confessore. Il dì poi 7 dicembre 1690, col decreto *Sanctissimus Dominus noster* di Papa Alessandro VIII, fu condannata la proposizione di Baio, che richiedeva un amor purissimo di Dio, senz'alcun menomo difetto, da coloro che volessero accostarsi alla sacra mensa.

Nondimeno la infezione giansenistica che si era estesa anche in mezzo ai buoni, sotto il pretesto dell'onore e dello venera-

(1) Act. 2, 42.

zione dovuta alla Eucaristia, non del tutto fu dissipata. Anche dopo le dichiarazioni della Santa Sede continuarono le dispute sulle disposizioni richieste alla frequenza legittima della santa Comunione; onde avvenne che taluni Teologi, anche di meritata rinomanza, opinarono non doversi ammettere alla comunione quotidiana i fedeli che raramente e dietro molte condizioni.

Non mancarono, d' altra parte, personaggi dotti e pii che facilitarono siffatto uso, tanto salutare ed a Dio gradito, insegnando colla autorità de' Padri, non vi essere alcun precetto della Chiesa che richiegga da coloro che vanno alla Comunione quotidiana disposizioni maggiori di quelle richieste da coloro che la ricevono ogni settimana od ogni mese; quanto ai frutti poi, ricavarsene assai più abbondanti dalla Comunione quotidiana che dalla settimanale o dalla mensile.

Le quistioni sopra tal materia nei giorni nostri sono aúmentate e si sono acuite, non senza perturbazione della mente dei confessori e della coscienza dei fedeli, nè senza detrimento della pietà e del fervore cristiano. Per la qual cosa personaggi preclarissimi e Pastori di anime si rivolsero con suppliche alla Santità di N. S. Pio Pp. X, affinchè colla suprema Sua autorità si degnasse dirimere la quistioni sulle disposizioni necessarie a ricevere ogni giorno l'Eucaristia; per modo che questa pratica salutarissima e così accetta a Dio, non pure non abbia a rallentarsi tra i fedeli, ma a crescere ed a propagarsi da per tutto, massime nei giorni nostri, in cui viene generalmente impugnata la Religione e la fede cattolica, e l'amor di Dio e la vera pietà lasciano a desiderare non poco. Di che Sua Santità, cui sta soprammodo a cuore, pieno com'è di sollecitudine e di zelo, che il popolo cristiano sia spronato ad accorrere frequentissimamente ed anche ogni giorno al sacro convito, e si avvantaggi dei suoi frutti amplissimi, commise a questa sacra Congregazione di esaminare e definire la predetta quistione.

Perciò la sacra Congregazione del Concilio, nell'Adunanza generale del dì 16 dicembre 1905, istituì un accuratissimo esame su questa materia, e considerate con diligente maturità le

ragioni dell' una parte e dell' altra, stabilì e dichiarò ciò che segue:

1. La Comunione frequente e quotidiana, essendo desideratissima da Gesù Cristo e dalla Cattolica Chiesa, sia accessibile a tutti i fedeli a qualsivoglia classe e condizione appartengano; cosicchè a nessuno che trovisi nello stato di grazia ed abbia retta intenzione, può essa negarsi.

2. La retta intenzione consiste nello accostarsi alla sacra mensa non per uso, o per vanità, o per umani riguardi; ma per soddisfare ai piacere di Dio, per unirsi più strettamente con lui nella carità, e per avvalersi di quel farmaco divino contro i proprii difetti e le proprie infermità.

3. Benchè torni soprammodo espediente che siano scevri di peccati veniali, almeno pienamente deliberati, e del loro affetto, coloro che usano la Comunione frequente e quotidiana, pur basta che siano liberi da colpe mortali, col proposito di non più commetterle per l'avvenire: posto il qual sincero proposito dell' animo, non può essere che, comunicandosi ogni giorno, non si liberino appresso a poco a poco ancora dai peccati veniali e dal loro affetto.

4. Poichè i Sacramenti della Nuova Legge, quantunque producano il loro effetto *ex opere operato* (di per sè), pure questo effetto è maggiore, quanto maggiori sono le disposizioni con cui si ricevono; perciò vuolsi attendere a far precedere alla S. Comunione un diligente apparecchio, ed a farla seguire da un conveniente ringraziamento, proporzionato alle forze, alle condizioni e ai doveri di ciascuno.

5. Perchè la Comunione frequente e quotidiana si faccia con maggior prudenza e con maggior merito, occorre il consiglio del Confessore. Si guardino però i confessori di privare della Comunione frequente e quotidiana chiunque trovisi nello stato di grazia ed abbia retta intenzione.

6. Essendo poi notissimo che dalla frequente e quotidiana Comunione si accresce l'unione con Gesù Cristo, si alimenta con più vigoria la vita spirituale, l'anima si adorna di più copiose virtù, e si riceve un pegno anche più saldo della eterna

felicità; perciò i Parroci, i Confessori ed i Predicatori, giusta l'approvato insegnamento del Catechismo Romano (1), esortino con frequenti ammonizioni e con molto impegno il popolo cristiano a questa pratica così pia e salutare.

7. La Comunione frequente e quotidiana sia promossa specialmente nei religiosi Istituti di qualsivoglia genere; pei quali nondimeno si osservi il decreto *Quemadmodum* del dì 17 dicembre 1890, emanato dalla S. Congregazione dei Vescovi e Regolari. Sia promossa in modo specialissimo ne' Seminarii dei chierici, incamminati al servizio dell'altare; come ancora in tutti gli altri collegi cristiani di educazione.

8. Se vi ha Istituti, sia di voti solenni, come di voti semplici, nelle cui regole o costituzioni, o anche nei calendarii, si trovino fissate od imposte Comunioni in giorni determinati, queste norme debbono aversi come meramente *direttive,* non già come *precettive.* Il numero prescritto di Comunioni deve riputarsi come il menomo per la pietà dei Religiosi. E però dovranno questi essere sempre liberi di andare con maggior frequenza ed anche ogni giorno alla sacra mensa, giusta le dichiarazioni date più sopra. Perchè poi possano i Religiosi dell'uno e dell'altro sesso ben conoscere le disposizioni di questo decreto, i superiori di ciascuna casa lo faranno leggere ogni anno nella comunità in lingua volgare fra l'ottava della festa del *Corpus Domini.*

9. Finalmente, dopo la promulgazione di questo decreto, gli scrittori ecclesiastici si asterranno da qualsivoglia disputa contenziosa circa le disposizioni per la Comunione frequente e quotidiana.

Di tutte queste disposizioni, fattasi relazione a Sua Santità Pio Pp. X, dal sottoscritto Segretario della S. C. nell'udienza del dì 17 dicembre 1905, la Santità Sua ratificò questo decreto degli EE.mi Padri, lo confermò e ne ordinò la pubblicazione, non ostante qualsivoglia cosa in contrario. Ordinò inoltre che sia spedito a tutti gli Ordinarii dei luoghi ed ai Prelati Regolari, affinchè lo comunichino ai proprii Seminarii, ai Parroci, agli

(1) Part. II, n. 60.

istituti religiosi ed ai rispettivi sacerdoti, e della esecuzione di quanto è qui stabilito diano conto alla S. Sede nelle proprie relazioni sullo stato della diocesi o dell'istituto.

Roma, 20 dicembre 1905.

VINCENZO Card. Vesc. di Palest. *Pref.*

Ad n. 136 App. **XII.**

De Communione infirmorum qui non sint ieiuni.

Decreta S. C. Congregationis.

1.°

Post editum de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione decretum die 20 mensis decembris 1905, concessasque a SS.mo D. N. Pio PP. X die 30 mensis maii eiusdem anni indulgentias omnibus Christi fidelibus, qui certas preces devote recitaverint pro quotidianæ Communionis propagatione; post additum præterea decretum *Urbis et Orbis,* die 14 mensis februarii 1906 a S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum, cuius decreti vi possent Christi fideles per quotidianam Communionem lucrari omnes indulgentias, absque onere confessionis hebdomadariæ, vix dicere est, quanta lætitia benignæ huiusmodi S. Sedis dispositiones exceptæ sint, præsertim ab Episcopis et moderatoribus religiosorum Ordinum. Excitato inde studio fovendæ pietatis, quæsitum est, si quo forte modo consuli posset ægrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico Pane haud semel confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare nequeat. Quare supplices ad hoc preces delatæ sunt SS.mo D. N. Pio PP. X; qui, re mature perpensa auditoque consilio S. Congregationis Concilii, benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SS.mam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SS.mum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missæ in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi ali

quid per modum potus antea sumpserint, servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem præscriptis. Præsentibus valituris, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romæ, die 7 mensis decembris 1906.

† Vincentius Card. Episc. Prænestinus, *Præfectus.*

2.°

Proposito in S. Congregatione dubio: An nomine infirmorum qui a mense decumbunt, et idcirco iuxta Decretum die 7 decembris 1906, S. Eucharistiam non ieiuni sumere possunt, intelligantur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, an potius comprehandantur quoque qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt.

Eadem S. Congregatio die 6 martii 1907 respondendum censuit: *Comprehendi, facto verbo cum SSmo ad cautelam.*

Die 25 martii currentis anni SSmus Dnus Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, resolutionem eiusdem S. C. ratam habere, confirmare benigne dignatus est et publicari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

† Vincentius Card. Ep. Prænest. *Præf.*

Ad n. 139 App. XIII.

Indulgentia Plenaria in articulo mortis lucranda.

Urbis et Orbis. — Christifideles iam prope morituros pia Mater Ecclesia numquam prætermisit opportunis pro rei necessitate solari subsidiis. Saluberrimis autem hisce adiumentis recens aliud iam nunc accerseri potest. Nam plerique e clero, iique potissimum qui curæ animarum incumbunt, ut in dies spirituali hominum bono in supremo vitæ discrimine provideatur, SS. D.no Nostro Pio Papæ X preces admoverunt, quo Christifidelibus sequentem actum adhuc in vita emittentibus: Domine Deus meus,

iam nunc quodcumque mortis genus, prout Tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, pœnis ac doloribus de manu tua æquo ac libenti animo suspicio — plenariam indulgentiam in articulo mortis consequendam elargiri dignaretur. Has vero preces, relatas in Audientia habita die 9 martii 1904 ab infrascripto Cardinali præfecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, Eadem Sanctitas sua peramanter excipiens, benigne concessit ut omnes Christifideles, qui, die ab eisdem deligendo, sacramentali confessione rite expiati, sacraque Synaxi refecti, cum vero charitatis in Deum affectu, prædictum actum ediderint, plenariam indulgentiam in mortis articulo lucrari valeant. Præsenti in perpetuo valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria eiusdem S. C. die 9 martii 1904.

A. Card. Tripepi, *Præf.*

Ad n. 161 et 173 App. **XIV**.

Decretum de sponsalibus et de matrimonio

iussu et auctoritate SS. D. N. PII P. X a S. C. Cong. editum.

Ne temere inirentur clandestina coniugia, quæ Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium, *cap. 1, Sess. XXIV, de reform. matrim.* edicens: « Qui aliter quam præsente parocho vel alio « sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus « vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos « Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabilem reddit, « et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ».

Sed cum idem Sacrum Concilium præcepisset, ut tale decretum publicaretur in singulis parœciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum; accidit ut plura loca, in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio tridentinæ legis caruerint, hodieque careant, et hæsitationibus atque incommodis veteris disciplinæ adhuc obnoxia maneant.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Sæpe namque gravis extitit dubitatio in decernenda persona

parochi, quo presente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intelligi debere, cuius in parœcia domicilium sit, aut quasi domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnunquam difficile est iudicare, certo ne constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Hæc dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra ætate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quamobrem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi connubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, præsertim e celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicæ Sedi admoverunt.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europæ plerisque, tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quæ ex sponsalibus, idest mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur. Docuit enim experientia satis, quæ secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi causamque cur inexpertæ puellæ decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles.

His rerum adiunctis permotus SS.mus D. N. Pius PP. X pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quæ opportuna æstimaret, Sibi proponeret.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non Emorum Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt: a quibus, quemadmodum et a S. Congregatione Concilii, conventus in eum finem sæpius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SS.mus Dominus S. Congregationi Concilii mandavit, ut decretum ederet quo leges a Se, ex certa scientia et matura deliberatione probatæ, continerentur, quibus sponsalium

et matrimonii disciplina in posterum regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

In executionem itaque Apostolici mandati S. Concilii Congregatio præsentibus litteris constituit atque decernit ea quæ sequuntur.

De sponsalibus.

1. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quæ contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a Parocho aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum Parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

2. — Nomine Parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime præest parœciæ canonice erectæ; sed in regionibus, ubi parœciæ canonice erectæ non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et Parocho æquiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio.

3. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quæ contrahuntur coram Parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quæ infra n. 7 et 8 ponuntur.

4. — Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt,

§ 1° a die tantummodo adeptæ possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2° intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

§ 3° dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum.

5. — Licite autem adsistunt,

§ 1° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3° quod si deficiat, ut Parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia Parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quæ ab ea excuset.

§ 4° Quoad *vagos,* extra casum necessitatis Parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

§ 5° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsæ Parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

6. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. **4** et **5** superius statutas.

7. — Imminente mortis periculo, ubi Parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiæ et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

8. — Si contingat ut in aliqua regione Parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

9. — § 1° Celebrato matrimonio, Parochus, vel qui eius

vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum ac diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario præscriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit;

§ 2° Præterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3° Quoties matrimonium ad normam n. **7** aut **8** contahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in præscriptis libris quam primum adnotetur.

10. — Parochi qui heic hactenus præscripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpæ puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra præscriptum § 2 et § 3, n. **5** emolumenta *stolæ* sua ne faciant, sed proprio contrahentium Parocho remittant.

11. — § 1° Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex hæresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2° Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtæ religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3° Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Præsens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quæ in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschæ Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum diœcesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Præsentibus valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii PP. X. contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romæ die 2ª mensis augusti anni 1907.

† VINCENTIUS Card. Ep. Prænest., *Præf.*

Ad n. 188 App. **XV**.

Regulæ pro veris a falsis indulgentiis distinguendis.

...... S. Congregatio, adhibito studio R.morum Consultorum, Indicem prædictarum regularum elucubrandum curavit; quem deinde in generali Congregatione ad Vaticanum coadunata die 5 maii 1898 examini E.morum PP. Cardinalium subiecit. Hi vero postquam præfatum Indicem mature perpenderunt, eumdem, in aliquibus immutatum, in altera Congregatione denuo expendendum sibi reservarunt.

Quod quidem actum est in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 3 augusti 1899, in quibus E.mi et R.mi Patres Indicem uti infra proponendum censuerunt.

1. *Authenticæ sunt omnes indulgentiæ, quæ in novissima Collectione a S. Indulgentiarum Congregatione edita continentur* (1).

2. *Indulgentiæ generales, quæ in sopradicta Collectione non exhibentur, vel quæ concessæ feruntur post editam Collectionem, tunc solummodo habendæ erunt ut authenticæ, cum earumdem concessionis autographum monumentum recognitum fuerit a S. Indulgentiarum Congregatione, cui, sub nullitatis pœna, exhibendum erit antequam publicentur.*

(1) Raccolta di Orazioni e Pie Opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le Ss. Indulgenze. — Roma, Tipografia della S. C. di Propaganda Fide, 1898.

3. *Authenticæ habeantur Indulgentiæ concessæ Ordinibus et Congregationibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitiis, Sodalitiis, piis Unionibus, piis Societatibus, nonnullis Ecclesiis celebrioribus, Locis piis et Obiectis devotionis, quæ continentur in Summariis recognitis et approbatis a S. Congregatione Indulgentiarum; eiusque auctoritate vel venia typis editis.*

4. *Non habeantur ut authenticæ Indulgentiæ, sive generales, sive particulares, quæ continentur in libris, in libellis, in summariis, in foliis, in chartulis, sive etiam in imaginibus, impressis sine approbatione auctoritatis competentis; quæ approbatio concedenda erit post diligentem recognitionem, et distincte exprimenda.*

5. *Apocryphæ, vel nunc prorsus revocatæ, sunt omnes Indulgentiæ mille vel plurium millium annorum quocumque tempore concessæ dicantur.*

6. *Suspectæ habeantur Indulgentiæ plenariæ quæ asseruntur concessæ recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentiis in articulo mortis.*

7. *Reiiciendæ sunt ut apocryphæ Indulgentiæ, quæ circumferuntur in libellis, foliis seu chartulis impressis vel manuscriptis, in quibus ex levibus aut etiam superstitiosis causis et incertis revelationibus, vel sub illusoriis conditionibus promittuntur Indulgentiæ et gratiæ usum et modum eccedentes.*

8. *Ut commentitia reiicienda sunt folia, et libelli, in quibus promittitur fidelibus unam alteramve precem recitantibus liberatio unius vel plurium animarum a Purgatorio et Indulgentiæ quæ dictæ promissioni adiici solent ut apocryphæ habendæ sunt.*

9. *Apocryphæ, vel saltem ut graviter suspectæ, habeantur Indulgentiæ recentioris assertæ concessionis, si ad inusitatum numerum annorum vel dierum producantur.*

Quas quidem regulas per me infrascriptum Cardinalem eiusdem S. Congregationis Præfectum SS.mo D.no Nostro Leoni PP. XIII relatas in Audientia diei 10 augusti 1899, eadem

Sanctitas Sua approbavit, mandavitque per generale Decretum publicari.

Datum Romæ ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 10 augusti 1899.

Fr. Hieronymus M. Card. Gotti, *Præfectus*.

L. ✠ S. Ant. Archiep. Antinoen., *Secretarius*.

Ad n. 202 App. **XVI**.

De Missarum satisfactione.

1.°

Recenti Decreto « *Ut debita* » diei XI mensis maii MCMIV, hæc S. Congregatio, varias complexa leges ante iam latas de Missarum oneribus religiose adimplendis, adiectis opportunis declarationibus interpositâque severa sanctione, providere studuit ut res omnium sanctissima summo apud omnes in honore esset, periculumque amoveretur, ne quis ullo modo piis fidelium voluntatibus quidquam detraheret. Hæ tamen quum essent Sedis Apostolicæ curæ et Episcoporum sollicitudines, non defuerunt abusus ac legis violationes, super quæ Sacra eadem Congregatio excitandam denuo censuit Antistitum vigilantiam.

Constat enimvero, haud paucos, non obstantibus notissimis canonicis præscriptionibus, minime dubitasse de Missarum accepta stipe suo marte demere aliquid, retentâque sibi parte pecuniæ, ipsas Missas aliis celebrandas committere, ea forte opinione ductos, id sibi licere vel ob assensum sacerdotis, animo plus minus æquo recipientis, vel ob finem alicuius pii operis iuvandi, exercendæve caritatis.

Fuerunt etiam qui contra toties inculcatas leges, præsertim contra num. 3 eiusdem Decreti, hoc genus industriæ sibi adsciverunt, ut Missarum numerum, quem possent maximum, undique conquisitum colligerent. Quo haud semel factum est, ut ingens earum copia manibus privatorum hominum fuerit coacervata; ideoque manserit obnoxia periculo, quod quidem, remotâ etiam humanâ malitiâ, semper imminet rebus privatæ fidei commissis.

Denique sunt reperti qui, a lege discedentes expressa num. 5 Decreti, Missas celebrandas commiserint, non modo copiosius quam liceret largiri privatis, sed etiam inconsideratius; quum ignotis sibi præsbyteris easdem crediderint, hominis titulive alicuius specie decepti, vel aliorum commendationibus permoti, qui, nec eos plane nossent, nec assumpti oneris gravitatem satis perspectam haberent.

Talibus ut occurratur disciplinæ perturbationibus, utque damna gravissima, quæ violationem Decreti « *Ut debita* » consequi solent, pro viribus propulsentur, hæc S. Congregatio Concilii, iussa faciens SS.mi D. N. Pii Papæ X, Episcopos omnes aliosque Ordinarios admonet, ut curam omnem et vigilantiam adhibeant in re tanti momenti, edoceantque clerum et administratores piorum legatorum, quanta ex inobservantia et contemptu legis pericula proveniant; quo onere ipsorum conscientia gravetur; quam temere arbitrium suum legibus anteponant quas diuturna rerum experientia ad rei augustissimæ tutelam collocavit; qua denique sese culpa obstringant; quibus pœnis obnoxii fiant.

At malo radicitus extirpando E.mi Patres necessarium insuper censuerunt huc usque præscriptis nova quædam addere. Itaque re discussa primum in Congregatione diei 23 mensis martii 1907, ac denuo in sequenti die 27 aprilis, sub gravi conscientiæ vinculo ab omnibus servanda hæc statuerunt:

1. Ut in posterum quicumque Missas celebrandas committere velit sacerdotibus, sive sæcularibus sive regularibus extra diœcesim commorantibus, hoc facere debeat per eorum Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente.

2. Ut unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiat, describatque Missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat.

3. Denique si qui vel Episcopi vel sacerdotes velint in posterum Missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut præsbyteros Ecclesiarum quæ in Oriente sitæ sunt, mittere, semper et in singulis casibus id præstare debebunt per S. Congregationem Propagandæ Fidei.

His autem omnibus a Secretario eiusdem S. Congreg. relatis SS.mo D. N. in audientia diei 28 mensis aprilis, Sanctitas Sua deliberationes E.morum Patrum ratas habuit et confirmavit, easque vulgari iussit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ die 22 mensis mai 1907.

† VINCENTIUS Card. Ep. Prænestinus, *Præfectus*.

2.°

Ut debita sollicitudine missarum manualium celebratio impleatur, eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum obliviones vitentur, plura etiam novissimo tempore S. Concilii Congregatio constituit. Sed in tanta nostræ ætatis rerum ac fortunarum mobilitate et crescente hominum malitia, experientia docuit cautelas vel maiores esse adhibendas, ut piæ fidelium voluntates non fraudentur, resque inter omnes gravissima studiose ac sancte custodiatur. Qua de causa E.mi S. C. Patres semel et iterum collatis consiliis, nonnulla statuenda censuerunt, quæ SS.mus D. N. Pius PP. X accurate perpendit, probavit, vulgarique iussit, prout sequitur.

Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas præsenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis, hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quæ privatæ alicuius familiæ patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla Ecclesia sunt constitutæ, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quæ in aliqua ecclesia constitutæ, vel beneficiis adnexæ, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de iure, aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat.

Iamvero de his omnibus S. C. decernit:

1. Neminem posse plus missarum quærere et accipere quam

celebrare probabiliter valent intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario diœcesano, aut Prælato regulari.

2. Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

3. Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptæ obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorem missarum numerum sponte sua tribuant.

4. Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis maii 1893 statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique locorum « beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque « ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive « laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quæ reliqua « sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tra- « dant iuxta modum ab iis definiendum »; ad tollendas ambiguitates E.mi Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis præfinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent: pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis præscriptionibus præcedentis articuli pro minori missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

Super integra autem et perfecta observantia præscriptionum quæ tum in hoc articulo, tum in præcedentibus statutæ sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5. Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere præterquam proprio Ordinario aut

S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus.

6. Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suæ fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractæ celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut si ex eleemosynæ dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur.

7. Ordinarii diœcesani missas, quas ex præcedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quæ ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti,* scilicet « missarum intentiones primum distribuent inter sacerdotes sibi « subiectos, qui eis indigere noverint; alias deinde aut S. Sedi, « aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus extra-diœcesanis, dummodo sibi noti sint omnique exceptione maiores », firma semper regula art. 6 de obligatione, donec a sacerdotibus actæ celebrationis fidem exegerint.

8. Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse, nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino præcaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum qui-

libet hanc legem violare præsumpserit aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, præter grave peccatum quod patrabit, in pœnas infra statutas incurret.

9. Iuxta ea quæ in superiore articulo constituta sunt decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quæ ad instar manualium celebrantur) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, nunquam separari posse a missæ celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui,* sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10. Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

11. Item sine nova et speciali S. Sedis venia (quæ non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12. Qui autem statuta in præcedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis prætextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latæ sententiæ Episcopo reservata obstringetur.

13. Et cum in const. *Apostolicæ Sedis* statutum sit excommunicationi latæ sententiæ Summo Pontefici reservatæ subiacere « colligentes eleemosynas maioris pretii, et ex iis lucrum « captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum sti-

« pendia minoris pretii esse solent », S. C. declarat, huic legi et sanctioni per præsens decretum nihil esse detractum.

14. Attamen ne subita innovatio piis aliquibus causis et religiosis publicationibus noxia sit, indulgetur ut associationes ope missarum iam initæ usque ad exitum anni a quo institutæ sunt protrahantur. Itemque conceditur ut indulta reductionis eleemosynæ missarum, quæ in beneficium Sanctuariorum aliarumve piarum causarum aliquibus concessa reperiuntur, usque ad currentis anni exitum vigeant.

15. Denique quod spectat missas beneficiis adnexas, quoties aliis sacerdotibus celebrandæ traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in parœciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quæ tribuitur, non aliam esse debere quam quæ in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quæ sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 iulii 1874 et *Hildesien.* 21 ianuarii 1898.

In *Monacen.* enim « attento quod eleemosynæ missarum « quorundam legatorum pro parte locum tenerent congruæ pa- « rochialis, E.mi Patres censuerunt licitum esse Parocho, si per « se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti commit- « tere, attributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis « sive cantatis ». Et in *Hildesien.,* declaratum est, « in legatis « missarum aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore « ministrorum et ecclesiarum inservientium eam redituum por- « tionem quæ in limine fundationis, vel alio legitimo modo, « ipsis assignata fuit independenter ab opere speciali præstando « pro legati adimplemento ».

Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, præter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales missæ quæ a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur.

Ipsorum pariter erit vigilare super plena et omnimoda executione præsentis decreti: quod Sanctitas Sua ab omnibus inviolabiliter servari iubet, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ ex Sacra Congregatione Concilii die 11 maii 1904.

† Vincentius Card. Ep. Prænest., *Præf.*

Ad n. 215 App. **XVII.**

De actu consecrationis SS. Iesu Cordi.

Urbis et Orbis. — Quo perennis extet memoria illius amplissimi Religionis actus, quo f. r. Leo XIII, anno 1899, sub die 25 maii augustissimo Cordi Iesu totius humani generis communitatem devovere decrevit, et salutares, qui ex illo fructus emanarunt iugiter perseverent, preces sunt delatæ SS.mo D.no N.ro Pio Papæ X, ut, apertis quoque Indulgentiarum thesauris, die festo eiusdem SS.mi Cordis, illum Consecrationis actum quotannis esse recolendum edicere dignaretur.

Has porro preces Eadem Sanctitas Sua paramanter excipiens, et summopere exoptans, ut christifidelibus, erga sacratissimum Cor Iesu iam excitata pietas magis alatur et cuncti per hunc Consecrationis actum eidem suavissimo Cordi seipsos ferventius coniungere satagant, mandavit, ut singulis annis, memorato die festo, in omnibus parochialibus templis, nec non in illis, in quibus idem festum agitur, coram SS.mo Sacramento publicæ adorationi exposito, formula Consecrationis ab eodem Pontifice Leone XIII proposita recitetur, ad quam Litaniæ in honorem SS.mi Cordis erunt adiiciendæ.

Sanctissimus vero, universis christifidelibus, huic piæ cæremoniæ, corde contrito ac devote adstantibus, et ad mentem suam orantibus, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit; iis autem, qui sacramentali Confessione expiati, etiam ad S. Synaxim accesserint, plenariam Indulgentiam clementer est elargitus: quas Indulgentias animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit.

Præsenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, die 22 augusti 1906.

A. Card. Tripepi, *Pro-Præf.*

Ad n. 286 App. **XVIII.**

Istruzione sulla Musica sacra

inserita nel Motu proprio *di SS. PAPA PIO X*, " ***Fra le sollecitudini*** „ ecc.

I. — Principii Generali.

1. La musica sacra, come parte integrante della solenne liturgia, ne partecipa il fine generale, che è la gloria di Dio e la santificazione ed edificazione dei fedeli. Essa concorre ad accrescere il decoro e lo splendore delle cerimonie ecclesiastiche, e siccome suo officio principale è di rivestire con acconcia melodia il testo liturgico che viene proposto all'intelligenza dei fedeli, così il suo proprio fine è di aggiungere maggiore efficacia al testo medesimo, affinchè i fedeli con tale mezzo siano più facilmente eccitati alla devozione e meglio si dispongano ad accogliere in sè i frutti della grazia, che sono proprii della celebrazione dei sacrosanti misteri.

2. La musica sacra deve per conseguenza possedere nel grado migliore le qualità che sono proprie della liturgia, e precisamente la *santità* e la *bontà delle forme,* onde sorge spontaneo l'altro suo carattere, che è l'*universalità.*

Deve essere *santa,* e quindi escludere ogni profanità; non solo in se medesima, ma anche nel modo onde viene proposta per parte degli esecutori.

Deve essere *arte vera,* non essendo possibile che altrimenti abbia sull'animo di chi l'ascolta quell'efficacia, che la Chiesa intende ottenere accogliendo nella sua liturgia l'arte dei suoni.

Ma dovrà insieme essere *universale* in questo senso, che pur concedendosi ad ogni nazione di ammettere nelle composizioni chiesastiche quelle forme particolari che costituiscono in

certo modo il carattere specifico della musica loro propria, queste però devono essere in tal maniera subordinate ai caratteri generali della musica sacra, che nessuno di altra nazione all'udirle debba provarne impressione non buona.

II. — Generi di musica sacra.

3. Queste qualità si riscontrano in grado sommo nel canto gregoriano, che è per conseguenza il canto proprio della Chiesa romana, il solo canto ch'essa ha ereditato dagli antichi padri, che ha custodito gelosamente lungo i secoli nei suoi codici liturgici, che come suo direttamente propone ai fedeli, che in alcune parti della liturgia esclusivamente prescrive e che gli studii più recenti hanno sì felicemente restituito alla sua integrità e purezza.

Per tali motivi il canto gregoriano fu sempre considerato come il supremo modello della musica sacra, potendosi stabilire con ogni ragione la seguente legge generale: *tanto una composizione per chiesa è più sacra e liturgica, quanto più nell'andamento, nell'aspirazione e nel sapore si accosta alla melodia gregoriana, e tanto è meno degna del tempio, quanto più da quel supremo modello si riconosce difforme.*

L'antico canto gregoriano tradizionale dovrà dunque restituirsi largamente nelle funzioni del culto, tenendosi da tutti per fermo, che una funzione ecclesiastica nulla perde della sua solennità, quando pure non venga accompagnata da altra musica che da questa soltanto.

In particolare si procuri di restituire il canto gregoriano nell'uso del popolo, affinchè i fedeli prendano di nuovo parte più attiva all'officiatura ecclesiastica, come anticamente solevasi.

4. Le anzidette qualità sono pure possedute in ottimo grado dalla classica polifonia, specialmente della Scuola Romana, la quale nel secolo XVI ottenne il massimo della sua perfezione per opera di Pierluigi da Palestrina e continuò poi a produrre anche in seguito composizioni di eccellente bontà liturgica e musicale. La classica polifonia assai bene si accosta al supremo modello di ogni musica sacra che è il canto gregoriano, e per

questa ragione meritò di essere accolta, insieme col canto gregoriano, nelle funzioni più solenni della Chiesa, quali sono quelle della Cappella Pontificia. Dovrà dunque anch'essa restituirsi largamente nelle funzioni ecclesiastiche, specialmente nelle più insigni basiliche, nelle chiese cattedrali, in quelle dei seminarii e degli altri istituti ecclesiastici, dove i mezzi necessarii non sogliono fare difetto.

5. La Chiesa ha sempre riconosciuto e favorito il progresso delle arti, ammettendo a servizio del culto tutto ciò che il genio ha saputo trovare di buono e di bello nel corso dei secoli, salve però sempre le leggi liturgiche. Per conseguenza la musica più moderna è pure ammessa in chiesa, offrendo anch'essa composizioni di tale bontà, serietà e gravità, che non sono per nulla indegne delle funzioni liturgiche.

Nondimeno, siccome la musica moderna è sorta precipuamente a servigio profano, si dovrà attendere con maggior cura, perchè le composizioni musicali di stile moderno, che si ammettono in chiesa, nulla contengano di profano, non abbiano reminiscenze di motivi adoperati in teatro, e non siano sfoggiate neppure nelle loro forme esterne sull'andamento dei pezzi profani.

6. Fra i vari generi della musica moderna, quello che apparve meno acconcio ad accompagnare le funzioni del culto è lo stile teatrale, che durante il secolo scorso fu in massima voga, specie in Italia. Esso per sua natura presenta la massima opposizione al canto gregoriano ed alla classica polifonia, e però alla legge più importante di ogni buona musica sacra. Inoltre l'intima struttura, il ritmo e il cosidetto *convenzionalismo* di tale stile non si piegano, se non malamente, alle esigenze della vera musica liturgica.

III. — Testo liturgico.

7. La lingua propria della Chiesa Romana è la latina. È quindi proibito nelle solenni funzioni liturgiche di cantare in volgare qualsivoglia cosa; molto più poi di cantare in volgare le parti variabili o comuni della messa e dell'officio.

8. Essendo per ogni funzione liturgica determinati i testi che possono proporsi in musica e l'ordine in cui devono proporsi, non è lecito nè di confondere quest'ordine, nè di cambiare i testi prescritti in altri di propria scelta, nè di ometterli per intero od anche in parte, se pure le rubriche liturgiche non consentano di supplire con l'organo alcuni versetti del testo, mentre questi vengono semplicemente recitati in coro. Soltanto è permesso, giusta la consuetudine della Chiesa Romana, di cantare un mottetto al SS. Sacramento dopo il *Benedictus* della Messa solenne. Si permette pure che dopo cantato il prescritto offertorio della messa, si possa eseguire nel tempo che rimane un breve mottetto sopra parole appropriate dalla Chiesa.

9. Il testo liturgico dev'essere cantato come sta nei libri senza alterazione o posposizione di parole, senza indebite ripetizioni, senza spezzare le sillabe, e sempre in modo intelligibile ai fedeli che ascoltano.

IV. — Forma esterna delle sacre composizioni.

10. Le singole parti della messa e dell'officiatura devono conservare anche musicalmente quel concetto e quella forma, che la tradizione ecclesiastica ha loro dato e che trovasi assai bene espressa nel canto gregoriano. Diverso dunque è il modo di comporre un *introito,* un *graduale,* un'*antifona,* un *salmo*, un *Gloria in excelsis,* ecc.

11. In particolare si osservino le norme seguenti:

a) Il *Kyrie*, *Gloria, Credo,* ecc. della messa devono mantenere l'unità di composizione, propria del loro testo. Non è dunque lecito di comporli a pezzi separati, così che ciascuno di tali pezzi formi una composizione musicale compiuta e tale che possa staccarsi dal rimanente e sostituirsi con altra.

b) Nell'officiatura dei Vesperi si deve ordinariamente seguire la norma del *Cæremoniale Episcoporum,* che prescrive il canto gregoriano per la salmodia e permette la musica figurata pei versetti del *Gloria Patri* e per l'inno.

Sarà nondimeno lecito nelle maggiori solennità di alternare il canto gregoriano del coro coi cosidetti *falsibordoni* o con versi in simile modo convenientemente composti.

Si potrà eziandio concedere qualche volta che i singoli pezzi si propongano per intero in musica, purchè in tali composizioni sia conservata la forma propria della salmodia; cioè purchè i cantori sembrino salmeggiare tra loro, o con nuovi motivi, o con quelli presi dal canto gregoriano, o secondo questi imitati.

Restano dunque per sempre esclusi e proibiti i salmi cosidetti di *concerto*.

c) Negli inni della Chiesa si conservi la forma tradizionale dell' inno. Non è quindi lecito di comporre p. e. il *Tantum ergo* per modo che la prima strofa presenti una romanza, una cavatina, un adagio, e il *Genitori* un allegro.

d) Le antifone dei Vesperi devono essere proposte d'ordinario con la melodia gregoriana loro propria. Se però in qualche caso particolare si cantassero in musica, non dovranno mai avere nè la forma di una melodia di concerto, nè l'ampiezza di un mottetto o di una cantata.

V. — Cantori.

12. Tranne le melodie proprie del celebrante all'altare e dei ministri, le quali devono essere sempre in solo canto gregoriano, senza alcun accompagnamento d'organo, tutto il resto del canto liturgico è proprio del coro dei leviti, e però i cantori di chiesa, anche se sono secolari, fanno propriamente le veci del coro ecclesiastico. Per conseguenza le musiche che propongono, devono, almeno nella loro massima parte, conservare il carattere di musica da coro.

Con ciò non s' intende del tutto esclusa la voce sola. Ma questa non deve mai predominare nella funzione, così che la più gran parte del testo liturgico sia in tale modo eseguita; piuttosto deve avere il carattere di semplice accenno o spunto melodico ed essere strettamente legata al resto della composizione a forma di coro.

13. Dal medesimo principio segue che i cantori hanno in chiesa vero officio liturgico, e che però le donne, essendo incapaci di tale officio, non possono essere ammesse a far parte del coro e della cappella musicale. Se dunque si vogliono ado-

perare le voci acute dei soprani e dei contralti queste dovranno essere sostenute dai fanciulli secondo l'uso antichissimo della Chiesa.

14. Per ultimo non si ammettono a far parte della cappella di chiesa, se non uomini di conosciuta pietà e probità di vita, i quali col loro modesto e devoto contegno durante le funzioni liturgiche si mostrino degni del santo officio che esercitano. Sarà pure conveniente che i cantori, mentre cantano in chiesa, vestano l'abito ecclesiastico e la cotta, e se trovansi in cantorie troppo esposte agli occhi del pubblico, siano difesi da grate.

VI. — Organo ed istrumenti.

15. Sebbene la musica propria della Chiesa sia la musica puramente vocale, nondimeno è permessa eziandio la musica con accompagnamento d'organo. In qualche caso particolare, nei debiti termini e coi convenienti riguardi, potranno anche ammettersi altri istrumenti, ma non mai senza licenza speciale dell'Ordinario, giusta la prescrizione del *Cœrimoniale Episcoporum.*

16. Siccome il canto deve sempre primeggiare, così l'organo o gli strumenti devono semplicemente sostenerlo e non mai opprimerlo.

17. Non è permesso di premettere al canto lunghi preludii o d'interromperlo con pezzi d'intermezzo.

18. Il suono dell'organo negli accompagnamenti del canto, nei preludii, interludii e simili, non solo deve essere condotto secondo la propria natura di tale strumento, ma deve partecipare di tutte le qualità che ha la vera musica sacra e che si sono precedentemente annoverate.

19. È proibito in chiesa l'uso del pianoforte, come pure quello degli strumenti fragorosi o leggeri, quali sono il tamburo, la gran cassa, i piatti, i campanelli e simili.

20. È rigorosamente proibito alle cosidette bande musicali di suonare in chiesa; e solo in qualche caso speciale, posto il consenso dell'Ordinario, sarà permesso di ammettere una scelta limitata, giudiziosa, e proporzionata all'ambiente, di strumenti

a fiato, purchè la composizione e l'accompagnamento da eseguirsi sia scritto in istile grave, conveniente e simile in tutto a quello proprio dell'organo.

21. Nelle processioni fuori di chiesa può essere permessa dall'Ordinario la banda musicale, purchè non si eseguiscano in nessun modo pezzi profani. Sarebbe desiderabile in tali occasioni che il concerto musicale si restringesse ad accompagnare qualche canto spirituale in latino o volgare, proposto dai cantori o dalle pie congregazioni che prendono parte alla processione.

VII. — Ampiezza della musica liturgica.

22. Non è lecito per ragione del canto o del suono fare attendere al sacerdote all'altare più di quello che comporti la cerimonia liturgica. Giusta le prescrizioni ecclesiastiche, il *Sanctus* della Messa deve essere compiuto prima dell'Elevazione, e però anche il celebrante deve in questo punto avere riguardo ai cantori. Il *Gloria* ed il *Credo,* giusta la tradizione gregoriana, devono essere relativamente brevi.

23. In generale è da condannare come abuso gravissimo, che nelle funzioni ecclesiastiche la liturgia apparisca secondaria, e quasi a servizio della musica, mentre la musica è semplicemente parte della liturgia e sua umile ancella.

VIII. — Mezzi precipui.

24. Per l'esatta esecuzione di quanto viene qui stabilito, i Vescovi, se non l'hanno già fatto, istituiscano nelle loro diocesi una commissione speciale di persone veramente competenti in cose di musica sacra, alla quale nel modo che giudicheranno più opportuno, sia affidato l'incarico d'invigilare sulle musiche che si vanno eseguendo nelle loro chiese. Nè badino soltanto che le musiche siano per sè buone, ma che rispondano altresì alle forze dei cantori e vengano sempre bene eseguite.

25. Nei seminari dei chierici e negli istituti ecclesiastici, giusta le prescrizioni tridentine, si coltivi da tutti con diligenza ed amore il prelodato canto gregoriano tradizionale, ed i superiori siano in questa parte larghi di incoraggiamento e di encomio coi loro giovani sudditi. Allo stesso modo, dove torni

possibile, si promuova tra i chierici la fondazione di una *Schola cantorum* per l'esecuzione della sacra polifonia e della buona musica liturgica.

26. Nelle ordinarie lezioni di liturgia, di morale, di *gius* canonico che si dànno agli studenti di teologia, non si tralasci di toccare quei punti che più particolarmente riguardano i principii e le leggi della musica sacra, e si cerchi di compierne la dottrina con qualche particolare istruzione circa l'estetica dell'arte sacra, affinchè i chierici non escano dal seminario digiuni di tutte queste nozioni, pur necessarie alla piena cultura ecclesiastica.

27. Si abbia cura di restituire, almeno presso le chiese principali, le antiche *Scholæ cantorum,* come si è già praticato con ottimo frutto in buon numero di luoghi. Non è difficile al clero zelante d'istituire tali *Scholæ* perfino nelle chiese minori e di campagna, anzi trova in esse un mezzo assai facile d'adunare intorno a sè i fanciulli e gli adulti, con profitto loro proprio ed edificazione del popolo.

28. Si procuri di sostenere e promuovere in ogni miglior modo le Scuole superiori di musica sacra, dove già sussistono, e di concorrere a fondarle dove non si possedono ancora. Troppo è importante che la Chiesa stessa provveda all'istruzione dei suoi maestri, organisti e cantori, secondo i varii principii dell'arte sacra.

IX. — Conclusione.

29. Per ultimo si raccomanda ai maestri di cappella, ai cantori, alle persone del clero, ai superiori dei seminarii, degli istituti ecclesiastici e delle comunità religiose, ai parroci e rettori di chiese, ai cononici delle collegiate e delle cattedrali, e sopratutto agli Ordinarii diocesani di favorire con tutto lo zelo queste sagge riforme, da molto tempo desiderate e da tutti concordemente invocate, affinchè non cada in dispregio la stessa autorità della Chiesa, che ripetutamente le propose, ed ora di nuovo le inculca.

Dato dal nostro Palazzo Apostolico al Vaticano, il giorno della Vergine e Martire Santa Cecilia, 22 novembre 1903, del nostro Pontificato l'anno primo. — Pius PP. X.

Ad n. 359 App. XIX.

Notificazione

da leggersi al popolo in occasione di vacanza di Parrocchia.

Se nessuno nega ai principi secolari il diritto di eleggersi i propri ministri per il governo delle cose di questa terra, nessuno parimenti dovrà negare alla Chiesa il diritto di eleggersi liberamente i sacerdoti per il governo delle cose che riguardano lo spirito. A chi mai Gesù Cristo ha affidato l'autorità sopra le cose sopranaturali e celesti, se non alla Chiesa? La nomina dei Parroci e Sacerdoti in cura d'anime è un atto di competenza particolarissima dell'autorità ecclesiastica: essa è uno dei più gelosi e importanti incarichi del Vescovo e per ben adempiere questo incarico, il Vescovo ha bisogno di essere più che mai libero da tutte quelle influenze che provengono da interessi e passioni mondane. Sono adunque a riprovarsi grandemente tutti coloro, secolari e vieppiù sacerdoti, che in occasione di elezioni ecclesiastiche vorrebbero far prevalere le loro mire, le loro viste, i loro interessi privati, a scapito del miglior bene religioso delle Parrocchie a cui si deve provvedere, e così pure ad offesa dell'autorità del Vescovo che solo può ben giudicare delle attitudini dei suoi sacerdoti e dei bisogni generali e particolari della sua diocesi. Sono a riprovarsi tutti coloro i quali in via diretta o indiretta intralciano l'azione del Vescovo, abusando di loro parentele, conoscenze, amicizie, presso persone potenti, disseminando mali umori e prevenzioni nel popolo, ricorrendo a raccomandazioni e peggio poi se pressioni o minaccie. Ogni volta che si procede alla nomina d'un Parroco, il miglior aiuto, che si può prestare al Vescovo, è quello di innalzare fervorose preghiere al cielo, affinchè la scelta abbia a cadere sul sacerdote più degno: e dopo la nomina, come voleva S. Carlo, tutti dovrebbero adoperarsi a fare in modo che l'eletto venga ricevuto più che con una festa profana, con quel vero amore e rispetto che si deve a Colui, dal quale tutti aspettano i più salutari avvisi e precetti.

Se la Chiesa talvolta o per benevolenza o affinchè il popolo sia meglio impegnato ad amare i propri sacerdoti, concede a qualche patrono laico, ovvero a qualche popolazione di concorrere all'elezione del proprio Parroco: si ricorda come questo diritto, concesso dalla Chiesa, non lo si può mai esercitare a capriccio e oltre il limite della concessione fatta, bensì lo si dovrà sempre esercitare con tutto il buon spirito cristiano. Non si può agire per passione umana, non si può calunniar l'uno per far riuscire l'altro, non si può dare il voto per interesse mondano, ma tra i sacerdoti proposti dal Vescovo si deve preferire colui che pare più virtuoso, più istruito, più atto a fare il bene in Parrocchia. Se per eleggere qualcuno si desse o ricevesse denaro od altro equivalente qualsiasi, si incorrerebbe la pena della scomunica.

La Chiesa infligge la pena della scomunica a tutti coloro i quali in seguito alla nomina di qualsiasi beneficiato, fatta dalla legittima autorità ecclesiastica, operano in modo che al sacerdote nominato non si diano le temporalità e non gli si riconosca il diritto di esercitare l'incarico che la Chiesa gli ha dato. E peggio è poi a dire di chi facesse brighe per eleggere in una parrocchia un sacerdote rigettato o non voluto dal Vescovo. Costui commetterebbe una ribellione contro la Chiesa, attirerebbe sopra di sè e del suo paese i castighi del Signore: incorrerebbe senz'altro nella scomunica, e il sacerdote che senza l'autorizzazione ecclesiastica, ma solamente perchè scelto dal popolo o dal Patrono volesse usurpare l'uffizio di Parroco e i diritti e i frutti del benefizio, non solo cadrebbe *ipso facto* nella scomunica, specialmente riservata al Papa, ma incorrerebbe anche altre pene ecclesiastiche.

Trattiamo santamente le cose sante: rispettiamo i diritti della Chiesa perchè i diritti della Chiesa sono i diritti stessi di Gesù Cristo.

Ad n. 367 App. XX.

Lettera Enciclica di S. S. Papa Pio X

agli Arcivescovi e Vescovi d'Italia, contro lo spirito di insubordinazione e di indipendenza nel clero.

Ven. Fratelli, Salute ed Apostolica Benedizione,

Pieni l'animo di salutare timore per la ragione severissima, che dovremo rendere un giorno al principe dei pastori Gesù Cristo a riguardo del gregge da lui affidatoci, passiamo i dì nostri in una continua sollecitudine, a preservare, quanto è possibile, i fedeli dai mali perniciosissimi, onde è afflitta di presente l'umana società. Teniamo perciò come detta a noi la parola del profeta: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (1); e non manchiamo, ora di viva voce ed ora per lettere, di avvertire, di pregare, di riprendere, eccitando sopra tutto lo zelo dei nostri fratelli nell'episcopato, onde spieghi ciascuno la più sollecita vigilanza sulla porzione dell'ovile, a cui lo Spirito Santo lo ebbe preposto.

Il motivo, che ci spinge a levare di nuovo la voce, è del più grave momento. Trattasi di richiamare tutta l'attenzione del vostro spirito e tutta l'energia del vostro pastorale ministero contro un disordine, di cui già si provano i funesti effetti: e, se con mano forte non si svella dalle più ime radici, conseguenze ancor più fatali si proveranno coll'andare degli anni. — Abbiamo infatto sott'occhi le lettere di non pochi fra voi, o venerabili Fratelli, lettere piene di tristezza e di lacrime, le quali deplorano lo spirito d'insubordinazione e d'indipendenza, che si manifesta qua e là in mezzo al clero. — Purtroppo una atmosfera di veleno corrompe largamente gli animi ai nostri giorni; gli effetti mortiferi sono quelli che già descrisse l'apostolo S. Giuda: *Hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant* (2); oltre cioè alla più degradante corruzione dei costumi, il disprezzo aperto

(1) Is. 57. 1.
(2) Iud., 8.

di ogni autorità e di coloro che la esercitano. Ma che tale spirito penetri comechessia fino nel santuario e infetti coloro, ai quali più propriamente convenir dovrebbe la parola dell'Ecclesiastico: *Natio illorum, obedientia et dilectio* (1); è cosa questa che ci ricolma l'animo d'immenso dolore. — Ed è sopratutto fra i giovani sacerdoti che sì funesto spirito va menando guasto, spargendosi in mezzo ad essi nuove e riprovevoli teorie intorno alla natura stessa dell'obbedienza. E, ciò ch'è più grave, quasi ad acquistar per tempo nuove reclute al nascente stuolo dei ribelli, di tali massime si va facendo propaganda più o meno occulta fra i giovani, che nei recinti dei seminari si preparano al sacerdozio.

Pertanto, o venerabili Fratelli, sentiamo il dovere di fare appello alla vostra coscienza, perchè, deposta ogni esitazione, con animo vigoroso e con pari costanza diate opera a distruggere questo mal seme, fecondo di esizialissime conseguenze. Rammentate ognora che lo Spirito Santo vi ha posti a reggere. Rammentate il precetto di S. Paolo a Tito: *Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat* (2). Esigete severamente dai sacerdoti e dai chierici quella obbedienza che, se per tutti i fedeli è assolutamente obbligatoria, pei sacerdoti costituisce parte precipua del loro sacro dovere.

A prevenire però di lunga mano il moltiplicarsi di questi animi riottosi, gioverà assaissimo, venerabili Fratelli, l'aver sempre presente l'alto ammonimento dell'Apostolo a Timoteo: *Manus cito nemini imposueris* (3). È la facilità infatti nell'ammettere alle sacre ordinazioni, quella che apre naturalmente la via ad un moltiplicarsi di gente nel santuario, che poi non accresce letizia. — Sappiamo esservi città e diocesi, ove, lungi dal potersi lamentare scarsità nel clero, il numero dei sacerdoti è di gran lunga superiore alla necessità dei fedeli. Deh! qual motivo, o venerabili Fratelli, di rendere così frequente la imposizione delle mani? Se la scarsità del clero non può essere

(1) 3, 1.
(2) 2, 15.
(3) I Tim. 5, cap. 2.

ragione bastevole a precipitare in negozio di tanta gravità; là dove il clero sovrabbonda al bisogno, nulla è che scusi dalle più sottili cautele e da somma severità nella scelta di coloro, che debbono assumersi all'onore sacerdotale. Nè l'insistenza degli aspiranti può menomare la colpa di siffatta facilità. Il sacerdozio istituito da Gesù Cristo per la salvezza eterna delle anime, non è per fermo un mestiere od un uffizio umano qualsiasi, al quale ognun, che il voglia, e per qualunque ragione, abbia diritto di liberamente dedicarsi. Promuovano adunque i Vescovi, non secondo le brame o le pretese di chi aspira, ma come prescrive il Tridentino, secondo la necessità delle diocesi; e nel promuovere di tal guisa, potranno scegliere solamente coloro che sono veramente idonei, rimandando quelli che mostrassero inclinazioni contrarie alla vocazione sacerdotale, precipua fra esse la indisciplinatezza e ciò che la genera, l'orgoglio della mente.

Perchè poi non manchino i giovani che porgano in sè attitudine per essere assunti al sacro ministero, torniamo, venerabili Fratelli, ad insistere con più premura su ciò che già più volte raccomandammo, sull'obbligo cioè che vi corre, gravissimo dinanzi a Dio, di vigilare e promuovere con ogni sollecitudine il retto andamento dei vostri seminari. Tali avrete i sacerdoti, quali voi li avrete educati. — Gravissima è su ciò la lettera che vi diresse, in data 8 dicembre 1902, il nostro sapientissimo predecessore, quasi testamento del suo diuturno pontificato. Nulla noi vogliamo aggiungervi di nuovo: richiamiamo solo alla vostra memoria le prescrizioni in essa contenute; e raccomandiamo vivamente che al più presto sieno messi in esecuzione i nostri ordini, emanati per organo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari sulla concentrazione dei seminari, specialmente per gli studi della filosofia e della teologia, a fine di ottenere così il grande vantaggio derivante dalla separazione dei seminari piccoli dai seminari maggiori, e l'altro non meno rilevante della necessaria istruzione del clero.

I seminari siano gelosamente mantenuti nello spirito proprio, e rimangano esclusivamente destinati a preparare i gio-

vani, non a civili carriere, ma all'alta missione di ministri di Cristo. — Gli studi di filosofia, di teologia e delle scienze affini, specialmente della sacra Scrittura, si compiano, tenendosi alle pontificie prescrizioni, e allo studio di S. Tomaso, tante volte raccomandato dal venerato nostro predecessore e da noi nelle lettere apostoliche del 23 gennaio 1904. I Vescovi poi esercitino la più scrupolosa vigilanza sui maestri e sulle loro dottrine, richiamando al dovere coloro, che corressero dietro a certe novità pericolose, ed allontanando senza riguardo dall'insegnamento quanti non approfittassero delle ricevute ammonizioni. Il frequentare le pubbliche università non sia permesso ai giovani chierici se non per molto gravi ragioni e con le maggiori cautele per parte dei Vescovi. — Sia onninamente impedito che dagli alunni dei seminari si prenda parte comecchessia ad agitazioni esterne; e perciò interdiciamo loro la lettura di giornali e di periodici, salvo per questi ultimi, e per eccezione, qualcuno di sodi principî, stimato dal Vescovo opportuno allo studio degli alunni. — Si mantenga con sempre maggior vigore e vigilanza l'ordinamento disciplinare. — Non manchi da ultimo in verun seminario il direttore di spirito, uomo di prudenza non ordinaria ed esperto nelle vie della perfezione cristiana, il quale, con cure indefesse, coltivi i giovani in quella soda pietà, che è il primo fondamento della vita sacerdotale. Queste forme, o venerabili Fratelli, ove sieno da voi coscienziosamente e costantemente seguite, vi porgono sicuro affidamento di vedervi crescere intorno un clero, il quale sia vostro gaudio e corona vostra.

Se non che il disordine d'insubordinazione e d'indipendenza, finora da noi lamentato, in taluni del giovane clero va assai più oltre, con danni di gran lunga maggiori. Imperocchè non mancano di coloro, i quali sono talmente invasi da sì reprobo spirito, che, abusando del sacro ministero della predicazione, se ne fanno apertamente, con rovina e scandalo dei fedeli, propugnatori ed apostoli.

Fin dal 31 luglio 1894, il Nostro Antecessore, per mezzo della Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari, richiamò

l'attenzione degli Ordinari su questa grave materia. Le disposizioni e le norme date in quel pontificio documento Noi le manteniamo e rinnoviamo, onerando su di esse la coscienza dei Vescovi, perchè non abbiano ad avverarsi mai in veruno di loro le parole di Nahum profeta: *Dormitaverunt pastores tui* (1). — Nessuno può avere facoltà di predicare, *nisi prius de vita et scientia et moribus probatus fuerit* (2). I sacerdoti in altre diocesi non debbono ammettersi a predicare senza le lettere testimoniali del proprio Vescovo. — La materia della predicazione sia quella indicata dal divin Redentore, là dove disse: *Prædicate evangelium* (3). *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (4). Ossia, come commenta il Concilio di Trento: *Annunciantes eis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant* (5). — Quindi si bandiscano del tutto dal pulpito gli argomenti più acconci alla palestra giornalistica ed alle aule accademiche che al luogo santo; si antepongano le prediche morali a conferenze, il men che possa dirsi infruttifere; si parli *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (6). Perciò la fonte precipua della predicazione devono essere le Sacre Scritture, intese, non già secondo i privati giudizi di menti il più delle volte offuscate dalle passioni, ma secondo la tradizione della Chiesa, le interpretazioni dei Santi Padri e dei Concili.

Conformemente a queste norme, venerabili Fratelli, egli è d'uopo che voi giudichiate di coloro, ai quali vien da voi commesso il ministero della divina parola. E qualora troviate che talun di essi, più cupido degli interessi propri che di quelli di Gesù Cristo, più sollecito di plauso mondano che del bene delle anime, se ne allontani; e voi ammonitelo, correggetelo; se ciò

(1) 3, 18.

(2) Conc. Trid.; Sess. 5, cap. 2, *De Reform.*

(3) Marc. 16, 15.

(4) Matth. 28, 20.

(5) Loc. cit.

(6) I Cor. 2, 4.

non basti, rimovetelo inesorabilmente da un ufficio, di cui si manifesta affatto indegno. — La quale vigilanza e severità tanto più dovete adoperare, perchè il ministero della predicazione è tutto proprio di voi ed è parte precipua dell'ufficio episcopale; e chiunque oltre di voi lo esercita, lo esercita in nome vostro ed in vostro luogo; ond'è che resta sempre a voi di rispondere innanzi a Dio del modo col quale viene dispensato ai fedeli il pane della parola divina. — Noi, per declinare da parte nostra ogni responsabilità, intimiamo ed ingiungiamo a tutti gli Ordinari di rifiutare o di sospendere, dopo le caritatevoli ammonizioni, anche durante la predicazione, qualsivoglia predicatore, sia del clero secolare sia del regolare, il quale non ottemperi pienamente alle ingiunzioni della precitata istruzione emanata dalla Congregazione dei Vescovi e Regolari. Meglio è che i fedeli si contentino della semplice omelia e della spiegazione del catechismo fatta dai loro parroci, anzichè dover assistere a predicazioni che producono più male che bene.

Un altro campo, dove tra il giovane clero si va trovando pur troppo ansa ed eccitamento a professare e propugnare la esenzione da ogni giogo di legittima autorità, è quello della così detta azione popolare cristiana. Non già, o venerabili Fratelli, perchè questa azione sia in sè riprovevole o porti di sua natura al disprezzo dell'autorità; ma perchè non pochi, fraintendendone la natura, si sono volontariamente allontanati dalle norme che a rettamente promuoverla furono prescritte dal Predecessore Nostro d'immortale memoria.

Parliamo, ben l'intendete, della istruzione che circa l'azione popolare cristiana emanò, per ordine di Leone XIII, la Sacra Congregazione degli affari ecclesiastici straordinari, il 7 gennaio 1902, e che fu trasmessa a ciascun di voi, perchè nelle rispettive diocesi ne curasse l'esecuzione. — Questa istruzione altresì Noi manteniamo, e colla pienezza di nostra podestà ne rinnoviamo tutte e singole le prescrizioni come pure confermiamo e rinnoviamo tutte le altre da Noi stessi all'uopo emanate nel *motu proprio* del 18 dicembre 1903 *De populari actione christiana moderanda,* e nella lettera circolare del diletto figlio nostro il Cardinale segretario di Stato, in data 28 luglio 1904.

In ordine alla fondazione e direzione di fogli e periodici, il clero deve fedelmente osservare quanto è prescritto nell'art. 42 della Costituzione Apost. « *Officiorum* » (1): *Viri e clero... prohibentur quominus, absque prævia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.* — Parimente, senza il previo assenso dell'Ordinario, niuno del clero può pubblicare scritto di sorta, sia di argomento religioso o morale, sia di carattere meramente tecnico. Nelle fondazioni di circoli e società gli statuti e regolamenti debbono previamente esaminarsi ed approvarsi dall'Ordinario. — Le conferenze sull'azione popolare cristiana o intorno a qualunque altro argomento, da nessun sacerdote o chierico potranno essere tenute senza il permesso dell'Ordinario del luogo. — Ogni linguaggio, che possa ispirare nel popolo avversione alle classi superiori, è e deve ritenersi affatto contrario al vero spirito di carità cristiana. — È similmente da riprovare nelle pubblicazioni cattoliche ogni parlare, che ispirandosi a novità malsana, derida la pietà dei fedeli ed accenni a *nuovi orientamenti della vita cristiana, nuove direzioni della Chiesa, nuove aspirazioni dell'anima moderna, nuova vocazione sociale del clero, nuova civiltà cristiana* e simili. — I sacerdoti, specialmente i giovani, benchè sia lodevole che vadano al popolo, debbono nondimeno procedere in ciò col dovuto ossequio all'autorità e ai comandi dei superiori ecclesiastici. E pure occupandosi, con la detta subordinazione, dell'azione popolare cristiana, deve essere loro nobile compito « di togliere i figli del popolo alla ignoranza delle cose spirituali ed eterne, e con industriosa amorevolezza avviarli ad « un vivere onesto e virtuoso; riaffermare gli adulti nella fede « dissipandone i contrari pregiudizi, e confortarli alla pratica « della vita cristiana; promuovere tra il laicato cattolico quelle « istituzioni che si riconoscano veramente efficaci al miglioramento morale e materiale delle moltitudini; propugnar sopra « tutto i principii di giustizia e carità evangelica, ne' quali « trovano equo temperamento tutti i diritti e i doveri della « civil convivenza.... Ma abbiano sempre presente, che anche

(1) 25 gennaio 1897.

« in mezzo al popolo il sacerdote deve serbare integro il suo « augusto carattere di ministro di Dio, essendo egli posto a « capo dei fratelli *animarum causa* (1): qualsivoglia maniera « di occuparsi del popolo a scapito della dignità sacerdotale, « con danno dei doveri e della disciplina ecclesiastica, non « potrebbe essere che altamente riprovata » (2).

Del resto, venerabili Fratelli, a porre un argine efficace a questo fuorviare di idee ed a questo dilatarsi di spirito d'indipendenza, colla nostra autorità proibiamo d'oggi innanzi assolutamente a tutti i chierici e sacerdoti di dare il nome a qualsiasi società che non dipenda dai Vescovi. In modo più speciale, e nominatamente, proibiamo ai medesimi, sotto pena pei chierici di inabilità agli ordini sacri e pei sacerdoti di sospensione *ipso facto a divinis,* di ascriversi alla *Lega democratica nazionale,* il cui programma fu dato da Roma-Torrette il 20 ottobre 1905, e lo Statuto, pur senza nome dell'autore, fu nell' anno stesso stampato a Bologna presso la Commissione provvisoria.

Sono queste le prescrizioni, che avuto riguardo alle condizioni presenti del clero d'Italia, ed in materia di tanta importanza, esigeva da noi la sollecitudine dell'Apostolico ufficio. — Ora altro non ci resta, che aggiungere nuovi stimoli al vostro zelo, venerabili Fratelli, affinchè tali disposizioni e prescrizioni nostre abbiano pronta e piena esecuzione nelle vostre diocesi. Prevenite il male dove fortunatamente ancor non si mostra; estinguetelo con prontezza dov'è sul nascere; e dove per isventura sia già adulto, estirpatelo con mano energica e risoluta. Di ciò gravando la vostra coscienza, vi imploriamo da Dio lo spirito di prudenza e fortezza necessaria. Ed a tal fine vi impartiamo dall'intimo del cuore l'Apostolica Benedizione.

Dato a Roma presso S. Pietro, il 28 luglio 1906, anno terzo del nostro Pontificato.

PIUS PP. X.

(1) S. Greg. M., *Regul. Past.* Pars 2, c. 7.
(2) Ep. Encycl, 8 dec. 1902.

Ad n. 376, 151, 152 App. XXI.

De excardinationibus et de alumnis
ab uno Seminario dimissis in alterum non recipiendis.

1.°

Decreto die 20 mensis Iulii 1898, quod incipit *A primis*, E.mi S. C. Concilii Patres, probante v. m. S. P. Leonis XIII, circa *excardinationem* et *incardinationem* clericorum eorumque subsequentem ordinationem, hæc quæ sequuntur statuerunt:

« 1. *Excardinationem* fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi *incardinatione* in alia diœcesi executioni demandata.

« 2. *Incardinationem* faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novæ diœcesi prorsus mancipetur, præstito ad hoc iuramento ad instar illius quod constitutio » *Speculatores* » pro domicilio acquirendo præscribit.

« 3. Ad hanc *incardinationem* deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum e sua diœcesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

« 4. Hac ratione adscriptos posse quidem ad Ordines promoveri. Cum tamen nemini sint cito manus imponendæ, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod sicut « nullus debet ordinari qui iudicio sui episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis », ut in *cap. 16, sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit; ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate diœcesis.

« 5. Quo vero ad clericos diversæ linguæ et nationis, oportere ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant,

ac nunquam eos recipiant, nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter Episcoporum conscientia.

« 6. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus const. « *Speculatores* » quæ, nihil obstante præsenti decreto, ratæ ac firmæ semper manere debent ».

Sed pluribus in locis mos iam pridem invaluerat ut quædam litteræ quasi *excardinatoriæ,* seu *excorporationis* aut *exeat* nuncupatæ, laicis quoque traderentur, eodem ferme modo ac pro clericis fieri consueverat: quibus litteris Episcopus originis laicum suæ diœcesis subditum dimittebat, et ius nativum, quo pollebat, eum in clericalem statum adscribendi, in alium Ordinarium transferre eique cedere videbatur: et vicissim hic illum suscipiens eum proprium subditum sibi facere, et qua talem ad primam tonsuram et ss. Ordines promovere libere posse arbitrabatur, quin aut ratione domicilii aut ratione familiaritatis subditus sibi esset iuxta constitutionis « *Speculatores* » præscripta.

Porro evulgato decreto *A primis,* de huius praxis legitimitate disputari cœpit, et plura dubia hac de re ad S. Sedem delata sunt.

Quapropter de mandato SS.mi quæstione semel et iterum in hac S. Congregatione examinata, tandem die 15 Septembris 1906 E.mi Patres censuerunt, permitti posse, si Sanctitas sua id probaverit, ut præfatæ litteræ, quibus laici a propria diœcesi dimittuntur, ab Ordinariis concedantur, earum vi extradiœcesanus fieri proprius valeat Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad clericalem tonsuram et ad ss. Ordines ab eo promoveri; dummodo tamen,

1.° dimissio ab Episcopo proprio ex iusta causa, in scriptis et pro determinata diœcesi concedatur.

2.° Acceptatio ne fiat nisi servatis regulis quæ pro clericis *incardinandis* statutæ sunt, et superius sub num. **2, 3, 4** et **5** recensentur; et servato quoque decreto « *Vetuit* » die 22 decembris 1905 quoad alumnos a Seminariis dimissos.

3.° Sed iuramentum ad tramitem constitutionis « *Speculatores* » requisitum, præstandum esse ante clericalem tonsuram. Verum cum obligatio permanendi in diœcesi non propria, eique in perpetuum serviendi, ante maiorem ætatem non sine difficultatibus et periculis suscipi possit, cavendum esse ab Episcopis ne ad clericalem tonsuram admittant qui ætate maior non sit.

Facta autem de his omnibus relatione SS.mo D. N. Pio Papæ X ab infrascripto Secretario in audientia die 16 septembris 1906, Sanctitas Sua deliberationem Em. Patrum probavit et confirmavit, mandavitque ut evulgaretur per litteras S. C. Concilii, ut omnibus ad quos spectat lex et regula esset, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, die 24 mensis novembris 1906.

† VINCENTIUS Card. Ep. Prænestinus, *Præfectus*.

2.°

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. I, Sess. 14 de reform.* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subiecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui accessus ad sacros ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur ».

Cum vero generalis hæc lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur, eo quod certa vocationis signa non præbeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum

requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra sæpe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui præsunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quæritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam sæpissime fit ut Ecclesiæ utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, diœcesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum præsentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt, statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis hæc conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis et omnibus ad rem mature perpensis, SS.mus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei 16 mensis decembris 1905 emisso, præsentibus litteris statuit atque decernit:

1. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius diœcesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti præcludat.

2. Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut hæc eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic diœcesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in diœcesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3. Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur diœcesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4. Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique neminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis* diei 20 m. iulii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse, qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta præscripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23 de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta hæc et cautelæ omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectæ, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiæ et sollicitudini quam maxime commendat.

Præsentibus valituris, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, die 22 m. decembris 1905.

† VINCENTIUS Card. Ep. Præn. *Præf.*

Ad n. 437 App. XXII.

De Religiosis Institutis.

1.°

De manifestatione conscientiæ atque aliis sacris rebus.

Quemadmodum omnium rerum humanarum, quantumvis honestæ sanctæque in se sint, ita et legum, sapienter conditarum, ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum.

Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum, sive mulierum quæ vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiæ manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiæ scrutatio, quæ unice Sacramento Pœnitentiæ reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem ss. Canonum præscriptum fuit, ut sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriæ conscientiæ consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiæ norma, ut suos subditos rite recteque quoad peculiares pœnitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et hæc per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubito permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quæ ad spiritualem alumnorum profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter consti-

tutæ iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externæ pacis turbationem versæ fuerint, ceu subditorum recursus et querimoniæ passim ad S. Sedem interiectæ evidentissime comprobant.

Quare SS.mus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua præstat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Præfecto S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus præpositæ, die decimaquarta decembris 1890, omnibus sedulo diligenterque perpensis, hæc quæ sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

1. Sanctitas sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum, sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictæ Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quoad cordis et conscientiæ intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungit Moderatoribus ac Moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum, ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus præfatæ dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines, etiam immemorabiles.

2. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis cuiuscumque gradus et præeminentiæ sint, ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, præcepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiæ sibi peragendam; subditisque e converso præcipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

3. Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et

directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

4. Præterea firmo remanente, quoad Confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum, quod a Sacrosancto Concilio Tridentino præscribitur in *Sess. 25 Cap. 10 de Regul.* et *a S. M. Benedicti XIV* statuitur in Constitutione quæ incipit *Pastoralis curæ,* Sanctitas Sua Præsules Superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis Confessarium quoties, ut propriæ conscientiæ consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut ægre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriæ Diœceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento pœnitentiæ recurrere eæ facile queant.

5. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, Eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Pœnitentiæ Sacramentum denuo accesserit.

6. Monentur hinc omnes, ut ad Sacram Synaxim curent diligenter se præparare et accedere diebus in propriis regulis statutis: et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianæ Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

7. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus Insti-

tutorum de quibus supra, sive virorum, sive mulierum, ut studiose accurateque huius Decreti dispositiones observent, sub pœnis contra Superiores Apostolicæ Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

8. Denique mandat, ut præsentis Decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus prædictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato, alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria memoratæ S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 decembris 1890.

I. Card. Verga, *Præfectus.*

† Fr. Aloysius Episc. Callinicen., *Secret.*

2.°

Constitutio Apostolica de institutis religiosorum vota simplicia profitentium.

Leo Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Conditæ a Christo Ecclesiæ ea vis divinitus inest ac fœcunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas ætate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quæ, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiæ operibus sancte devovere contendunt. Quæ quidem pleræque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel diœcesis prætergressæ angustias, adeptæque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectæ quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio; aliæ, quæ Episcoporum solummodo approbationem nactæ, ob eam rem *diœcesanæ* appellantur; aliæ vero de quibus præterea Romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quænam Episcoporum iura esse oporteat, quæque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto, ad *diœcesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eæ quippe una inductæ sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quæstio ceteris oritur, quæ Apostolicæ Sedis comprobatione sunt auctæ. Quia nimirum in diœceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicæ consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *diœcesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines diœcesis cuiusque, incolumi tamen supremi eorumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Præsidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere; eadem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Præsidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in diœcesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Præsidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet, at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus præpositi, duo præscriptionum capita edicere visum est; alterum de Sodalitatibus quæ Sedis Apostolicæ commen-

dationem vel approbationem nondum sunt assecutæ, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum hæc habet servanda:

1. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in diœcesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

2. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta, quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia præditi, an studio divinæ gloriæ, suæque et alienæ salutis præcipue ducti.

3. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quæ actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullæ fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quæ, certo proprioque fine non præstituto, quævis universæ pietatis ac beneficentiæ opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quæ redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quæ stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quæ ægrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si qua autem nova feminarum sodalitas eo spectet, ut suis in ædibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum cura atque opera ægrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Præterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

4. Sodalitas quævis diœcesana ad diœceses alias ne trans-

grediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

5. Sodalitatem diæcesanam si ad diœceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in diœcesibus ædes habeat.

6. Semel approbatæ sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique diœcesi, tollere fas est.

7. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quæ probatione expleta, emissuræ sint vota, Episcopus singulatim certior fiat; eiusdem erit illas et de more explorare et, si nihil obstet, admittere.

8. Episcopo alumnas sodalitatum diœcesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis æque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendæ perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum lædatur; lædetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

9. Antistitæ, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur, Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis præerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiæ officio.

10. Diœcesanæ cuiusvis sodalitatis domus Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de œconomicis rationibus cognoscendi.

11. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus diœcesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. 8) explicate præfinitur.

Alterum præscriptionum caput de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, hæc habet servanda:

1. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad

profitenda vota admittere, partes sunt Præsidum sodalitatum; integra tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa (1), ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Præsidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quæcumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quæ ad universam sodalitatem pertinent, tum quæ in domibus singulis exercentur, Conventus seu *capitula,* et Consilia propria ius habent. In mulierum autem sodalitatibus, Conventibus ad munerum assignationem Episcopus, cuius in diœcesi habentur, per se vel per alium præerit, ut Sedis Apostolicæ delegatus.

2. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est Romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quæ probatæ a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universæ sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

3. Episcoporum sunt iura, in diœcesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domus sodalitatum condi, item nova illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quæ publica sint, ordinare.

4. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quæ de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quæ autem *clausura,* ut inquiunt, *partiali,* utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

5. Alumni alumnæve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo,* eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quæ non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes

(1) Sess. 25, cap. 17. de Regul et Monial.

concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

6. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in diœcesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus; ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quæ a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissiorialibus* vel *testimonialibus,* sint rite impleta; ut *titulo sacræ ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiæ studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum,* die datum 4 novembris anno 1892.

7. In sodalitates, quæ mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quæ habet decretum *Singulare quidem* a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus præposito promulgatum die 27 martii anno 1896.

8. In iis quæ ad spiritualia pertinent, subduntur sodalitates Episcopis diœcesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes, a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curæ,* a Benedicto XIV decessore Nostro editæ, ac decreti *Quemadmodum,* dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus præposito, die 17 decembris anno 1890; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

9. Bonorum, quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a præsidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certæ domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino præbeat obnoxium: ita nimirum ut neque Præposito neque Antistitæ sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus ra-

tiones accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

10. Sicubi sodalitatum ædibus instituta curanda adiecta sint, uti gynæcea, orphanotrophia, valetudinaria, scholæ, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiæ ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis quæ collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

11. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque diœcesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum Pœnitentiæ, de iisque opportune statuendi iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re œconomica uni præsides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, æque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta æqua stataque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quæ tamen maioris momenti occurrant quæ moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus præpositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quæ supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero œconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quæ sacris sint attributa, vel loci aut diœcesis incolis iuvandis.

His porro, quæ hactenus ediximus sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicæ decreto concessis, tum immemorabili aut sæculari consuetudine confirmatis, tum etiam

quæ in alicuius Sodalitatis legibus a Romano Pontifice approbatis contineantur.

Præsentes vero litteras, et quæcumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostræ vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et præeminentiæ inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel prætextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitatem virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quæ Nostræ voluntatis significationis his præsentibus ostensis haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo noningentesimo, sexto idus decembris, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Pro-Præf.*

ALOYSIUS Card. MACCHI.

3.°

De votis simplicibus votis solemnibus etiam a Monialibus præmittendis.

Perpensis temporum adiunctis, attentisque peculiaribus casibus, qui ad S. Sedem haud raro deferuntur, nec non postulatis sacrorum Antistitum, visum est huic S. Congregationi Eminentissimorum ac Reverendissimorum Patrum S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium præpositæ, non esse ulterius cunctandum super quæstione iampridem proposita: an scilicet et quomodo expediat præscribere, ut in sanctimonialium monasteriis, in quibus solemnia vota nuncupantur, præmittantur solemnibus vota simplicia ad certum tempus duratura. Re itaque mature perpensa ac discussa, in conventu plenario habito in ædibus Vaticanis die 14 Martii 1902,

præfati E.mi ac R.mi Patres S. R. E. Cardinales censuerunt: supplicandum esse *SS.mo Domino Nostro Leoni Divina Providentia PP. XIII,* ut ad moniales votorum solemnium extendere dignaretur, iuxta congruum modum, ea quæ salubriter constituta fuerunt a fel. rec. Pio PP. IX pro religiosis virorum familiis, per encyclicas litteras S. Congregationis super Statu Regularium, incip. *Neminem latet,* datas die 19 martii 1857, et per litteras sub Annulo Piscatoris, incip. *Ad universalis Ecclesiæ regimen,* datas die 7 februarii 1862, cum subsequutis respective declarationibus.

Porro *Sanctitas Sua,* in Audientia habita ab infrascripto Cardinali prædictæ S. Congregationis Præfecto die 3 maii 1902, audita de præmissis relatione, sententiam prælaudatorum Patrum Cardinalium probavit, mandavitque per huiusmet S. Congregationis decretum edici præscriptionum capita, quæ infrá scripta sunt, perpetuo inviolateque servanda:

1. In omnibus et singulis sanctimonialium monasteriis cuiuscumque Ordinis seu Instituti, in quibus vota solemnia emittuntur, peracta probatione et novitiatu ad præscriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et legum Ordinis seu Instituti a S. Sede approbatarum, novitiæ vota simplicia emittant, postquam expleverint ætatem annorum sexdecim ab eodem Concilio Tridentino statutam vel aliam maiorem, quæ forsan a constitutionibus proprii Ordinis vel Instituti a S. Sede approbatis requiratur.

2. Huiusmodi professæ post expletum triennium a die quo vota simplicia emiserint, computandum, si dignæ reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur: sublata cuilibet potestate hac super re dispensandi, ita nempe ut si qua, non exacto integro triennio, ad professionem solemnem, quacumque ex causa, admitteretur, professio ipsa irrita prorsus foret ac nullius effectus.

3. Firma tamen in suo quæque robore manere declarantur indulta a S. Sede iam impertita, quorum vi, nonnullis in locis seu Institutis, professio votorum simplicium ad longius tempus emitti possit.

4. Præterea ex iustis rationabilibus causis, de quibus tum monasterii Superiorissa tum novitiarum Magistra fidem scripto facere debent, poterit Ordinarius pro monasteriis suæ iurisdictioni subiectis et Superior Generalis seu Provincialis pro monasteriis, quæ exemptionis privilegio gaudent, indulgere, in casibus particularibus, ut professio votorum solemnium differatur, non tamen ultra ætatem annorum viginti quinque expletorum.

5. Vota simplicia, uti præfertur, emissa perpetua sunt ex parte voventis; et dispensatio super iisdem Romano Pontifici reservatur.

6. Professæ istiusmodi votorum simplicium fruuntur et gaudent iisdem indulgentiis, privilegiis et favoribus spiritualibus, quibus legitime fruuntur et gaudent professæ votorum solemnium proprii cuiusque monasterii; et quatenus morte præveniantur, ad eadem respective suffragia ius habent.

7. Eædem tenentur ad observantiam regularum et constitutionum non secus ac solemniter professæ; itemque tenentur choro interesse; quatenus vero legitime impediantur quominus choro intersint, ad privatam officii divini recitationem non obligantur.

8. Tempus a constitutionibus cuiuslibet Ordinis seu Instituti præscriptum ad *vocem activam* et *passivam* assequendam a die emissionis votorum simplicium computatur: verumtamen professæ votorum simplicium nunquam suffragium, imo ne locum quidem habebunt in capitulis in quibus et quatenus agitur de admittendis ad professionem solemnem; eæque deputari quidem poterunt ad minora cœnobii officia; sed ad munia Superiorissæ, Vicariæ, Magistræ novitiarum, Assistentis seu Consiliariæ, et œconomæ eligi nequeunt.

9. Potiores iure, utpote seniores, censentur quæ prius vota simplicia nuncupaverint; ita tamen ut quæcumque, iuxta superius dicta, professionem solemnem ultra triennium distulerint, loco interim cedant etiam iunioribus solemniter professis, recepturæ iterum iura ratione prioris professionis quæsita ubi primum vota solemnia et ipsæ emiserint.

10. Dos pro quolibet monasterio statuta tradenda est ipsi monasterio ante professionem votorum simplicium.

